38079/B

vols 5 – 6 in first

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30529657_0005

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM

QVAM

PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM

IN PRAXEOS ADIVMENTVM

CONSIDERATVS

VOLVMEN QVINTVM

AVCTORE

JO. ANDREA MVRRAY D.

EQVITE ORD. R. DE WASA
M. BRITANN. REGI A CONSILIIS AVL. PROFESSORE MEDIC. ET BOTAN. O. IN ACAD. R. GOTTING. PRAEFECTO HORTI R. BOTAN. SOCIETATVM SCIENTIARVM GOTTING. STOCKHOLM. VPSAL. GOTHENB. LVND. FLORENT. LVGDVN. DIVION. AVREL. HARLEM. ET VLISSING. MEDICARVM PARIS. NANC. ET HAVN. ATQVE OECONOMICARVM BERN. CELL. GEORGOPHIL. ET PARIS. MEMBRO.



GOTTINGAE

Apud IO. CHRIST. DIETERICH.

1790.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO

AD VOLVMEN QVINTVM.

Collatis hactenus editis quinque voluminibus plerarumque ſtirpium medicarum cenſum me iamiam abſoluiſſe intelligitur, et eousque me perueniſſe, vt ſeriem ordinum naturalium ſingulorum, quotquot ſignificare inſtituti ratio poſtulauerit, integram praeſtare potuerim. Elapſi com-

 plures

plures anni ſunt, ex quo primum volumen comparuit, quo temporis interuallo explorare ſatis commodum fuit, quam lente prorepat labor tanti ambitus ſub iis legibus, quas mihimet ipſe praefixi, et quarum veritatis ſtudium, non numerus voluminum euulgandorum, ſumma eſt, ſi iter multiplici negotiorum genere, quae munus iniungit, variisque valetudinis offenſis interrumpitur. Quapropter obſtacula quaeuis, quae remoueri ſeſe patiuntur, diſpellere, iam quidem in animum induxi, quo telam inceptam finiam, antequam ſenilis infirmitas eam relaxet, vel mors diſcindat, nunquam amplius vniendam. Alit impetum perſuaſio non in ſterili me campo laborare, dum vires ad

illam

illam ſcientiam intendo, quae praxeos medicae alter oculus eſt, nouis ſuppetiis indigentiſſima, et blandum iudicium, tam de norma, quam ſector, quam de eiusdem documentis a me exaratis, latum a pluribus celeberrimis viris, qui in artis exercitio conſenuerunt, vel ipſi ſimili operae ſucceſſu egregio manus iniecerunt, quorum CULLENII venerabile nomen eminet.

Vtne vero, quum huic volumini indicem, qui ad omnia ſpectat, ſubiecerim, aliquis credat, me nihil addendum vel emendandum reperiſſe, monendum eſt, Supplemento, mox ſubſequuturo, reliqua de ſtir-

pibus commemoranda me deſtinaſſe. Etenim volumine vno vel altero iam typis deſcripto, variis nouis ſtirpibus ſuppellex pharmacopoliorum aucta fuit; exemplo Cinchonae variarum ſpecierum, Swieteniae Mahagoni, Rhododendri chryſanthi, Pruni Padi, Clematidis Vitalbae, Geoffroyae Jamaicenſis et Surinamenſis, Aſtragali exſcapi, Lactucae viroſae, Violae tricoloris, rel. quae igitur ſuo loco et ordine antea inſeri non potuerunt, nunc vero poſſunt. Eadem opportunitas iam patet variis partibus vegetabilibus, quarum ſpecies botanica ſerius modo innotuit, quorſum Balſamus Peruuianus et Tolutanus, Lignum Santalum rubrum, Nux moſchata, referenda.

Super-

Superſunt pro dolor haud paucae aliae ignotae vel dubiae ſpeciei, vt Myrobalani variae, Semen Ajauae, Gummi Ammoniacum, Myrrha, Kino aliaque ſic dicta Gummata, Balſamum Rakaſiri, Radices Columbo, Lopez, Chynlen, Caſſumuniar, Ikan, Ligna Aloes, Calambac, Cortices Pocgerebae, Anguſturae, Reſina lutea in nouiſſima expeditione fortiſſ. PHILIPP ad nouum Belgium reperta, rel., quas omnes peculiari ſectione complecti opus eſt, ne quis, licet plures non ſatis confirmatae efficaciae reliquis intermiſceantur, praeſtantiorum tamen cognitione careat. Demum accedat oportet commemoratio virium aliquot proximis modo annis de plantis iam a me luſtratis, vel

primum vel curatius, perſpectarum. Huius naturae ſunt experimenta varia cum Moxa in Europa inſtituta, Arnicae vires in ſubigenda humorum putredine, in febribus intermittentibus, paralyſi, et radicis eiusdem potior vſus, Valerianae celticae cum officinali comparatio, Aſſae foetidae in carie oſſium potentia, vſus clyſmatum ex aceto et aqua, Rubiae tinctoriae virtus in obſtructione menſtrui fluxus, Dulcamarae praeſtantia in vario morborum genere vlterius ſtabilita, Belladonnae in mania et epilepſia efficacia, Tabaci in hydrope, Nucis vomicae in epilepſia, Digitalis in hydrope, Dentariae in ſcabie, Violae tricoloris in cruſta lactea, Opii in lue venerea, laus confirmata

ſaponis

ſaponis acidi in variis morbis, rel. Haecce omnia dum exſequutus fuero in connubio determinationis exactae ſtirpium expoſitarum vel earundem partium, effugere me poſſe crediderim opprobrium botanicis creberrime motum, nomenclatura et locomotiuitate abſolui, quicquid illis ſcientiae et meriti inſit.

Hocce ſpicilegio publici iuris facto ad recudenda duo priora volumina, quae per plures annos iam diſtracta fuerunt, dein reliqua, regrediar. In ceteris, quae ſuperſunt, medicaminibus, ad cenſuram reuocandis, id moram abbreuiabit, quod prout horum parcior longe numerus eſt, ita ra-

riſſima diſceptatio de ſpecie, cui debentur, obtingat, quam tamen inter vegetabilia enucleare auctori ſaepe miram difficultatem parit.

VOLVMEN

VOLVMEN QVINTVM.

STIRPES.

Palmae.
Piperitae.
Scitamineae.
Liliaceae.
Enſatae.
Orchideae.
Tripetaloideae.
Calamariae.
Gramina.
Filices.
Muſci.
Algae.
Fungi.

B. MONOCOTYLEDONES.

ORDO XLIII.

P A L M A E.

C O C O S.

LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 985. *Gen. pl. p.* 537.

497.

Pharm. PALMAE *Oleum.*

Cocos *butyracea;* inermis, frondibus pinnatis: foliolis ſimplicibus LINN. *Suppl. pl. p.* 454. Pindova PISON. *Ind. res nat. et med. p.* 125. *c. ic.* An Palma altiſſima non ſpinoſa fructu pruniformi minore racemoſo ſparſo SLOANE *nat. Hiſt. of Jam. vol.* 2. *p.* 115. *tab.* 215? An Palmiſte ADANSON *Hiſt. nat. du Senegal p.* 107? Arbor alta in America auſtrali, no-

minatim Braſilia (PISO) et circa fodinas Ybaquenſes (MUTIS) creſcens.

Plures palmae ſuggerunt ſimile oleum, vt Elaeis Guineenſis LINN. (JACQU. *Hiſt. plantar. Amer. p.* 280.); Palma foliorum pediculis ſpinoſis fructu pruniformi luteo oleoſo, the Palm Oil-Tree SLOANE *nat. Hiſt. of Jam. vol.* 2. *p.* 113. *tab.* 214., quae videtur eadem ac Palma oleoſa HUGHES *nat. Hiſt. of Barbados, p.* 111., vel Palma dactylifera aculeata fructu corallino maior BARRERE *Hiſt. nat. de la France equinoxiale; p.* 87. Item huc pertinent Phoenix dactylifera, cuius nucleus erogat oleum vel butyrum ſimile (WRIGHT'S *Account of the medical Plants growing in Jamaica,* quae commentatio proſtat in *Lond. med. Journ.* 1787. *P.* 3. *p.* 295.); variae palmae ſpinoſae, quas AUBLET (*Plantes de la Guiane Franc. tom.* 2. *App. p.* 95.) ſiſtit nomine Palmiers Avoira, quarum *maxima* ſummo in pretio eſt aliaeque. Exiſtimo eandem intellectam ſub nomine Avoira a cl. FERMIN (*Reiſe durch Surinam P.* 1. *p.* 173.). Harum oleum pro opportunitate locorum in fines eosdem adhibetur. Sed quoniam nuperius cl. MUTIS (in LINN. *Suppl. pl. l. c.*) ſtirpem praefixam non ſolum ſollertiſſime deſcripſit, ſed et oleum

oleum ex ea ab incolis Americae calidioris vere in vſum quotidianum erui indicauit, illi totam huius olei hiſtoriam iungam.

Fructum gerit drupaceum, obouatum, ſucceſum, vnilocularem, cuius nux duriſſima, oblonga, ſubſtriata. Nucleus latens, qui ſaporem nuclei Cocos nuciferae habet, oleum recondit, maceratione in aqua eliciendum. Hoc ſcopo nuces contuſae et ruditer contritae ab Americanis aquae per tempus immerguntur, vnde ſenſim nucleorum compages reſoluitur ita, vt butyracea materies ſuperficiem petat, grauior fundum occupet. Sic triplici aquae commutatione quicquid oleoſi ineſt, eruitur (MUTIS).

PISO duplicis olei meminit, ex nucleo albi, et ex fructus cortice magis flaui. Quae in hacce narratione obſcura ſunt, lucem adipiſcuntur iis, quae expoſuit cl. AUBLET, etſi de alia ſpecie, qui ex pulpoſa fructus parte praeuia fermentatione et conquaſſatione et motitatione eius intra vas ſuper igne vel et praegreſſa coctione eius cum aqua exprimi *oleum* nos edocet; ex nucleo autem ſua teſta valde dura exuto ignis admoti ope exprimi, vel in ſubſidium ſumta coctione in aqua elici *butyri* ſpeciem. Oleum igitur duplicis generis, tenuius,

item craſſius; erogat idem fructus. Quod in officinis praeſto eſt, denſitatem vnguenti habet flauumque eſt, odoris grati fere inſtar Iridis Florentinae, frigore ſpiſſius fit. Rancore album euadit, tum et odorem dictum perdit. Qui igitur color et quae odoris abſentia ſignificant reiiciendum eſſe. Bene tamen conſeruatum vltra viginti annos rancoris expers perſiſtit (QUELLMALZ *Progr. de oleo Palmae materia iniectionibus anatomicis aptiſſima*, *Lipſ.* 1750. *p.* 9.). Prouti non ex vna arbore modo prouenit, ita nec ex vna regione transmittitur, ex Africa et Jamaica auſtrali.

Oleum hocce in Guiana inungitur corpori ad illud contra inſecta et humiditatem aëris tuendum. Sed lampadibus praeterea et pigmentis inſeruit. Butyrum, loco illius ex lacte, cibis in patria additur.

Vſus medicus ſi ſpectetur, communis cum aliorum oleorum vnguinoſorum natura in mentem redeat. Nobis rariſſimus quidem eſt, isque externus, quem et commendat odoris gratia, vt emolliantur ſolida et relaxentur. Pernionibus prurientibus vel hiantibus, item fiſſuris manuum hieme praecipue ex multa lotione obtingentibus

vtiliter

vtiliter inungitur (BÖNNEKEN in *Fränk. Samml. vol. 2. p. 235.*). In duritie ventris tam apud adultos, quam infantes fertur prodeſſe inſigniter (BERG. *Mat. med. p.* 882.). Eſt qui illud ad diſſipationem nodorum arthriticorum in manibus et pedibus et dolorem inde enatum compeſcendum, item ad ſanationem vlcerum, ſi dehiſcunt, extollit (BÖNNEKEN *l. c.*).

Pro iniectionibus anatomicis ſubtilioribus vtile eſt, vel per ſe ſyringa iniectum, vel dum eius quarta vel tertia pars cerae additur; nam altius penetrat, frigore non fragile fit, et contra corruptelam variam praeparata munit (QUELLMALZ *l. c. p.* 10 *ſq.*).

Fructus ſuibus pabulo in Jamaica cedit, vbi apri in primis eo valde delectantur (WRIGHT in *Lond. med. Journ.* 1787. *P.* 3. *n.* 293.).

EMPLASTRUM DIAPALMAE (V. e. c. *Ph. Würt. p.* 64.) inde nomen traxit, quum olim oleum hocce additum fuerit, ſed hodie, vt par eſt, acquieſcunt auctiori olei Oliuarum quantitate, niſi vel hocce emplaſtrum ad ſuperflua referre ſatius ducas.

PHOENIX.

LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 985. *Gen. pl.* 573.

498.

Pharm. DACTYLI (Fructus); Eorundem *Oſſa.*

Phoenix dactylifera; frondibus pinnatis: foliolis enſiformibus complicatis LINN. *Spec. plant. p.* 1658. Conf. HASSELQUIST'S *Reſa til heliga Landet p.* 499. Φοινιξ Graecis. Palma KAEMPF. *Amoen. exot. p.* 667. *ſqq. faſc.* 4. *tab.* 1. 2. Depicta quoque exſtat in REGNAULT *Botan.* Le Palmier Dattier. Arbor nouem circiter orgyas alta, grandaeua ducentorum quin trecentorum annorum, indigena in Arabia ad maris rubri tractum et in Perſia, vbi praecipue regiones, quae ſinum Perſicum ambiunt, occupat. Delectatur coelo torrido, feruente, ventis adurentibus ex auſtro agitato, ſolo autem ſabuloſo, exſucco, leui et nitroſo. Ibidem itaque locorum creſcit, quae reliquorum prouentuum, ad beatam vitam facientium, aquae praeprimis, inopia laborant.

Sylueſtres arbores humiles ſunt, et formam indecoram contortam prae ſe ferunt, fructibus vero

vero vel nullis vel nonniſi auſteris et inutilibus inſtruuntur. Cultus igitur artificium accedat oportet, quem ipſum KAEMPFERO nemo ad hoc vsque tempus ſollertius perſequutus eſt. Quoniam propagationis arborum foeminearum potiſſimum ratio habenda eſt, nec hae ex ſemine apte cognoſci poſſunt: ſurculi foeminearum ex radice emergentes, biennes ad minimum, terrae in palmetis infiguntur (Vid. de cultura KAEMPFER.). Ad impraegnationem autem ſpadicum foemineorum opus eſt, vt maſculini illis admoueantur vel operoſius interſerantur. Ex Aſia ſine dubio in Aegyptum translata haec palma fuit, vbi et copioſe hodie offenditur, ſicuti in Senegalia ad promontorium viride (ADANSON *Hiſt. nat. du Senegal, p.* 106.), et Barbaria. Tranſiit et maris mediterranei limites, ita vt et in Luſitania, auſtralibus prouinciis Hiſpaniae (BOWLES *Voyage to Spain;* iam mihi praeſto modo eſt verſio Ital. *Introduzione alla Storia naturale di Spagna, vol.* 1. *p.* 319.) item prope Gades (OSBECKS *Oſtind. Reſa p.* 41.), praecipue Valentia, item in Sicilia, palmeta alantur. Vitat coelum temperatius. In caldariis hortorum Europaeorum vel trunco arbores deſtituuntur vel exiguo tantum

 ſufful-

ſuffulciuntur, rarius quoque flores fructusque ferunt.

Hacce arbore loco natali omnibus fere vitae neceſſitatibus natura proſpexit, tanto magis ibidem benefica, quum torridum clima reliquas tantum non omnes vitae ſuppetias arceat. Vix alia arbor hac in re cum ipſa comparari poteſt, quam Cocos nucifera. Haud immerito igitur diuitiae poſſeſſoris palmetorum numero Phoenicum cenſentur, quarum tria ad quatuor millia aliquando in vnius heri fundo numerantur. Caudex verſus verticem nonnihil contractior texturam habet laxiorem et multum medullae recondit, firmior tamen in arbore aetatis prouectioris. Fiſſus palos et trabes domiciliis tuguriisque praebet, ſepes inde parantur pro cingendis hortis; ſub penuria melioris ignis pabulo foci inſeruit. Quod ad exortum frondium comparet reticulatum tegmen funibus domeſticis et naualibus materiem ſubminiſtrat. Ex frondibus corbes vel ſacculi texuntur et flabella pro inſectis abigendis parantur et capitis velamina conduntur. Pro vrceis et ſcutellis vacuae ſpathae conducunt, pro ſcopis racemi, rel.

Ita

Ita edulia varia praebet arbor, ſcilicet ſurculi ex axillis frondium prouenientes, praecipue ima harum baſis, medulla ipſius comae, frondes ſummae tenellae in vnum adhuc conuolutae, ſpadicis primordia; quae omnes partes vel manducari crudae poſſunt, vel cum carne veruecina coctae edi, et ex hisce bellaria varia parari ſeſe ſinunt.

FRUCTUUM ſ. DACTYLORUM vero ſummum pretium conſtituendum eſt, Hi, Φοινικοβάλανοι Graecis dicti, in ſpadicem ramoſum colliguntur. Drupam intelligimus oblongam, magnitudine prunorum, carnis, dum recens eſt et matura, pellucidae, mollis, dulciſſimae, ſubrufae. Decerpuntur dactyli paullo ante maturitatem, quo tempore acerbi ſunt, dein in cumulos proiecti ſolaribus radiis exponuntur, quo penitus emolliantur et dulceſcant. In ſiccis, qui ad nos perueniunt, figurae conicae apice obtuſo et retundato, baſi ſubinde calyce ſquamoſo ſuffulta, ſub cuticula tenui coloris badii parenchyma ſiccius rufo flaueſcens dulce et viſcoſum latet, veſtitum intus pellicula tenera niuea tenaci in fila ſaepe reſoluta. *Semen* ipſum *oſſeum* eſt, ſubcylin-

dricum, epidermide pellucida laxe veſtitum, oblongum, ſubrugoſum, albidum apice compreſſo, altera parte ſulco longitudinali notatum, altera hilo orbiculato in medio dorſi. — Differunt fructus in diuerſis arboribus multiplici modo tam gratia ſaporis quam colore, mollitie, pinguedinoſa facie aliisque notis, vnde varietates arborum plures, (quarum nomina diuerſa KAEMPFERUS recenſet *l. c. p.* 704.). Harum praeſtantiſſima KAEMPFERO iudice eſt, quae Dactylos regios ſ. Churma Siahunì fert, TAVERNIERO (*Six Voyages en Turquie tom.* 1. *p.* 686.) autem teſte iſta prope Sarun in Perſia creſcens, forſitan eiusdem varietatis. Qui ad nos transferuntur exſiccati Barbariam vulgo patriam habent, et minoris ſunt gratiae et magnitudinis, recentes autem ſiccis meliores (DEMANET *Hiſt. de l'Afrique Franc. tom.* 2. *p.* 97.), vnde Mauris in deliciis ſunt. Multum quoque facit ad praeſtantiam ſiccationis artificium.

Multae gentes ſunt, quae nulla fere alia eſca vtuntur. Per longum tractum orae Arabicae plebs nonniſi dactylis et piſce ſalito veſcitur (TAVERNIER *Voyages en Turquie en Perſe etc. tom.* 1. *p.* 243.). Mauri in ditione Maroccana

auſtrali

auſtrali abſtinent pane, acquieſcentes dactylis (DE ST. OLON *Relation de l'Empire de Maroc, p. 34.*). Fercula inſuper multiplicis formae ſuppeditant: Recentes facile a ventriculo concoquuntur et alimentum ſalubre conſtituunt, tanto aptius ſub iſto feruore coeli, qui humores ad putredinem diſponit, in qua coërcenda acor dulcibus communis ſummam vim habet. Praeſtantiores leui preſſione emittunt ſyrupi ſpeciem, qui vices butyri ſubinde in ferculis agit. Condiuntur in patria quoque dactyli hocce ſyrupo vel ſaccharo, ſicque ditioribus inſtar cupediarum ſunt. Plebi inſeruit, quod poſt expreſſionem ſyrupi remanet, vel ſicci dactyli, qui a ventriculo difficilius digeruntur. Immaturi ad ſaginandos camelos vel alia animalia adhibentur. Taceo vinum fermentatione ex dactylis aqua perfuſis parabile, et ſpiritum huius deſtillatione eruendum.

Dulcedo et viſcoſa natura pulpae dactylorum et inter medicamenta iis locum conceſſit. Aemulantur viribus maxime paſſulas et ficus, qui fructus merito, ſaltim apud nos, in vulgari praxi praeferendi, quum dactyli plerumque vetuſtate in pharmacopoliis vel indurati vel vermibus exeſi

occur-

occurrant. Recentiores demulcent ſanguinem, involuunt acre, fibras relaxant, caua lubricant. In ſtranguria igitur, tuſſi, raucedine, affectionibus calculoſis, in ſuppuratione promouenda cataplaſmatibus additi, non ſpernendi. Pretii, quod illis in hisce aſſignauerunt maiores noſtri, veſtigia adhuc ſuperſunt in SPECIEBUS DECOCTI PECTORALIS (*Ph. Würt. p.* 185.), ELECTUARIO DIAPHOENIC. (*Ph. Pariſ.*) rel. Moderate adſtringere ſunt, qui affirmant (e. c. KAEMPF. *l. c. p.* 752.), id quod vero potius de dactylis nondum maturis accipiendum arbitror.

NUCLEORUM ſiue OSSIUM dignitas multo minor. Comminuta molendinis camelis proiiciuntur deficiente meliori pabulo. In Barbaria globuli inde tornantur precatorii (HASSELQUIST *l. c. p.* 501.).

SAGVS

SAGVS *Rumph.*

499.

Pharm. SAGV vel SAGO *Grana.*

Sagus ſeu Palma farinaria RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 1. *p.* 72. *tab.* 17. 18. Arbor Zagoe Amboinenſis SEB. *Theſ. vol.* 1. *p.* 39. *tab.* 25. *fig.* 1. Sagoträdet, BRAAD in *Vet. Acad. Handl.* 1775. *p.* 142. *ſqq.* Conf. SONNERAT *Voyage à la nouv. Guinée, p.* 188. *ſq.* FORREST's *Voyage to new Guinea, p.* 39. *ſq.* Arbor creſcens in inſulis Moluccanis, vbi praecipue in inſula Ceram frequens, item in inſulis reliquis Aſiae auſtralibus, nec non in noua Guinea.

A *Cycade circinali*, cui LINNEUS Sagu grana adſcripſerat, ad hanc ſpeciem eadem refero ex iterato ſcrutinio; licet omnino et aliae quaedam palmae eorundem materiem intra truncum ſuum foueant, Elates ſylueſtris L. et Zamiae Cycadis LINN. *Suppl.* exemplo. Elate medullam quidem continet magis fibroſam, ſed conquaſſatione et aquae maceratione farinam largitur commodam in inſulis Jaua et Borneo vſitatam. Ex Zamiae dictae medulla Hottentotti ſpeciem panis parant ſpurco quidem praeparationis modo, ſed tamen

ſordidae

ſordidae hominum genti alendae non inepto (Cycas caffra THUNB. in *Act. Vpſ. nov. vol.* 2. *p.* 283. *ſqq.*).

Vix vero alia arbor, niſi Artocarpum ob fructum excipias, cognita, quae alimentum ſalutare tanta vbertate et tam exiguo labore praebeat, ſiue culturam arboris ſpectes, ſiue cibi, qui inde redundat, praeparationem. Adulta altitudinem triginta pedum aſſequitur et amplitudinem eam, vt vix amplecti vir truncum poſſit. Hic ipſe refert lignoſum tubum, pollicem circiter craſſum, medulla eduli, cui copia fibrarum per longitudinem interſeritur, farctum. Tam per ſemina quam per ſurculos radicum arbor ſeſe ipſa propagat. Cultu non indiget, ſed vaſtas ſyluas ſponte conſtituit, delectans praecipue ſolo paludoſo; ſabuloſa et excelſa loca fugit, niſi ars ſubueniat.

Frondium pro tegendis aedibus in India inſignis vtilitas. Hae igitur complicatae vel aſſerculo alligatae tantam denſitatem habent, vt vel imbribus cadentibus ne gutta quidem penetret, et rite iunctae per ſeptem ad decem annos tecti vicibus fungantur.

Vnica arbor grandior ad quadringentas vel quingentas circiter libras farinae Sagu, modo

mox

mox ſignificando praeparatae, ſuppeditat. Ad iuſtam maturitatem perueniſſe medullam cognoſcitur puluere albo ex frondibus tranſpirante, quo tum temporis illae conſperſae cernuntur (BRAAD. SONNERAT *l. c. p.* 189.). Vel per foramen eximitur explorationis cauſa tantillum medullae, quod niſi probam notam prae ſe ferat, foramen luto obturatur (RUMPH *l. c. p.* 78.), et exſpectatur ad aliud tempus. Arbor vero commoda mox prope radicem exciditur. Truncus tum ſi humilior eſt, longitudinem ſuam ſeruat; ſi vero grandior, transverſim in plures partes quinque vel ſex pedum diuiditur, et dein ſecundum longitudinem lignum ſupra aufertur, ita tamen vt ad extrema eius tantillae parti parcatur, quo poſt medullam exemtam lintrem referat. Scilicet medulla, inſtrumento vel duro ligno in ſcobem ſubacta, eximitur, dein rurſus immittitur, vt cum aqua pura affuſa ligni vel manuum ope elaborari poſſit, ſub quo negotio fibroſa pars aſſurgit, farinacea autem fundum petit. Quo vero haec ſeorſim colligatur, applicatur huius aluei parti latiſſimae ſaccus ex vagina piloſa foliorum Calappi, qui cribri munere fungitur, annexus vecti ſurſum et deorſum mobili; ſic

ſic pulpa cum aqua ad cribrum appulſa, hoc nonniſi tenuiſſimam farinam transmittit, relicta intra alueum maſſa rudiori et tenaciori; ſacco adiunctus canalis transfert aquam farina foetam in vas ſuppoſitum, vbi iſta fundum petit, aqua ipſa autem vel per inclinationem vaſis vel foramine emittitur. Fibroſum vel furfuraceum, quod remanſit ſaginandis porcis idoneum eſt (RUMPH. SONNERAT.). Haecce encheireſis licet confirmetur duobus teſtibus aptis, longo temporis tractu diremtis: non mirum tamen, in nonnullis momentis artificia quorundam Indorum differre. Malayenſes cortice trunci ſeparato, medullam in fruſtula diſcindunt et per vnum, duos plures dies, aqua macerant, donec farinoſum emollitum fuerit et fibroſum ſuperficiem petat, quod facile aufertur. Decantata aqua, reliquum corbibus immittitur et ſubigitur agitatione et affuſa per vices aqua, donec omnis farina cum aqua effluxerit in vas ſuppoſitum et ſubſidat, ſordes autem adhuc ſuperſtites aſſurgant; quo crebrius iſta colatur, eo magis albeſcit (BRAAD in *Vet. Acad. Handl.* 1775.). Farina ab hominibus in cibum vertitur. Plurima eius pars ad panem pinſendum adhibetur, parum modo ad pultem praeparandam.

Nam

Nam humida farina non diu contra acorem muniri poteſt. Inditur pro pane conficiendo farina modice ſicca modulis quadratis vel oblongis ex lapide cocto cellulis variis inſtructo, poſtquam hi primum calefacti fuerunt; ſenſim intra decem vel duodecim minuta pr. temporis iſta in panes vel offas duras coit, quae eximuntur, vt nouae farinae portioni locus ſit. Figura et magnitudo panis ceteroquin varia, color ruber vel ad rubrum accedens. Seruari ſic per plures annos poteſt. Dum edatur, emolliri antea aqua debet, et ſale vel aromatibus additis fercula non ingrata exhibet (RUMPH. SONNERAT. FORREST.). Malayenſes farinam probe depuratam in conicas maſſas reducunt, probeque obtectam ſenſim exſiccant (BRAAD).

Quod vero ad nos affertur Sagu formam GRANORUM habet, quae ipſa ſerius ab Indis videntur eſſe inuenta, nam eorundem nullam mentionem RUMPHIUS fecit. Nec grana ante annum 1729. in Anglia, nec ante a. 1740. in Gallia innotuerunt; anno autem 1744 modo in Germania eorum vſus inualuit (STECK *Diſſ. de Sagu, Argent. p.* 34.). Parantur autem ex farina nondum perfecte ſiccata e. c. ex paſtis iſtis

 conicis

conicis adhuc nonnihil humectis, easdem inter palmas conterendo, vt dehiſcant in particulas exiguas, quae agitando in ventilabro et ſupra aulaeum in grana efformantur. Vt magnitudo aequalis fiat, per cribrum transmittuntur, quibus factis primum ſole, dein intra lebetes ferreos ſuper leni igne ſiccantur, donec areſcant (BRAAD). Magnitudo horum a ſemine Braſſicae ad illud Coriandri ſupraque aſcendit, coloris albidi vel rubro fuſci, duritiei fere lapideae. Per multos annos granulatum hoc Sagu ſeruari poteſt integrum, nec mucidum fit, ſi modo ab humido aëre arcetur (Vid. exemplum Sagu per 20 annos ſupraque incorrupti in SEBAE *Theſ. vol.* I. *p.* 40.), nec a vermibus facile eroditur. Vtut durum apparet: grana tamen aqua calida decocta facile molleſcunt, intumeſcunt et pellucida fiunt, etſi figuram ſeruant, vnde ſine dubio BRUCKMANNI (*Epiſt. itiner.* 57. *p.* 5.) enatus error, nihil niſi piſcium oua exſiccata eſſe, cui vix cedit alius quorundam, ſemina ſtirpis eſſe. Decoctum, ſi refrixerit, gelatinam refert, mollem inſipidam, rufam.

Similia grana parari poſſunt ex radice Jatrophae Manihot, pulpam eiusdem poſt expreſſionem

nem venenati ſucci ſuper igne volutando, nec minus ſalubria ſunt (FAHLBERG in *Vet. Ac. Handl.* 1786. *p.* 229. *ſq.*). Sed *album* ſic dictum *Sagu* ex fabis quibusdam ſubtiliter contritis paratur, quod tamen non eam gelatinam ſecum vehit, ac verum Sagu, ſed illico aqua vel lacte coctum in farinam reſoluitur (BRAAD *l. c. p.* 147.). Grana quoque erogat amylum tuberum Solani tuberoſi; quod ipſum fertur eſſe *puluis Sagu* apud aromatorios hinc inde exſtans (WRIGHT in *Lond. med. Journal* 1787. *p.* 295.). Ex farina triticea, aqua humectata et per ſetaceum transacta, grana ſimilia parant Mauri ſub nomine Cuſcuſu (FRIEDRICHS in *Götting. Magazin ann.* 4. *P.* 1. *p.* 68.). Nempe omnia haecce cum granis Sagu in eo conueniunt, quod farinaceae naturae ſunt et aquae vi in mucilaginem vel tota vel plurimam partem reſoluuntur.

Oleis non ſoluitur Sagu, nec ſpiritu vini. Quod, etiamſi aceſcat aqua moderato igne per tempus et fermentationem ſubeat, ſpiritum inflammabilem tamen vix eroget (STECK *Diſſ. cit. p.* 34.), ignis actioni videtur adſcribendum, quam ſubiit, antequam transuehatur. Forti igne tractatum deſtillando exhibet ſpiritum acidum, oleum

 empy-

empyreumaticum, carbonem, ex quo alcali per aquam eruitur (STECK *l. c. p. 36. ſq.*). Sed non multum verae lucis de natura vegetabilium eiusmodi experimentis accenditur.

Non minorem nutriendi vim habent haecce grana, quam paſtae iſtae, quas Indi ex medulla arboris parant, et quas in quotidianum vſum vertunt. Quum vero tota in mucilaginem non tenacem vel viſcoſam reſoluantur, quae breui in maſſam ſanguineam diſtribuitur: nutriunt absque ventriculi grauamine, et iis praecipue conducunt, qui ſtomachi debilitate laborant. Hinc vero fit, vt robuſtis non ſufficiat, ſed vt hi mox ſatiata Sagu fame nouum edendi ſtimulum ſentiant. Commendationi quoque cedit hoc, quod difficilius, quam cerealia in acorem degenerant, nec flatibus adeo moleſta ſunt. Ditiorum in Europa menſas ingrediuntur haud raro iuſcula, inde aqua vel iure carneo, vel lacte vel vino albo, ſiue, quod praeſtat, rubro cocta, et vario grato pro liquidi varietate additamento, ſucci et flauedinis Citri, Cinnamomi, ſacchari rel. condita. Ars coquinaria inſuper pulmenta grata (Pudding) inde inuenit. Frigidae quoque gelatinae ex Sagu palato

palato haud parum placent. Tenellae aetati ob facilem digeſtionem grana haecce aqua cum tantillo lacte cocta accommodatiſſimum cibum largiuntur. Nec minus reſarciunt egregie iacturam humorum, qua phthiſici emaciantur, et acre ad febrem in hisce vellicans obtundunt, horumque vires eximie refocillant. Anglis igitur iam dudum hocce fine arriſerunt. Huc et ſpectat ventilata Pariſiis diſſertatio (*An Sagou phthiſicis prodeſt? auct.* MALOVIN 1729 *et* 1734.). Sic in qualibet alia tabe et bonorum ſuccorum penuria conducit et quolibet morbo, qui demulcente et obtundente remedio opus habet, quorſum arthritis aluique profluuia varia.

ORDO XLIV.

PIPERITAE.

PIPER.

LINN. *Syſt veg. p.* 68. *Gen. pl. p.* 19.

500.

Pharm. PIPER *nigrum.*
album.

Piper nigrum; foliis ouatis ſubſeptemneruiis glabris, petiolis ſimpliciſſimis LINN. *Spec. pl. p.* 40. Piper rotundum nigrum PLUKENET *Almag. p.* 297. *tab.* 437. *fig.* 1. Piper nigrum CAMELLI *de plant. Philippenſ.* in *Phil. Tranſ. vol.* 24. *p.* 1773, Lada, aliis Molanga ſ. Piper mas PISON. *Mant. aromat. p.* 180. *c. ic.* Molagocodi *Hort. Malab. vol.* 7. *p.* 23. *tab.* 12. Pepper Plant MARSDEN's *Hiſtory of Sumatra, p.* 105. *ſqq.* Icones praeterquam dictae exſtant in MILLERI *Illuſtr. ſyſt. ſex.* et REGNAULT *Botan.* Le Poivre noir. Eſt planta fruteſcens ſarmentoſa, radiculas in caule protrudens, in

India

India orientali quidem ſpontanea, ſed ignobilem et amarum fructum fert, niſi cultura ſubueniat.

Haec in Malacca, Jaua, praecipue autem Sumatra, tam feliciter ſuccedit, vt per totum orbem inde Piper transmitti queat. Loca commodiſſima pro ea ſunt prope fluuios, tam ob fertilitatem ſoli, quam ob aquae, qua rigentur plantae, opportunitatem; verum et vigent ſtirpes ſolo ſicciori, quale prope aſcenſum montium eſt. Sumatrani autem, indulgentes ignauiae, praeferunt vetuſtas ſyluas, in quibus putreſcentes arborum trunci et frondes deciduae fertilem terram reddunt (MARSDEN). In vlteriorem praeparationem accendunt, quicquid arborum fruticumque ibi reperiundum eſt. Solo igitur rite adaptato et ſpatiis regularibus rectilineis et parallelis diuiſo, commoda diſtantia, orgyae circiter, inſiguntur terrae rami abſciſſi arboris (Chinkareens, Fauſel apud PISONEM et GARCIAM), qui fulcimento plantarum Piperis inſeruire debent. Hi, licet videantur radicibus ſuis ſucci partem ingurgitare, perticis vſitatis a quibusdam eo praeſtant, quod non quotannis mutari debent, et foliis emergentibus neceſſariam vmbram tenellis plantis ſuppeditant.

Prope haecce fulcra poſtquam radices egerunt, et ſummitates abſciſſae fuerunt, ſurculi Piperis ex radice pullulantes reſecti plantantur, duo ſcilicet plerumque ad vnum fulcrum, qui adoleſcentes circa fulcra ſeſe circumuoluunt. Poſt triennium hi, ne ſtirpes ſenſim, prae ſucci diſpendio, pereant, praeſcinduntur diſtantia trium pedum a ſolo et apices reclinantur horizontalique ſitu eidem immittuntur. Non opus eſt plura de cura, qua ſolum ab aduentitiis plantis purgatur, et de ſollertia, qua ſurculi truncorum auferuntur, hic dicere (Conf. MARSDEN).

Tertio anno poſt plantationem fructum ferre ſolet ſtirps pro indole ſoli, huiusque prouentus per annum vnum, duo, tres dein continuat, raro meſſis in viceſimum annum vſque iteratur. Societatis commerciorum Europaeae miniſtri quotannis ſollicite in conditionem harum plantationum inquirunt, et paſſim poenis paſſim praemiis diſtributis culturam promouent (MARSDEN. Conf. et ESCHELS-KROON *Beſchr. d. J. Sumatra p. 34.*).

Fructus, qui bacca eſt, in racemos longos colligitur, et quatuor vel quinque menſes pro maturatione deſiderat. Color baccarum initio viridis

ridis matureſcendo ruber euadit. Quoniam hae facile decidunt, nec eodem tempore in racemo maturae fiunt, opus eſt auellere racemos ad prima maturitatis indicía, nec baccas virides legere. Siccantur tum diſperſae per aulaea vel in ſolo duro; ſicque et mutant colorem in nigrum et corrugantur. Agitando ſeparatur dein quicquid alieni eſt. Iuſto praecocius lectae facile in pulverem ex vno loco in alterum translatae dilabuntur. Et hoc quidem *Piper nigrum* eſt.

Piper album autem dicitur, ſi baccae perfecte maturae et optimae notae externo ſuo tegmine orbantur; quoniam quod remanet albidum eſt. Vilior ſpecies illa eſt ex baccis ſponte delapſis indeque collectis (MARSDEN *l. c. p.* 106.). Sed vt praeſtantior obtineatur, immerguntur circiter per duas hebdomades baccae aquae intra foueas prope fluuios vel in vliginibus ſtagnanti, donec intumeſcendo externum tegmen crepuerit, a quo poſtea ſiccatione in ſole et contritione inter manus liberantur (MARSDEN. Cfr. PISO.). Errauit igitur GARCIAS (*Hiſt. arom. apud* CLUS. *exot. p.* 182.), Piper vtrumque ex diuerſis ſtirpibus peti, etiamſi de reliquo ſibimet ſimillimis

 pronun-

pronuncians. Nec ſatis verum, in aqua marina macerationem baccarum fieri (vt quidem PISO indicat), vel aqua ſalſa (vt RUMPHIUS in *Herb. Amb. vol.* 5. *p.* 335.). Nec diſcrimen vnice conſiſtit in maturitate diuerſa (quam perfectam quidem tribuit Piperi albo CAMELLUS *l. c.*) Triplo pretio olim venit album; iam autem decrementum valor cepit, vnde iniunctum ab Anglica mercatorum ſocietate in Sumatra, vt parca eius modo quantitas pararetur (MARSDEN *l. c. p.* 118.). Hoc ſine dubio in cauſa fuit, nec vt ESCHELS-KROON arbitratur, ignauia incolarum, vt hodie in Sumatra tantillum modo eius proſtet. Lucrum, quod ex vtroque Pipere redundat Belgicae et Anglicae ſocietati mercatoriae, perſequi non huius loci eſt. (Calculos varios de hac re ſiſtunt MARSDEN *l. c. p.* 104. ESCHELS-KROON *l. c. p.* 58.).

Piper nigrum igitur nigredine et rugis mox diſtinguitur ab altero. Vtrumque ſphaericum eſt magnitudine piſi minoris, intus albidum. Licet album nonniſi optimae et maturae omnino baccae largiantur: ob macerationem in aqua tamen et iacturam aromaticae cuticulae debilius cenſendum nigro eſt. Sapor acris et calidus eſt, maſticatione os et fauces igneo ſenſu afficiens; in Pipere nigro ferui-

feruidior; odor aromaticus quidem ſed debilior, quam in aliis aromatibus bene multis. Aquae valde bibulum eſt. Hinc Indi illud adhibent ad ſiccitatem rerum, quae aëre deliqueſcunt, ſeruandam. Solent quoque nauium praefecti, qui Piper ex Indiis ad nos transferunt, aceruos horum granorum in itinere aqua marina ſuperiniecta humectare; an ob lucrum, an alia de cauſa, incertum eſt (GAUB. *Aduerſ. p.* 51.).

Aqua Piperis nigri deſtillata odore et ſapore Piperis, attamen mitiori, quam illud, inſtruitur. Vna cum ea aſcendit ſub deſtillatione *Oleum*; ſub finem adeo operis. Recens illud fere excolor vetuſtate in aureum tranſit. Fluidum eſt, aqua leuius, odore Piperis, ſapore ſimili, ſed blando nec tam mordaci, vt in Pipere manducato, et mox inter guſtandum euanido (Bene quoque iam in *Horto Malab. l. c. p.* 24. notatum, parum acre eſſe). Libra vna Piperis nonniſi olei drachmas duas emittit, niſi aqua iam ad eius deſtillationem adhibita paretur. Libra vna Piperis impertit quingentis et quinquaginta adeo aquae libris ſaporem ſuum coctione, etiamſi oleoſa parte deſtillatione ante priuatum fuerit; cineres ex reſiduo combuſto nihil ſalis continent, ſed particulas magnete eliciendas.

ciendas. Verum Piperis nigri recens combuſti vnciae octo erogant cinerum ſalſorum acrium drachmas duas cum granis quadraginta, vnde elixando cum aqua emergit ſal ſubfuſcus acris, ſyrupum Violarum viridefaciens, cum acidis ebulliens, mercurium ſublimatum colore aurantio turbans, ſuper pruna crepitans, cum acido vitrioli ſal mirabile Glauberi conſtituens. Itaque alcali minerale certo infuit. Veſtigia quoque adſunt praeſentis ſalis veſci. Inhaeret praeterea Piperi pinguedo quaedam, partim ceraceae, partim gummoſae naturae, quae ſapidum Piperis in ſe continet. Alcohol vini Pipere digeſtum ex rubro nigricat, et poſtquam iſtud ſolubilibus partibus ſic imbutum fuerit, reliquum Piperis ad guſtum odoremque iners omnino eſt (Vid. GAUB. *Adverſ. p.* 55. *ſqq.*).

Acre iſtud haecce ſtirps cum aliis cognatis huius ordinis commune habet et nominatim pluribus Piperis ſpeciebus, vti vel vſus familiaris demonſtrat, inſidet, quarum vel folia, Piperis Malamiri, Siriboae exemplo, vel fructus, vti Piperis longi, Cubebae, Amalaginis (BROWNE's *nat. Hiſt. of Jam. p.* 121. a quo fructus dicitur Smallgraind black Pepper.) praeter Piper nigrum vſurpantur.

De

De hoc vero conſtitit, non baccas modo, ſed et folia virentia, ſarmenta, radicem, acrimonia praedita eſſe inſigni aromatica.

Piper aromatum vulgatiſſimum eſt pro condiendo cibo tam apud Indos, quam in Europa. Excuſari hicce mos Europaeis potius ſub temperato climate degentibus videtur, quam Indis, quibus coelum ardentiſſimum contingit. Certe hi experientia annoſa ducti innocuum, vel copioſe inter cibos, ſalſamenta, acetaria captum pronunciant, et reliquis aromatibus ſalubritate praeſtantius; imo non calefacere ſed refrigerare tenaces affirmant: prouti et alia fortiora aromata, Galangam, Zingiber, Capſicum rel. auidius, quam alibi fit, ingerunt. Scilicet in regionibus calidioribus vi caloris et humidi aëris perpetuo grauantis relaxantur fibrae totius corporis, imminuitur ſenſus motusque vigor, et praeprimis officina concoctionis elangueſcit, vnde et hae gentes pro ciendo vomitu inſignioribus emetici doſibus opus habent. Stimulo igitur maiori ventriculus apud haſce indiget, vt ſuo officio ſatisfaciat. Non dubitant adeo iſtae in febribus aegris Piper offerre (GROSE *Voyages aux Indes orientales*, *p.* 337. Conf. DE LA FLOTTE *Eſſais*

Eſſais hiſtoriques ſur l'Inde, p. 244.) — Sed quod ad Europaeos, non licet a ſenſu mordacitatis Pipere in lingua ſuſcitato ad ſimilem in ventriculo concludere, quum variare ſenſum in diuerſis neruis dubio careat. Quin tentamine ex induſtria repetitis vicibus facto tantum abfuit, vt in ventriculo aeſtus ſentiretur, vt potius frigus ſuccederet; nec pulſus inde incrementum cepit (GAUB. *Adverſ. p.* 73.). Nolo huc pro apologia Piperis trahere morem borealium quorundam populorum, qui vinum aduſtum Pipere impraegnatum ingerunt, ſpiritus vini inflammantem vim attemperaturi; nam in aſſuetis potulento ſpirituoſo notum, ſenſim neruos ventriculi occaleſcere, vt modo fortioribus ſtimulis ſuſcitentur. Diſtinguendum vtique eſt inter ea aromata, quorum exaeſtuans potentia, in oleo calido aethereo latens, vniuerſalem humorum commotionem efficit, et Piper, quod eiusmodi oleum non continet, et modice ingeſtum topicum modo ſtimulum excitat. Hinc commode variis ferculis non ſaporis vnice cauſa, ſed pro adiuuanda ciborum digeſtione vſu quotidiano additur.

Verum ipſi ventriculo labefactato ſubuenit, et incommoda inde nata tollit. Ita in vertigine

ex

ex hoc vitio orta confert grana quatuor vel quinque Piperis albi integra mane per aliquot dies ingerere (V. ROSENSTEIN *Hus-och Reſe-Apot. p.* 43. Conf. FR. HOFFM. *Diſſ. de praeſtantia remed. domeſt.* §. 26.). Sic hemicrania eiusdem fontis granis duodecim integris mane per octiduum deglutitis aliquando ſiluit (Auctor libri *der Arzt* et LANGE in *Tent. de remediis Brunſvic. domeſt. p.* 118. et in *Miſc. verit. med. p.* 69.). Facile patet magis Piper calefacere, ſi in puluerem contritus, quam integris granis, ingeritur, quae parum mutata aluo deiiciuntur. Hinc, ex copia magna contriti Piperis deglutita, feruidiſſima et periculoſa febris exarſit SWIETEN *Comment. in* BOERH. *Aphor. vol.* 2. *p.* 31.). Tanto nocentius erit Piper, improuide vſurpatum, ſi febris vere iam infeſtat, quod tamen multis in locis e. c. in Dania, ducatu Brunſvicenſi, ditione Erlangenſi, in connubio vehiculi, oleum flammae manifeſte addentis, ſpiritus ſcilicet vini ad debellandam febrem intermittentem in vſu eſt. Triſtia eius exempla paſſim leguntur. Enata inde dira cephalalgia (*Act. Soc. med. Havn. vol.* 1. *p.* 386.), item oedematoſus corporis habitus cum fluctuatione abdominis (*l. c. p.* 386.). Verum in aliis praeſentaneum damnum ſubſequutum, inflamma-

Ad meum aliorumque quorundam ſenſum in lingua acrius et calidius adhuc eſt Piper longum reliquis dictis ſpeciebus. Extractum ſpirituoſum quoque longe magis linguam adurit. Decoctum multum mucilaginis ſuppeditat (LEWIS *M. m. p.* 454.).

Indis hocce Piper non tantum inſtar condimenti ciborum ac medicaminis frequentatur, ſolentque hi admiſcere illud iis, quae contra tormina, flatus et borborygmos ex frigore et muco ortos adhibent, nec non vnguentis paralyſi ſuperandae opportunis (RUMPH.) iisque, quibus contra dolores artuum ex frigore vtuntur (PISO). Aduerſus diuturnum ſtomachi languorem aquam bibunt, cui infuſa copia larga Piperis fuit. Virens adhuc fructus muria vel aceto conditus, fercula eorum gratiora reddit (ID.).

Quaedam dictarum virtutum ſine dubio etiam in noſtra corpora quadrant, ſed conſuetudo nos in alia medicamenta pro iisdem ſcopis deduxit, ita vt P. longi vſus in Europaeorum praxi medica omnino euiluerit et vires ad congeneres ſpecies merito referantur.

502.

Pharm. CVBEBAE; PIPER CAVDATVM quibusdam.

Piper Cubeba; foliis oblique ouatis ſ. oblongis venoſis acutis, ſpica ſolitaria pedunculata oppoſitifolia, fructibus pedicellatis LINN. *Suppl. pl. p.* 90. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 74. Cubebae CLUS. *exot. p.* 184. Cubebae officinarum CAMELLI in *Phil. Tranſ. vol.* 24. *p.* 1773. Recentius ex numero vegetabilium, de quorum ſpecie non conſtat, in Piperis genus Cubebas transferre non dubitatum eſt, cui quidem iam eas adiudicauerat CAMELLI. Generantur in frutice inſularum Philippinarum Jauaeque, item Guineae. Pauciſſima de eo memoriae prodita ſunt, et de collectione fructuum nihil.

CUBEBAE ſunt baccae aridae globoſae, fuſcae vel griſeae, rugoſae, magnitudine plerumque grani Piperis nigri, pedunculo gracili lineam longo inſtructae. Fractae offerunt teſtam fragilem et granulum ſeu nucleum diametri multo minoris, cuius epidermis bruna, parenchyma albidum, ſuboleoſum. Nucleus teſta longe calidior. Nempe vtraque pars maſticata calore totum os replet cum

In relaxatione vuulae a catarrhali cauſa iuuat puluerem Piperis cum ſale culinari manubrii cochlearis ope admouere.

PRAEPARATVM.

OLEUM DESTILLATUM PIPERIS. De natura huius olei varia iamiam commemorata ſunt; non tam calidum eſſe, ac plerique arbitrantur, quoque expoſui. Raro noſtro tempore capiendum ore praecipitur ad paucas guttulas a medicis. Circumforaneis magis placet, et quidem in morbis quibusdam ſonticis, vt paralyſi ac epileſia inueterata, vbi temeritas ſubinde efficit, quod arte fieri nequit (Conf. LANGE *med. Brunſv. dom. p.* 117.). Hoc quoque in febribus intermittentibus ad guttulas duas vel tres olim quorundam auctorum plauſum tulit. Quicquid huius ſit, oleum tamen, ante acceſſum febris regioni vmbilicali inunctum, horrorem febrilem et frigus coërcere magnam partem valuit (LANGE *l. c.*).

501.

501.

Pharm. PIPER LONGVM.

Piper longum; foliis cordatis ſeſſilibusque LINN. *Spec. pl. p.* 41. Pimpilim ſ. Piper longum PIS. *Mant. aromat. p.* 182. Piper longum CLUS. *exot. p.* 20. 183. RUMPH. *Herb. Amb. tom.* 5. *p.* 333. *tab.* 116. *fig.* 2. Depicta quoque in REGNAULT *Botan.* Le Poivre long. Planta fruteſcens ſarmentoſa, radicibus ſuis adhaerens vicinis arboribus. In Amboina, Jaua, Bengala aliisque regionibus Indiae orientalis habitat.

PIPERIS LONGI nomine non baccae ſ. grana ſola veniunt, ſed iuncta cum pulpa, intra quam latent. Haec, ſi recens eſt, mollis et rubra dulcisque apparet; grana ipſa autem matura et recentia dura et nigricantia ſunt et feruidi acrisque ſaporis. Feruidior tamen ſapor eſt in fructibus ſemimaturis, quare virides decerpuntur et ad focum vel ſoli expoſiti exſiccantur, vnde indureſcunt (RUMPH.) in corpus pallide cinereum ſubcylindricum, tuberculatum granulis exiguis oblique diſpoſitis, baſi paullo latius, longitudine ſemipollicis, latitudine baſeos ſeſquilineae. Granula, quae vix ſeparari ſigillatim poſſunt, parenchyma album continent.

 Ad

Ad meum aliorumque quorundam ſenſum in lingua acrius et calidius adhuc eſt Piper longum reliquis dictis ſpeciebus. Extractum ſpirituoſum quoque longe magis linguam adurit. Decoctum multum mucilaginis ſuppeditat (LEWIS *M. m. p.* 454.).

Indis hocce Piper non tantum inſtar condimenti ciborum ac medicaminis frequentatur, ſolentque hi admiſcere illud iis, quae contra tormina, flatus et borborygmos ex frigore et muco ortos adhibent, nec non vnguentis paralyſi ſuperandae opportunis (RUMPH.) iisque, quibus contra dolores artuum ex frigore vtuntur (PISO). Aduerſus diuturnum ſtomachi languorem aquam bibunt, cui infuſa copia larga Piperis fuit. Virens adhuc fructus muria vel aceto conditus, fercula eorum gratiora reddit (ID.).

Quaedam dictarum virtutum ſine dubio etiam in noſtra corpora quadrant, ſed conſuetudo nos in alia medicamenta pro iisdem ſcopis deduxit, ita vt P. longi vſus in Europaeorum praxi medica omnino euiluerit et vires ad congeneres ſpecies merito referantur.

502.

Pharm. CVBEBAE; PIPER CAVDATVM quibusdam.

Piper Cubeba; foliis oblique ouatis ſ. oblongis venoſis acutis, ſpica ſolitaria pedunculata oppoſitifolia, fructibus pedicellatis LINN. *Suppl. pl. p.* 90. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 74. Cubebae CLUS. *exot. p.* 184. Cubebae officinarum CAMELLI in *Phil. Tranſ. vol.* 24. *p.* 1773. Recentius ex numero vegetabilium, de quorum ſpecie non conſtat, in Piperis genus Cubebas transferre non dubitatum eſt, cui quidem iam eas adiudicauerat CAMELLI. Generantur in frutice inſularum Philippinarum Jauaeque, item Guineae. Pauciſſima de eo memoriae prodita ſunt, et de collectione fructuum nihil.

CUBEBAE ſunt baccae aridae globoſae, fuſcae vel griſeae, rugoſae, magnitudine plerumque grani Piperis nigri, pedunculo gracili lineam longo inſtructae. Fractae offerunt teſtam fragilem et granulum ſeu nucleum diametri multo minoris, cuius epidermis bruna, parenchyma albidum, ſuboleoſum. Nucleus teſta longe calidior. Nempe vtraque pars maſticata calore totum os replet cum

amaritie leui halitumque oris fragrantem reddit. Non facile vermium arroſionibus tentantur.

ACTUARII vocem Κομβεβα vel Κομπεβα, qui primus ea vtitur, quidam huc trahunt. Quod aeque difficile diiudicatur, ac an verum ſit, Arabum Cubebas cum noſtris easdem eſſe. Relego, qui hisce deliciis demulceri cupiant, ad WEDELII *Diſſ. de Cubebis*, 1705.

Non in oleo latet feruor huius aromatis, nam oleum deſtillatione erutum blandi ſaporis eſt, et quod remanet decoctione cum aqua erogat extractum valde pungens et calidum, ſpirituoſum autem extractum acrius multo exiſtit. Cubebarum librae duae cum dimidia largiuntur olei vncias duas cum drachma vna, coloris dilute viridis, fere inodori, ſpiſſitudine inſtar olei amygdalarum dulcium (BAUMÉ *Elemens de Pharmacie P.* 2. *p.* 41.) — Tam haecce vero praeparata, quam Cubebae ipſae, multum acrimonia et calida natura inferiora ſunt Pipere nigro.

Aroma hocce rarius medicis vſui venit, non defraudandum tamen ſua in ventriculo debili corrigendo efficacia, nam ſtimulat eum, ſubigit tenaçem,

tenacem, qua obducitur ſaepe, pituitam, et flatus diſcutit. Nominatim in vertigine ex labe hacce oriunda valet. Vnde et ſaccharo obductum apud piſtores dulciarios proſtat, quo ex arbitrio vtuntur foeminae ſaepe hyſtericae. Alias pulueris forma ad pauca grana cum ſaccharo ingeri poteſt.

PRAEPARATVM.

OLEUM DESTILLATUM. De quo ſupra.

ACORVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 297. *Gen. pl. p.* 172.

503.

Pharm. ACORI VERI *Radix.*
CALAMI VVLGARIS *Radix.*

Acorus Calamus; *Spec. pl. p.* 462. Duplex eius varietas exſtat, etiam in libris de materia medica notata: *a*) *Acorus verus* ſ. Acorus *aſiaticus*, radice tenuiore HERM. *Hort. Lugd. bat. p.* 9. BURM. *Theſ. Zeyl. p.* 6. Acorum, Deryngo RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 5. *p.* 178. *tab.* 72. *fig.* 1. Va embu RHEED. *Hort. Malab. tom. II. p.* 99. *tab.* 48. absque flore. In Malabaria, Zeylona, Amboina et aliis locis Indiae orientalis ſpontanea, non ſolum humidis

locis, ſed et ſiccis et elatis. Terreſtris omnes partes teneriores et anguſtiores ſunt, et ſaporem magis feruentem et acriorem habet. *β) Calamus vulgaris*, Acorus verus ſ. aromaticus officinarum *C. B.* Icon: REGNAULT *Botan.* Le Ionc odorant. In foſſis, piſcinis ſtagnisque Europae creber. Planta perennis.

RADIX Acori Aſiatici crebrius geniculatā eſt, compactior, rufeſcens, odore fragrantiori, ſapore non grate modo aromatico, ſed et leuiter amaro. Adhuc in India celebratur; nempe maſticatur eius particula contra aërem malignum ieiuno ventriculo, et decocta melle vel aqua ſaccharata ad attenuandam pituitam pulmones grauantem adhibetur, praeter alios vſus minus imitatione dignos.

Raro autem hodie in officinis obuiam venit, et acquieſcere commode poſſumus *Calami vulgaris* RADICE. Haec longa, digitum circiter craſſa, ſubcompreſſa, geniculata eſt, notata, prout ſeruatur, deorſum cicatriculis numeroſis ex reſectis radiculis, extus pallide bruna, interne albida et ſpongioſae texturae. Saporem prae ſe fert aromaticum pungentem calidum cum leui amaritie, odorem diſſecta fragrantem.

Aqua

Aqua amaras partes optime extrahit, ſpiritus vini aromaticas. Deſtillatione cum aqua obtinetur aqua fragrans, vnaque tantillum olei, ſcilicet ex radicis libris quinquaginta olei vncias duas elicuit FRID. HOFFMANNUS (*Obſ. chym. p.* 8.), ex libra autem radicis vna, olei drachmam vnam vel ſcrupulos modo duos NEUMANNUS (*Chym. vol.* 2. *P. I. p.* 272.) et CARTHEUSERUS (*Mat. med. tom.* 2. *p.* 79.): quod remanet poſt deſtillationem nauſeoſe amarum eſt.

Inter indigena aromata palmam facile ſenſu, quem linguae imprimit, et vi reliquis praeripit. Folia ipſa grate odora, vnde facile euitari poteſt confuſio rhizotomorum cum Iride Pſeudacoro, quae et olim inualuit. Ad praeſtantiora ſtomachica pertinet iis caſibus, quibus aromata conducunt, quos articulo Piperis determinaui. Delicatioribus hoc fine placet radix ſaccharo condita. Vertiginis eſſe remedium, ſi ex vitio ventriculi proficiſcitur, pariter experientia conſtat (DE MAYERNE *Prax. med. p.* 59.).

Antiſepticam ſuam efficaciam prodidit experimentis cum ſanguine inſtitutis. Alia edocuerunt ſcorbutum ea ſubigi poſſe. Qui in ergaſtulo Mo-

 naſte-

naſterienſi ex aëre corrupto hominum arcto nimis ſpatio collectorum ortus fuit ſcorbutus, huic medela exſtitit puluis radicis huius, quotidie ſexies vel octies ad ſcrupulos duos cum ſacchari granis viginti datus. Qui faſtidiebant puluerem, hisce in electuario data eſt radix. Profuit etiam cereviſia, cuius, quum coqueretur, cuilibet cado libra dimidia radicis ſiccatae addita fuerat. Stomacacen coërcuit ſpiritus ſalis et Calami aromatici cum melle et aqua Saluiae, ſubinde tantillo aluminis (HOFFMANN *vom Scharbock, v. d. Luſtſeuche etc. p.* 256.). Tentata et in Suecia a verbi diuini miniſtro radix Calami in ſcabie ſcorbutica (*Veckoſkriſt för Läkare vol.* 6. *p.* 331.), ſed ambigua redditur medicaminis virtus ſub aliorum efficacium connubio.

Ita momenta deſiderantur ſigillatim enucleata, antequam in febribus intermittentibus noua pericula tuto fiant, quas tamen empiricum puluere Calami ſedaſſe, cortice Peruuiano fruſtra adhibito, legimus (*Act. ſociet. med. Havn. vol.* 2. *p.* 206.).

Laus eius in ſiſtenda narium haemorrhagia et ſanguinis profluuio poſt abortum, quam cl. LE BEAU profert

profert (*Journ. en Medec. vol.* 10. *p.* 373.) ſuſpecta in aromate eſt; vt fere Pſeudacorum eſſe ſumtum coniicias.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONFECTIO RADICUM CALAMI AROMATICI SICCA a piſtoribus dulciariis ſolet parari. Virtus ſupra recenſita.

AQUA DESTILLATA.

OLEUM DESTILLATUM.

EXTRACTUM *Ph. W. p.* 89. Duplex iungitur, ſpirituoſum ſcilicet et aquoſum.

ELIXIR VITAE MATTHIOLI; ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI. Inter tot alia hanc radicem admixtam habent.

ARVM.

A R V M.

LINN. *Syſt. veg. p.* 690. *Gen. pl. p.* 470.

504.

Pharm. ARI vel (perperam) ARONIS *Radix; Herba.*

Arum maculatum; acaule, foliis haſtatis integerrimis, ſpadice clauato LINN. *Spec. pl. p.* 1370. *α.* Arum vulgare non maculatum C. B. *β.* Arum vulgare maculatum C. B. Αρον Graecorum, quantum iudicare licet. Icon: *Fl. Dan. tab.* 505. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Pl. perennis in nemoribus et vmbroſis Europae temperatioris creſcens.

Vſus varietatis vtriusque idem, prout nec in Pulmonaria macularum ratio habetur.

RADIX recens ouata, pollicem circiter craſſa, fibris paucis infra inſtructa, epidermide ſubbruna, carne alba, quae ſucco lacteo ſcatet, non valde acri et multo mitiori, quam alter ſuccus aquoſus, qui radici pariter ineſt. Applicata linguae vel maſticata poſt aliquod temporis ſpatium punctionis et vſtionis ſenſum excitat, per plures horas durabilem, ſed pinguedinoſis mitigandum. Si digitis conteritur, cutis corroditur. Sic applicata in tenella cute eius particula veſiculam ſuſcitat, in duriori

riori autem non item. Odore caret omni. Attamen acre volatilis naturae eſt, nempe ſiccando radix inſigniter miteſcit, quin, ſi fortiori igne torretur, inſipida fit et farinaceam naturam induit. Liberari quoque poteſt radix acredine ſua crebriori et repetita per aquam lotione. Succus per expreſſionem radicis recentis elicitus ſyrupum Violarum viridem reddit et coagulum init cum acidis mineralibus (J. AUG. PH. GESSNER in *Fränk. Samml. a. d. Naturl., Arzneyg. etc. vol.* 7. *p.* 298.). Extractum, quod ſedimento depoſito ex ſucco paratur, et cuius grana quadraginta quatuor ex ſucci vncia vna redundant, nauſeoſo dulce eſt. Sedimentum autem ipſum ſpeciem glutinis craſſi adipiſcitur. Neque extractum ſpirituoſum, neque aquoſum, ex ſicca radice acre eſt, ſed dulce modo et oleoſum. Tinctura ſpirituoſa ſi deſtillatur, ſurgunt aliquot guttulae olei acris et amari, ſapore eſſentiae Pimpinellae. Reſiduum poſt expreſſionem ſucci, item poſt extractionem ſpirituoſam, glutinoſam vel mucoſam naturam habet (*l. c.*).

HERBA ſ. FOLIA acriora ſunt multo radice, quod vel ſola eorum guſtatio item praeparata varia docent. Succus, qui mox ab expreſſione prodit,

fere

fere inſipidus; alter tanto acrior et viridans Violarum ſyrupum. Sedimento depoſito, clara eius pars igne miti coagulatur. Extractum inde factum dulce et modice acre eſt (GESSNER *l. c. p.* 302.), prout et decoctum denſatum dulce ſimulque acre exiſtit. Etiam in foliis latet pauxillum olei acris, ſaporis Pimpinellae (*l. c. p.* 308.).

Si olei ratio habeatur: ſpiritus vini optimum Ari menſtruum eſt.

Torrefactione radicum ex variis congeneribus ſpeciebus emergit farina ſalubris eſculenta, exemplo Ari Colocaſiae, A. eſculenti rel. quorum in inſulis Aſiae orientalibus (RUMPH. *Herb. Amb. tom.* 5. *p.* 313. 318.) hoc nomine creber vſus fit, prout radicis affinis plantae, Callae paluſtris (LINN. *Fl. Lappon. p.* 250. item HELLENII et WALLENII *Diſſ. om Finſka allmogens nödbröd, Åbo* 1782. *p.* 20.), in Weſtrobothnia et Oſtrobothnia. Nullum dubium, quin eodem modo in hunc finem tractari poſſet radix Ari vulgaris noſtri. Sed lotio repetita conquaſſatae radicis cum aqua aptior viſa fuit: ſic amylum obtinetur aeque mite ac ab optimo Tritico, ita vt ad finem nonniſi exſiccatione eius opus ſit. Sic et placentarum materiem aptam praebet: gluten

vero,

vero, quo inter encheireſin amylum tegitur, collam exhibet conglutinandis variis accommodatam (V. JACQUET *decouverte d'un nouvel Amidon* in *Nouvelles ephemerides economiques, tom.* 10. *p.* 36-91.). Hiſce experimentis enatum conſilium colendi fine oeconomico plantam. Dicta quoque euincunt, radicem particulas bene et ſalubriter nutrientes continere.

In medicum vſum vix ſuccoſa radix amplius adhibetur. BOERHAAVIUS recentem radicem cum aliis commixtam in pilulis dedit (*Aphor. p.* 48.). Mentio fit hominis ebrioſi (*Fränk. Samml. l. c. p.* 296.), qui, quamdiu recens adfuerit ſtirps, omni mane radicis raſae quantum cuſpide cultri capi poſſet deglutitione repentina impune ingeſſit. Sed vulgare eſt ſicca vti. Haec compacta albaque eſt inſtar farinaceae paſtae induratae. Niſi diu ſeruata fuerit, poſt aliquam guſtationis moram pungit linguam eamque leuiter excoriat. Nimis vetuſta inſipida omnino eſt, ſimulque caret omni efficacia. Serius vero ſufflaminatur acre in meditullio radicis quam exteriori parte, hinc ferri iſtud ſaepe poteſt, dum haec reiicitur. Colligi debet autumnali tempore poſt maturationem ſeminum, quoniam tum efficacior eſt et omnium minime

exſicca-

exſiccatione corrugatur; poſt ſiccationem autem ſeruari vaſis bene clauſis, et ab acceſſu aëris humidi arceri.

Omnium conſenſu ſiccae radici vis incidendi et reſoluendi pituitam tenacem et blande ſtimulandi ineſt, pluraque indicia adſunt, ſaponem virtute aemulari. Merito inter ea collocatur, quae vim in glutinoſo ſpontaneo pathologorum egregiam habent. In vitiis pectoris chronicis veteres eam multis laudibus excitarunt (DIOSCOR. *M. m. lib.* 2. *c.* 197. qui ſtirpem cum Dracunculo ſuo comparat PLIN. *Hiſt. nat. lib.* 24. *c.* 16.), confirmatis quoad partem recentiori experientia. Huius generis eſt aſthma pituitoſum. Ita et radix raucitatem diuturnam ſuſtulit caſu obſtinato cum ſaccharo cando miſta et in linctum ope ſyrupi redacta (HORST. *lib.* 3. *obſ.* 24. *Oper. tom.* 2. *p.* 156.). In phthiſi vlceroſa illi et antiquitus multum tributum. Vt in recentioribus teſtimoniis ſubſiſtam, citanda ſunt exempla trium virorum et vnius foeminae a cl. GESNERO (*Fränk. Samml. loc. cit. p.* 315.) Ari beneficio ab hac phthiſi ſanatorum et aliorum leuamen inſigne inde expertorum. Extractum vinoſum ex aequalibus partibus radicum et foliorum praecipue

cipue illi in hunc finem arriſit, vnde ſcreatus eximie ſucceſſerunt (*Sammlung v. Beobacht. a. d. Arzneyg. vol.* 1. *p.* 148.). Stomacho languenti ſubuenit potius ſtimulando et incidendo tenacem pituitam, quam roborando, vnde puluis ſtomachicus BIRKMANNI tantum inclaruit; qui, vel ſimilis, puluis in cephalalgia ex hoc fonte oriunda quoque proficuus (BERGII *Mat. med. p.* 723.). Ad ſcrupulum vnum ſupraque puluis eius dari poteſt.

Externe inſpergitur vlceribus aliquando puluis radicis, vt inde purgentur. Prout hac in re ſaponem imitatur, ita adhuc manifeſtius dum, in faeculam reſoluta, ad lauanda lintea adhibetur, quod in Anglia, Belgio et apud Pictones in Gallia (GEOFFROY *Mat. medicale vol.* 5. *Traité p.* 221.), fit. Faecula Ari et foeminae ad nitorem cuti conciliandum aliquando vtuntur, olim ſaltim in Italia hoc factum eſt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

FAECULA ARI *Ph. Würt. p.* 95. Eſt ſedimentum ſucci expreſſi exſiccatum. Ita perit omnis fere Ari virtus.

PULVIS STOMACHICUS BIRKMANNI *Ph. W. p.* 159. Aromata quaedam cum radice Ari commixta, additis abſorbente, alcali duplici herbarum et ſaccharo, continet. Abbreuiari omnino poteſt formula haecce. Propius tamen ad veram BIRKMANNI accedit iſta PULVERIS ARI COMPOSITI *Ph. Lond. p.* 86. et *Ph. Suec. ed.* 3. *p.* 101. Remotior ab eius genio eſt *Ph. Edinb. p.* 71. Innotuit Germanica commendatione QUERCETANI (*Pharm. dogm. reſtit. p.* 377.), qui refert inuentorem, medicum Colonienſem, quotannis eius libras ſexaginta vel octoginta conſumſiſſe. Debet ſeruari loco ſicco, quoniam alcali aëris humidum attrahit. Et praeſtat puluis recens paratus, quoniam vetuſtior mucidus facile fit, et Arum ſitu ſenſim ſtimulum ſuum amittit. Eſt egregium ſtomachicum reſoluendo pituitam et ventriculum vellicando, et oculis cancrorum vna cum ſale alcalino fixo infringit acidum primarum viarum. Incidit ſimul tenaces humores remotiorum viſcerum. Dari poteſt ad ſcrupulos duos repetitis per diem vicibus.

PULVIS

PULVIS CACHECTICUS QUERCETANI *Ph. W. p.* 146. Coërceri omnino in formula poteſt copia et varietas abſorbentium, vt limaturae martis et Ari radici liberior poteſtas fieret. Gratius ob additamentum Cinnamomi et ſacchari. In atonia ventriculi, chloroſi, laxitate viſcerum, ad ſcrupulos duos datus non contemnendus eſt.

ORDO XLV.

SCITAMINEAE.

AMOMVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 49. *Gen. pl. p.* 2.

505.

Pharm. ZINGIBER COMMVNE ſ. NIGRVM. ALBVM.

Vel vtrobiuis additur nomen *Radicis.*

Amomum Zingiber; ſcapo nudo, ſpica ouata LINN. *Spec. pl. p.* 1. Zingiber mas et foemina PIS. *Mant. aromat. p.* 189. *c. tab.* 6. ſurculorum foliiferorum. Gingiber CLUS. *exot. p.* 212. Zingiber C. B. SLOANE's *nat. hiſt. of Jam. vol.* 1. *p.* 163. Inſchi RHEED. *Hort. Malab. vol. II. p.* 23. *t.* 12. Zingiber maius RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 5. *p.* 156. *tab.* 66. *fig.* 1. BROWNE's *nat. Hiſt. of Jam. p.* 119. Depingunt eam quoque MILLER's *Fig. of plants, tom.* 1. *tab.* 26. JACQUINI *Hort. Vindob. vol.* 1. *p.* 31. *t.* 75. Ζιγγίβερις DIOSC. Ζιγγίβερι GAL. videtur eſſe noſtrum, vel Gengibel ſ. Zengibel Arabum, Perſarum, Turcarum.

Turcarum. Planta perennis in India orientali item in Inſula Madagaſcar, Guinea et aliis Africae occidentalis regionibus (RUMPH.) ſpontanea. Ex India orientali in Americam translata, et primum in nouam Hiſpaniam, per FRANCISCUM DE MENDOZA, dein in plures occidentales inſulas, quarum praecipue in Antillanis hodie copioſe colitur, item in inſula Caiennae et in Guiana (AUBLET). Etenim radix, cuius hic res agitur, nullibi niſi cultu praegreſſo vſui idonea eſt.

Propagatio fit vel ſemine vel, quod conſuetius, fruſtulis radicis terrae mandatis (JACQ.). Hoc ſi fit menſe Martio vel Aprili, floret ſtirps Septembri et caules Decembri marceſcunt. M. Ianuario ſubſequente iam euelli ſolent radices, nam ſi exſpectaretur diutius, fibroſae et ſubligneae euaſurae eſſent. Effoſſae diuiduntur in fruſta minora.

RADIX recens tuberoſa ex propaginibus inter ſe connatis, quae illam aliquando palmatam fere reddunt, ſubcompreſſa, annulis notata, extus cinerea, vel ſi iunior eſt, alba, item purpuraſcens, carne pro diuerſa aetate mox teneriori et virideſcente, mox fibro-

ſiori, multas fibras albidas emittente. Hae cauliumque reliquiae cum ſordibus auferri, antequam ſiccetur, debent. Qua in re quum encheireſis variet, nomina diuerſa Zingiberis enata ſunt. *Zingiber* ſcilicet *album* hoc eſt, quod, purgatis lotis et raſis radicibus ſingulis ſeorſim, ſolis vel aëris aperti vi, cui per aliquot dies exponitur, ſiccatur; albidi ſiue ſtraminei coloris. *Zingiber nigrum* autem dicitur, ſi radix ad ſordes tenacius inhaerentes tanto minori labore auferendas intra corbes circiter per horae quadrantem in aquam feruidam immittitur, quae in peculiari aheno praeſto eſt, dein ſiccanda (BROWNE. JACQUIN.). Sic fuſcum colorem adſciſcit potius quam nigrum, etiam intrinſecus; vnde ſcite NEUMANNUS hoc fuſcum dixit. Simul vero aromatis partem perdit. Ob relictam autem epidermidem manifeſtius annulata apparet. Sic cadunt errores diſcriminum a NEUMANNO, LANGE (*Med. Brunſv. dom. p.* 183.), rel. commiſſi. Sicca radix conſtat ex fruſtis circiter bipollicaribus, ſublobatis, nodoſis, compactis, compreſſis.

Sapor maſticatae radicis venalis valde acris totum os feruoris ſenſu afficit, odor eius aromaticus eſt, et ita nares vellicans, vt ex puluiſculo, qui

qui ſeſe ſeparat in ſuperficie, ſternutatio facile ſubſequatur. Adeo acris eſt, vt lotione et contrectatione radicis cutis attenuetur et interdum findatur (RUMPH. *l. c. p.* 160.). Recenti igitur aeque ac ac ſiccae radici acrimonia inſignis ineſt. Seruat illam et ea, quae in caldariis botanophilorum colitur. Radix olim Malabarica praeſtantiſſima, dein Bengalenſis iudicabatur, ſed hodie vix illi Americana pretio cedit (RUMPH.). In tanta eius acrimonia non tamen verentur eam inſecta arrodere. Ptinum pertinacem in ea nidulantem vidi.

Ineſt radici huic oleum aethereum, ſed pauxillum modo, ſcilicet librae radicis vni, olei circiter drachma vna, h. e. $\frac{1}{128}$ (NEUM. *Chym. vol.* 2. *P.* 4. *p.* 638. CARTHEUS. *M. m. vol.* 2. *p.* 62.), vel ex alio calculo tantum ſcrupulus dimidius (JO. ALB. GESNERI *Diſſ. de Zingebere, Altdorf.* 1723. *p.* 18.). Hoc ipſum oleum odorem quidem Zingiberis habet, ſed deſtituitur pungente et feruente ſapore matricis ſuae. Infuſum aquoſum primum et acre valdopere eſt et odore radicem aemulatur. Inſpiſſatum in extractum ſuperſtitem modo ſaporem ſeruat; et pondus circiter quartam partem Zingiberis conſtituit. Simile contingit

 cum

cum infuſo et extracto ſpirituoſo primo inſpiſſato, praeterquam quod ſapor paullo acrior ſit, et pondus extracti modo $\frac{1}{16}$ partem vel paullo plus aſſequatur (NEUMANN, CARTHEUSER.). Ceterum arctum connubium iungit reſinoſas et gummoſas partes, ita vt menſtruum alterutrum facile easdem iunctim eliciat. Zingiber album ſolubilium partium paullo plus continet (NEUM.).

In vi purgantium augenda (FERNEL. *method. med. l.* 4. *c.* 7.) nihil videtur priuum prae aliis aromatibus habere; nec in vniuerſum horum vim hac in re inſignem iudico. Rectius adduntur ad nauſeam et tormina ſub vſu arcenda, prout Zingibere Scillae addito prohibemus, ne faſtidium vel vomitum ciëat.

Condimentum maxime vulgare ciborum poſt Piper eſt, vbicunque proſtet. In India viridis radix, in fruſtula exigua diſſecta, cum aliis herbis inſtar acetarii editur. Solent ibi quoque ſale et aceto illam hoc fine praeparare; vt alios modos eam palato acceptam reddendi iam taceam. De Zingibere ſaccharo condito infra. Admiſcent quoque eam creberrime cibis ad concoctionem promouendam et ſtomacho calcar addendum. Huc

applicari

applicari poſſunt quae de Piperis vſu diaetetico ſupra dicta ſunt, cum quo et in eo conuenit, quod oleum blandum vehat.

Apud nos iuſcula carnea et embammata varia coquuntur cum Zingibere; pauperes quoque delectantur hieme iuſculis ex cereuiſia cum eo cocta.

Omitto virtutes eius cum aliis aromatibus communes et vitia communia, ſi intempeſtiue vel iuſto copioſius ingeritur, vt in febribus acutis vel intermittentibus, plethoricis, cholericis, ad congeſtiones capitis pronis, quum languidis, pituitoſis, phlegmaticis, potius conueniat. Quibusdam tamen ſpecialius de hoc cognitis locus concedendus eſt.

Inſignem opem praeſtat iis, qui debili ventriculo et viſcida colluuie onerato laborant, vt quibus concoquendi cibos vim et ciborum appetitum reſtaurat. Thuringi prandium claudunt Caruo ſale et Zingibere pani inſpergendis, vt concoctionem ciborum accelerent et flatuum collectionem auertant (LANGE *l. c. p.* 184.). Flatibus primarum viarum et bilioſis deiectionibus pertinacibus grauantibus, prodeſt drachmae dimidiae Zingiberis con-

ciſi intra ſolitum vas pro Thea aquam feruidam infundere, et liquorem bene ſapore Zingiberis ſaturatum Theae infuſi loco tempore matutino ebibere (SMALL in *med. Obſ. and Inqu. vol.* 6. *p.* 198.).

In tuſſi titillatoria, modo febre deſtituatur, confert pulueris Zingiberis cochleare minus (pro Thea) cum mellis cochleari maiori commiſcere et cochleare eiusdem paruum pro doſi ſumere. Eidem fini quoque inſeruit ſyrupus e Zingibere condito (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 270. *Apot. p.* 28.). Vel horum loco e re eſt, Zingiberis fruſtum integrum macerare cum cereuiſiae tenuis libris duabus et dein addere ſacchari candi duplam quoad Zingiber quantitatem et tantillum butyri non ſaliti; hisce ad dimidium inſpiſſatis et colatis, liquoris omni hora vel ſeſquihorio calide cyathus bibatur (ROSENSTEIN, *Apot. l. c.*).

Non in imitationem memini conſuetudinis plebis Zingiber ad cochleare vnum cum vino aduſto ad febres intermittentes debellandas ingerendi, licet aliquando periculum ſucceſſerit in rebelli adeo quartana (LANGE *l. c. p.* 185.). Huc

ſpectat

ſpectat ANDR. ZIEGLERI (apud LANGE *l. c.*) praeconium extracti Zingiberis in quartana phlegmaticorum.

Raro radix ſola in puluere vel ſaccharo commixta datur.

Vuulae ex pituita nimium prolongatae iuſta ſedes et magnitudo reſtituitur Zingiberis puluere per manubrium cochlearis admoto vel Zingibere cum alumine adhibito. — Secretionem quoque ſaliuae auget ore retentum, vnde collutoria oris aliquando intrat.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEUM DESTILLATUM. Quod in officinis proſtat eſt rubrum odoris Zingiberis, ſaporis calidi, amaricantis, aquae fundum petens. Ex recenti radice autem quod eruunt Indi aquae innatat, ſed non ita ſapore feruidum, vt ipſa radix (RHEEDE *l. c. p.* 24.), ceterum limpidum, transparens. Plura ſupra de eo dixi.

RADIX ZINGIBERIS SACCHARO CONDITA. Ex Indiis afferri nobis ſolet, vbi ſequenti modo praeparatur. Effoditur radix, quando adhuc tenera eſt

et

et ſuccoſa, vel ſi vetuſta iam eſt, in vſum modo trahuntur vicinae iuniores propagines. Reſectis peregrinis partibus et radicibus bene lotis et deraſis, ligneis ſubulis (vt RUMPHIUS quidem monet tacente BROWNEO) punctae macerantur aqua primum feruida dein frigida, vbi aqua aliquoties mutata tam ad abluendas radices, quam ad acrimoniam tanto magis mitigandam, retinentur. Syrupus tandem intra vrceos illis infunditur, pariter aliquoties ad tertiam vel quartam vicem vsque mutandus. Quo ſpiſſior ſyrupus affuſus, tanto melius ſeſe conſeruari ſinunt et tanto melius per mare transferri, hinc ad finem ſpiſſior loco prioris tenuioris defuſi additur (Vid. RUMPH. BROWNE). Syrupus, qui per vices defunditur aqua dilutus et fermentationi ſubiectus potum gratum, *cool drink* Anglis, erogat. — Longe hoc conditum praeſtantius eſt eo Zingibere condito, quod a piſtoribus dulciariis extra patriam radicis paratur ex ſicca radice cum calce viua macerata addito melle. Exoticum conditum pereximium ſtomachicum eſt, dum ante prandium radix dimidia vel integra manducata deglutitur; et cum gratia vires aromatum communes coniungit.

SYRUPUS

SYRUPUS ZINGIBERIS *Ph. Edinb. p.* 63. *Lond. p.* 83. *Svec. ed.* 3. *p.* 119. Paratur macerando radicem aqua feruente et liquido ſaccharum addendo. Egregius aromaticus ſyrupus, cuius defectu ſubſtitui poterit ſyrupus ex condita radice.

Intrat inſuper Zingiber multa compoſita; quorſum ELECTUARIUM DIASATYRIUM, ELECT. DIASCORDII, MITHRIDATIUM, THERIACA rel. quorum commemoratio hic fere ſuperflua.

506.

Pharm. CARDAMOMVM MINVS.

Amomum Cardamomum; ſcapo ſimpliciſſimo breuiſſimo bracteis alternis laxis LINN. *Spec. pl. p.* 2. Elettari *Hort. Malab. vol. II. p.* 9. *tab.* 5. Cardamomum minus BONT. in *Hiſt. nat. et med.* edita a PIS. *p.* 126. c. *icone* peſſima; RUMPH. *Herb. Amboin. vol.* 5. *p.* 152. *tab.* 65. *fig.* 1. KÖNIG in REZ. *Obſ. bot. faſc.* 3. *p.* 59. *In Pharm. Lond. ſpecim. alt.* 1787. *p.* 6. citatur, tanquam vera huius planta, Amomum repens ſ. Le Cardomome de la Côte de Malabar SONNERAT *Voyage aux Indes oriental. tom.* 2. *p.* 240. *tab.* 136. quae tanto minus poteſt haberi pro

Linneana

Linneana ſpecie, quum racemum compoſitum formet. Planta perennis Indiae orientalis, nominatim Jauae, creſcens locis paludoſis.

Varii fructus Cardamomi nomine in pharmacopoliis ſeruantur, et adhuc plures in libris vel deſcribuntur vel ſimul depinguntur. Sed hiſtoria horum omnium prout affinium multarum ſcitaminearum ſtirpium adhuc valde manca eſt, nec pharmacopolae quidem et qui hosce praeceſſerunt botanici in nominibus, quae ſingulis tribuunt, conueniunt, vno e. c. illud Cardamomum maius vocante, quod alter medium. Deſtituimur hic botanica indagine, ſine qua non poteſt non fulcrum omni reliquae narrationi deeſſe. Quid vetuſtiori tempore de hiſce cognitum fuerit ſollicite JO. BAUHINUS (*Hiſt. plant. vol. 2. p. 195. ſqq.*) expoſuit. Recentiora cum antiquioribus combinauit HERMANNUS (in *Diſſ. Cardamomi Hiſtoria et vindiciae, praeſ.* SPIELMANNO, *Argent.* 1762.). Certiora, quam hi aliique induſtrii viri ſtudio intento in tricis pleno hocce argumento explorarunt, me iterato ſcrutinio enucleare poſſe deſperans, in minus obnoxiis dubio ſubſiſtam.

Diſcrimina

Diſcrimina nominum officinalium diuerſa cum figura et magnitudine fructuum conueniunt. Numerus horum momentorum reſpectu variat, ita vt NEUMANNUS (*Chymie vol. 2. P. 1. p. 328.*) ad minimum octo numerari poſſe innuat. In plerisque pharmacopoliis tres diuerſitates obtinent, in quarum recenſu etiam NEUMANNUS acquieuit, ſcilicet:

1) *Cardamomum maius* C. B. BONTII; (*l. c. p.* 127. cum *figura* miſera, ex qua tamen fructus forma cognoſcitur). Cardamomum maius vulgare CLUS. *exot. p.* 187. *c. fig.* fruct. Non incongrue a quibusdam vocatur C. *longum*. Eſt fructus oblongus, pollicem vel ſeſquipollicem longus, ſeſquilineam latus, triqueter, verſus extrema praecipue baſin anguſtior, fuſcus.

2) *Cardamomum medium* C. B. TABERNAEMONT. *Kräuterb. ed. Baſil.* 1731. *p.* 1319. cuius figura adpoſita formam quodammodo exprimit, ſed iuſto minor eſt. Etenim iſtud Cardamomi minoris magnitudinem paullum excedit, rotundius eſt, nec tam manifeſte triquetrum ſtriis obſoletis.

3) *Cardamomum minus* MATTHIOLI, C. B. Nomen hoc vbiuis vſitatum. Minor eſt hic fructus

praece-

praecedente et figurae paullo magis oblongae. Si vtile modo ſpectes, hoc Cardomomo cognito ſuperſedere reliquarum ſpecierum cognitione poſſumus; nempe ſuperat vi reliqua.

Omnibus et ſingulis dictis Cardamomis competit capſula triualuis valuulis flexilibus, diſſepimentis membranaceis, ſtriata, trilocularis, duplici ſerie ſeminum, angulatorum in quolibet loculo. Cardamomi minoris capſula pallide lutea eſt, baſi in petioli exigui ſpeciem coarctata, altero extremo, quod obtuſius eſt, apice deciduo aucta. Intus latent ſemina inter ſe cohaerentia, angulata, multiformia, ſubrufa, rugoſa, referta medulla alba. Capſula ipſa parum vel nihil ſaporis vel odoris habet. Semina autem confracta fragrantem odorem ſpirant, maſticata ſaporem grate aromaticum amaricantem cum veſtigiis camphorae producunt. Longe hic blandior eſt, quam in Zingibere, vel Pipere, vel Caryophyllis, nec facile vlli aromati gratia cedit, praeterquam Cinnamomo.

Cardamomum minimum quorundam auctorum videtur nihil, niſi fructus ſoli vel climatis iniuria minor.

Nolo

Nolo in originem vocis Καρδαμωμον deſcendere, quae grammatica tamen ſubtilitas diſſidiis variis ſanguinolentis apta eſt (Vid. HERM. *Diſſ. cit.* §. 1.), Non abſona videtur RUMPHII coniectura, vocem hanc ab Indis, qui et hodie fructum Cardamom vocant, in Graecos transuolaſſe. Aeque lubrica eſt controuerſia, an Graecorum veterum Amomum verum ſub hocce fructu intelligendum ſit.

Licet theca fructus iners exſtet, non tamen confert eam reiicere ante vſum ſeminum, quippe quum ea contra iacturam partium volatilium muniantur. Aqua infuſione ex ſeminibus eruit praeter aromaticas multas partes copiam mucilaginis, qua tantopere illa abundant, vt vix per filtrum etiamſi diluta tranſigi queat. Olei aetherei $\frac{1}{24}$ (NEUMANN. *l. c.*) vel $\frac{1}{26}$ (SPIELM. *Mat. med.* p. 245.) ineſt. Eſt pallide flauum, odoris Cardamomi, et ſaporis valde acris. Extracti aquoſi pondus inſignius eſt, quam reſinoſi. In eo omnes chemici conueniunt, qui illud explorarunt, licet quantitate ceteroquin differant.

Tam Europaeis quam Indis acceptum aroma eſt, quo potulenta varia ciboſque condimus:

e. c. ſuccolatam, vinum calefactum cum ouis commixtum (Glühender Wein), quod rigente terra gelu vtile potulentum eſt; et placentarum varia genera. In languore ventriculi, colica flatulenta, et ſcopo analeptico, non defraudandum ſua laude medicamen. Purgantibus apte admiſcetur, vt ne tormina ciëant, ſicut exempla varia purgantium fluidorum in *Pharmacopoea Londinenſi*, *Suecica* rel. edocent. Maſticatum ſemen gratiorem oris halitum reddit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEUM CARDAMOMI DESTILL. ſupra iam commemoratum.

ESSENTIA *Ph. Würt. p.* 78. quae alcohol vini adhibet. TINCTURA *Pharm. Lond. p.* 69. quae ſpiritu vini tenuiori vtitur. Eximie neruos refocillat, gratiam aliis medicamentis conciliat, et ventriculum ſalina non ferentem placat.

Taceo multa compoſita amplae farraginis diſpenſatoriorum, in quibus ſingulorum meritum ſemper ambiguum.

507.

Pharm. GRANA PARADISI vulgo, MANIGUETTA (vel alia ſimili ſcriptione) v. MELEGUETTA quibusdam.

Amomum Granum paradiſi; ſcapo ramoſo breviſſimo *Spec. pl. p.* 2. Elettari *Hort. Malab. vol.* 11. *p.* 9. *tab.* 6. (Auctore LINNEO in *Spec. pl.*). La Maniguette DES MARCHAIS *Voyage en Guinée, tom.* 1. *p.* 151. Planta perennis, in Guinea Africae et inſula Madagaſcar creſcens.

Quod in LINN. *Syſtemate veget. a.* 1774. *p.* 49. comparet effatum, plantam etiamnum obſcuram eſſe, adhuc valet. Sunt qui Myrti ſpeciem perhibent (SCHREB. in *Mat. med. Linn. ed.* 5. *p.* 36.). Transferuntur ad nos ex Guinea GRANORUM PARADISI nomine ſemina anguloſa coloris extus badii interne albi, magnitudine ſeminum Raphani, ſubrugoſa, nitentia, pericarpio ſuo antea exuta. Quibusdam Cardamomum dicitur, vt J. BAUHINO, cui Cardamomum maximum, grana Paradyſi ſ. Melegeta (vid. EI. *Hiſt. pl. tom.* 2. *p.* 204.) eſt. Pericarpium ille figura et magnitudine ficus minoris depingit, quam figuram ipſi et tribuunt multi alii, et inter hosce cl. DES MARCHAIS, qui

in Guinea ipſam ſtirpem vidit, licet non acie botanica. Theca iſta ſecundum eius obſeruationem tenuis eſt, fragilis, rubro bruna. Colliguntur fructus tempore, quo folia incipiunt apice nigreſcere. Cardamomi ſpeciem eſſe ſuadet quodammodo ſimilitudo ſeminum, ſed tam odor quam ſapor differunt. Odorem nullum in iis ſentio, ſaporem vero non gratum blandumque aromaticum Cardamomi, ſed acrem pungentem Piperis, diu linguae poſt maſticationem inhaerentem. Acre autem non latet in oleo eſſentiali, cuius exigua modo pars et blandi quidem eruitur. Sed extractum aquoſum ex reſiduo paratum valde calidum et pungens eſt, ſpirituoſum adhuc magis.

Piperis vices ſubinde agit, vt in Gallia (DES MARCHAIS *l. c. p.* 155.); et quod valore minori veneat, quam Piper, indicio eſt, vberem illi a natura prouentum conceſſum eſſe.

Carere poſſumus hocce ſemine in medicina, Pipere proſtante, nec hodie amplius vſu venit.

Perperam creditum a quibusdam eſt, oleum Caieput ex hiſce granis trahere natales ſuos (Conf.

(Conf. PARSON'S *Analogy between the propagations of animals and that of vegetables* in *Gött. gel. Anz.* 1753. *p.* 520.), eodem errore, quo Cardamomi cuidam ſpeciei iidem tributi, quod alio loco iam extra dubium poſui (Vid. *Apparat. med. vol.* 3. *p.* 319. *ſqq.*).

MARANTA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 49. *Gen. pl. p.* 3.

508.

Pharm. GALANGAE MAIORIS *Radix.*
MINORIS *Radix.*

Maranta Galanga; culmo ſimplici foliis lanceolatis ſubſeſſilibus LINN. *Syſt. veg. l. c.* Galanga PIS. *Mant. aromat. p.* 191. GARCIAS in CLUS. *exot. p.* 211. Galanga maior et minor RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 5. *p.* 143. *tab.* 63. Pl. perennis. Maior creſcit in Jaua, Malabaria (GARCIAS. A COSTA); minor in regno Sinenſi (GARCIAS. A COSTA in CLUS. *l. c. p.* 275.). Radicis ſegmentis propagatur maior in Amboina, Banda, Moluccis in hortis ſatis copioſe; minor in Amboina rarius (RUMPH.).

Qui olim (*Mat. med. ed.* 1. *p*, 3.) adſcripſerat radices haſce Kämpferiae Galangae ſummus LINNEUS, mutauit poſtea ſententiam ſuam, Marantam exiſtimans; a qua iterum poſtea deflexit (*Diſſ. Obſ. in mat. med. p.* 6.), dubium genus declarando. RUMPHIUS, cui quidem plurima, quae nobis de planta innotuerunt, debemus, hisce anguſtiis non ſubuenit. Accedat igitur oportet ſubſequentis aetatis ſcrutinium accuratius.

Vtraque radix tam *Galangae maioris*, quam *minoris*, ex eadem ſpecie prouenit, cuius varietates officinales nullis aliis notis quam magnitudine diſcrepant. In Galanga minori enim omnes partes ſunt exiliores, etiam radix. Vtraque radix ramoſa, nodoſa, teres, annulis transuerſim cincta, in particulas pollicem circiter longas vel minores transuerſim diſſecta. Radix *maioris* mox rufa, mox alba, ex cuticula externa texturae ſubſpongioſae, craſſitie circiter pollicis, intus pallidius rufa, et, vtut acris et odora, minori tamen debilior et ignobilior. Effigiem huius radicis bene expreſſit RUMPHIUS. *Minor* tam extus quam interne profundius rufa, odoris, praecipue, dum conciditur vel contunditur, fragrantis, ſaporis feruidi,

feruidi, linguam mordentis. Quidam ex ignorantia radicem Cyperi longi ſubſtituunt, qui error autem huius amaritie et adſtrictione cum aromate iuncta cognoſcitur.

Chemiae ope eruitur oleum aethereum, cuius circiter drachmam vnam Galangae minoris radix in quauis libra continet (NEUM. *Chem. vol.* 2. *P.* 2. *p.* 333.), blandius ipſa radice, ſuaueolens ceteroquin. Aqua plus extrahit ſpiritu vini, ſcilicet vncias ſex extracti ex libra integra, quod linguam quidem haud parum vellicat, minus tamen extracto ſpirituoſo.

Arabes videntur primi apparatum medicaminum Galanga auxiſſe. Inter Graecos autem MYREPSUS, quantum conſtat, eius primam mentionem fecit. Acorum veterum eſſe quidam ſuſtinent, refutati ab aliis.

Ad calidiſſima omnino aromata pertinet. Siccata radix magis exaeſtuat ſuccoſa. Indis culinaris vſus frequentior eſt medico. Etenim cibos varios, vt carnes, piſces, eadem condiunt. Placentas quoque cum ſucco nucum Cocos ex farina radicis parant, in debilitate ventriculi, cal-

culoſis viarum vrinarum affectionibus, aliisque caſibus minus idoneis, captas (A COSTA).

Numerus aromatum inſignis, quibus abundamus, Galangae laudem in ſuppellectili medica nonnihil extenuauit, quin exulauit radix iam dudum ex pharmacopoeis Anglicis. Rarius pro condiendis cibis ab Europaeis adhibetur, Stimulare neruos fibrasque muſculares, incidere pituitam, mouere ſudorem menſtruaque, pellere flatus, ventriculo demum calcar ſubdere et vertiginem a labefactato ventriculo oriundam tollere, iam ex analogia cum modo dictis aromatibus colligitur, experientia egregie confirmat. In paralyſi linguae et atrophia membrorum efficacem ſe praeſtat externus vſus (PLENCK *Mat. chir. p.* 244.). Attamen crebrius in miſcela aliorum efficacium vſurpatur, quam ita, vt propria virtute eniteret. Merito in praxi medica Galanga minor praefertur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ESSENTIA GALANGAE *Ph. W. p.* 81. Spiritus vini additamento feruor radicis augetur; ſanior medicina igitur abſtinet ab vſu interno. Externe quidam

quidam laudant ad tabida membra ſuſcitanda, in linguae paralyſi, carie oſſium.

SPECIES IMPERATORIS *Ph. W. p.* 278.

SPIRITUS CARMINATIVUS SYLVII. ESSENTIA CARMINATIVA WEDELII, ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI aliaque compoſita largi ambitus officinarum pharmaceut. German. hanc radicem recipiunt.

C V R C V M A.

LINN. *Syſt. veg. p.* 49. *Gen. pl. p.* 4.

509.

Pharm. CVRCVMAE LONGAE *Radix.*
ROTVNDAE *Radix.*
TERRA MERITA quorundam.

Curcuma longa; foliis lanceolatis: neruis lateralibus numeroſiſſimis LINN. *Spec. pl. p.* 3. Curcuma longa KÖNIG in REZ. *Obſ. bot. faſc.* 3. *p.* 72. Curcuma radice longa ZANON. *Hiſt. pl. ed. Mont. p.* 86. *tab.* 59. in qua ſpica modo bracteis veſtita cum ſcapo et foliis cingentibus conſpicitur. Curcuma domeſtica maior RUMPH. *Herb. Amboin. tom.* 5. *p.* 162. *tab.* 67.

 Manjella-

Manjella-Kura *Hort. Malab. tom.* 11. *p.* 21. *tab.* 11. absque flore. Amomum Curcuma JACQU. *Hort. Vindob. tom.* 3. *p.* 5, *tab.* 4. Depicta quoque exſtat in REGNAULT *Botan.* le Safran des Indes. Planta perennis Indiae orientalis.

Colitur in hortis Indorum, nominatim Chinenſium, Malaccae copioſiſſime (KÖNIG), item in Jaua et Balega (RUMPH.). Similes tamen et alias cognatas ſtirpes memorat RUMPHIUS, vſu ſuo conſpicuas. Propagatio facilis per diſſectas radices, Zingiberis inſtar.

Radicis recentis forma multiplex, ſcilicet conſtat partim ex tuberibus ouatis, annulatis, fuſcis, oui gallinacei circiter magnitudinis, ex quibus proceſſus teretes tres quatuorue pollices longi ex flauo pallentes emergunt, pariter annulati; partim ex fibris craſſis longis, quarum quaedam in finem oliuaeformem deſinunt, aliae acuto apice terminantur. Egregie tam RUMPHIUS quam JACQUINUS hanc faciem radicis exprimunt. Quicquid fibroſum eſt, reiicitur, reliquum ſeruatur, et pro figura diuerſa in officinis vel nomine Radicis Curcumae *rotundae* vel C. *longae* obuiam venit.

venit. Nempe vtraque pars ſubacris et aromatica eſt, et colorem intus luteum prae ſe fert. Siccatione coarctantur iſtae inſigniter. Curcuma longa in vniuerſum vſitatior eſt.

In officinis pharmaceuticis RADIX, qualiscunque forma ſit, extus pallide lutea apparet, rugoſa, ſolida, ponderoſa, coloris intus profunde flaui crocei vel aurantii. Odor eius ſubfragrans quaſi ex vnguento, ſapor amaricans, ſubacris et calorem mitem ore excitans. Maſticando facile emollitur ſaliuamque croceo colore imbuit. Infuſione aquae obtinetur tinctura crocei coloris, quae addito alcali in colorem badium mutatur. Idem contingit in charta per hanc amylo adiuuante tincta, et quidem vel ab exigua modo alcali quantitate; vnde commodius redditur experimentum. Acida pallidiorem reddunt flauedinem. Itaque eximium adiumentum praeſtat Curcuma in dignoſcendis alcalinis (BERGM. *Opuſc. vol. I. p.* 95. Conf. NEUM. *Chem. vol.* 2. *P.* 2. *p.* 269.) Spiritus vini rectificatiſſimus rubedinem inde obtinet elegantem, quae digitos tamen aliaque flavedine crocea tingit. Olei deſtillati valde exiguum modo continet, ita vt vnus ex radicis libra dimidia modo olei circiter drachmam eruerit

(BÜCH-

(BÜCHNERI et LÖBERI *Diſſ. de Curcuma officinarum p.* 15.), alius ex libra radicis integra vix ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam (CARTHEUS. *M. m. vol.* 2. *p.* 65.). Extracti aquoſi ſaporis blande aromatici amaricantis et ſalſi ad ſummum quarta pars elicita (CARTHEUS.); alii (vt NEUMANNUS *l. c.* et BÜCHNERUS *l. c.*) minorem quantitatem eius lucrati ſunt. Par inconſtantia in pondere extracti ſpirituoſi, cuius ſummum fuit fere $\frac{1}{5}$, idque notabiliter acre aromaticum ſimulque nauſeoſum reperitur (CARTHEUS. *l. c.*).

Non opus eſt, vſum eius in arte tinctoria hic multis commemorare. Etiam in India ſolent lintea luteo colore eadem imbuere, qui tamen non ſatis conſtans eſt (RUMPH.). Nec lana, nec goſſypium melius ſeruant colorem aurantium, quem iis Curcuma inducit; licet colorem vel luteum vel alios additamento peregrino emergentes, vt citreum, grate brunum vel viridem, figat ſal marinum vel ſal ammoniacum vel vitriolum cupreum (Conf. de hisce cl. HELLOT, *l'Art de la teinture des laines*, *p.* 406. PÖRNER *chym. Verſuche z. Nuz. der Färbekunſt*, *vol.* 1. 1 *Abh.* SCHARFFS *Recepte üb. verſch. Gattungen v. Farb. I. St.*).

Aeque

Aeque culpandum eſt, tingere pannos ſcarlatinos Curcuma ad colorem exaltandum, quoniam iactura particularum Curcumae in aëre brunus modo color remanet (HELLOT *l. c. p.* 406. 614.). Indi, praeſertim Jauani, Malayi et Baleyenſes, omnibus embammatibus et iuſculis ſuis eam admiſcent (RUMPH.). Pro condimento quoque cum piſcibus et carnibus coquitur a Malayis (BONTIUS in *Hiſt. nat. lib.* 10. *cap.* 30.). In hisce igitur vices Croci agit, vt et a GARCIA Croci Indici nomen tulerit. Solent quoque Indi vtriusque ſexus fricare corpus poſt eiusdem lotionem radice in aqua modo contrita, et foeminae ſpeciatim oleo Calappi, contrita radice imbuto, ad colorem luteum cuti impertiendum, et, vt dicunt, refrigerandum corpus et cuti nitorem conciliandum.

Acre aliquod ineſſe huic prout ſapor vellicans linguam declarat, ita et ſternutatio, quae puluere naribus attracto excitatur, quo fine Chinenſibus vſu venit (BONTIUS). Quanta vero vi polleat in intima corporis noſtri penetrandi et cum humoribus noſtris ſeſe commiſcendi, vel inde patet, quod lotium profunde flauum reddit

(RIEGER

(RIEGER *Introd. ad notit. rer. natur.* 2. *p.* 1216. LEWIS *M. m. p.* 246.).

Eximiam ſuam aperiendi et reſoluendi efficaciam in primis in ictero declarat. Multoties eandem ſeſe expertum eſſe profitetur BONTIUS (*l. c.* Conf EIUSD. *tract. de med. Indor. p.* 115.). Non veretur FR. HOFFMANNUS eam in ictero inter primaria referre (V. EI. *Meth. medendi* in *Med. ration. tom.* 3. *p.* 542.). Plebs ſaepe eius drachmam vnam cum cereuiſia tepida quotidie ingerit ſucceſſu haud ſpernendo (LANGE *de remed. Brunſv. domeſt. p.* 323.). Calculo biliario ſoluendo eam tamen non parem iudicat cl. COE (*Treatiſe on biliary concretions p.* 287.), qui mitem effectum in vniuerſum illi tribuit, vt qui ex drachma vna ter de die ingeſta nullas conſpicuas euacuationes animaduertit; vnde probabilis concluſio, in ictero ſi adhibeatur exiguis doſibus fidem haberi poſſe fere nullam. Tranſeo quae alii protulerunt de eius in obſtructionibus viſcerum referandis, calculo vrinario ſoluendo, menſtruis pellendis, et hydropis et febrium intermittentium curatione, potentia (V. BONTIUS. JO. COMMEL. *not.* in *Hort. Malab. l. c.* et auctores varii a BÜCHNERO citati

in

in *Diſſ. alleg.* §. 23 - 27.), quum titulos morborum modo ſuggerant.

Poterit dari aliquoties de die in puluere a ſcrupulo vno ad drachmam integram, vel in infuſo ſiue decocto, dupla circiter quantitate. Extracto aquoſo commodius capitur. Parciſſime hodie aegris ab Europaeis medicis praecipitur, et pauciſſima compoſita ingreditur. Remanſit tamen ſub ſtrictiori ſelectu in nouiſſima *Pharmacopoea Edinb.* 1783 *et Lond.* 1787.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

DECOCTUM AD ICTERICOS *Ph. Edinb. p.* 54. *ed.* 1758. inter alia Curcumam recipit, quod ſaltim in memoriam priſtinae in ictero fidei notandum duco.

UNGUENTUM ALTHAEAE *Ph. W. p.* 259. colorem ſuum luteum, ſatis in miſcela ſuperfluum, Curcumae debet.

C O S T V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 49. *Gen. pl. p.* 3.

510.

Pharm. Coſtus ARABICVS.
DVLCIS.
AMARVS.

Coſtus arabicus; LINN. *Spec. pl. p.* 2. MERIAN. *de inſect. p.* 36. *tab.* 36. Tſiana-Kua *Hort-Malab. vol.* 11. *p.* 15. *tab.* 8. JACQU. *Icon. pl. rarior. vol.* 1. *tab.* 1. *p.* 1. *Collect. Vol.* 1. *p.* 143. Pl. perennis, in vtraque India e. c. in Malabaria, Surinamo, creſcens ad ripas torrentum et in montibus vmbroſis humidis.

COSTI ſub nomine ſermo de RADICE eſt, nomen etiamſi non adponatur. Olim diſtinguebatur in tres ſpecies dictas (Vid. e. c. DALE *Pharmacologia p.* 274. POMET *Hiſt. des Drogues P.* 1. *p.* 59. HERM. *M. m. vol.* 1. *p.* 39.). Alii modo duarum, Coſti amari et C. dulcis, mentionem iniiciunt (V. GARCIAE *Hiſt. arom.* in CLUS. *exot. p.* 205. *Ph. Würt. p.* 27.). Hodie vix praeterquam vna proſtat, Coſtus ſcil. arabicus. Limites inter ſingulas ponere difficile. Sunt, qui

qui C. arabicum nonniſi patria differre ab amaro putant (*Ph. W.*). Et quoad reliquas duas creditum, aetate modo diuerſas eſſe, ita vt recens et incorruptus amaritie deſtitueretur et candidior eſſet, vetuſtate autem corruptus amaritiem contraheret, et nigricantem colorem (GARCIAS *l. c.*), dum alii rurſus plantae duplici diuerſae tribuunt. Pharmacopolae hodierni ſaepe, dum deſideratur Coſtus arabicus, corticem aromaticum albidum praebent, qui nihil niſi Canella alba eſt; alio autem tempore radicem in fruſta longa transuerſim ſectam, pollicem circiter craſſam, ex flauo griſeam, cortice aſpero, odoris violacei, ſaporis aromatici et amaricantis. Pars corticalis autem multum ligneae internae hiſce notis antiſtat.

Nouis tricis implicamur, ſi diiudicare aggredimur, noſtri temporis Coſtus cum iſto ab antiquis Graecis et Arabibus dicto idem, an alius, ſit. Plura diſſuadent eſſe eundem, quam litem diſcutere GEOFFROY conatus eſt (*Mat. med. Traité vol. 2. p. 67. ſq.*).

Aqua amaras potius quam odoras partes extrahit, extractum eius, ope paratum, $\frac{2}{3}$ ponderis radicis efficit. Extractum ſpirituoſum ſeruat aroma-

 ticum

ticum radicis cum amaritie, et $\frac{1}{9}$ circiter partem conſtituit.

Non defraudanda eſt radix ſua virtute, licet multitudo ſimilium rariorem vſum fecerit. Praeter efficaciam cum reliquis aromatibus communem ad amaritiem reſpiciendum, quo connubio in ſtomacho roborando eximie valet. Lotium inde imbui odore Violarum, multi narrant.

OLEUM COSTINVM, PILULAE MARCOSTINAE, ELECTUARIUM MARYCOSTINUM, quae ſeriori tempore euiluerunt, cultus, in quo olim Coſtus habitus, ſaltim memoriam relinquunt.

KAEMPFERIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 38. *Gen. pl. p.* 4.

§ 11.

Pharm. ZEDOARIAE LONGAE *Radix.*
ROTVNDAE *Radix.*

Kämpferia rotunda; foliis lanceolatis petiolatis LINN. *Spec. pl. p.* 3. Zedoaria longa, item rotunda C. B. Malan-Kua *Hort. Malab. tom.* 11. *p.* 17. *tab.* 9. — Hactenus ſequutus ſum

LINNEUM,

LINNEUM, qui et Kämpferiam declarat et *Hortum Malabaricum* loco dicto cum DALEO citat. Aſt a BERGIO (*Mat. med. veg. p.* 4.) planta dicitur Amomum ſcapo nudo, ſpica laxa truncata, et Kua *Hort. Malab. tom.* II. *p.* 13. *tab.* 7. ſynonymon additur. Pondus accedit huic opinioni deſcriptione Zedoariae ſ. Indorum Tamogcanſi CAMELLI *Stirp. Luzon. p.* 23. in *Append.* ad RAII *Hiſt. pl. tom.* 3.

Planta perennis Indiae orientalis, nominatim Malabariae et inſulae Luzonis.

Duplex Zedoariae RADIX in quibusdam officinis occurrit, quarum *longa* vulgaris maxime eſt; *rotunda* raro hodie ſuppetit. Vtraque ex vna eademque ſtirpe prouenit; licet alii e. c. KERNER (*Handlungsprodukte a. d. Pflanzenreich* 2. *Heft p.* 6. *tab.* 151.) idque adhuc hodie diuerſis ſpeciebus originem tribuant: nempe habitus radicis idem eſt, qui in Curcuma, dum partim ex tuberibus rotundis conſtat, partim ex proceſſibus longis craſſisque, prognatis ex prius dictis (CAMELLI autoptes aliique coniectura potius ducti, vt DALE in *Pharmacol. p.* 275.).

LONGA repraeſentat fruſta incurua, rugoſa, anguloſa, ſubinde eminentiis rotundis notata et compreſſa, longitudine plerumque aliquot pollicum, latitudine circiter minimi digiti, compacta, extus pallide griſea, interne coloris paullo profundioris. Altero extremo cultello transuerſim vel oblique diſſecta comparent, altero in obtuſum apicem deſinentia. Vidi et exempla craſſiora ſecundum longitudinem diuiſa. Odor camphoraceus, ſapor aromatico acris, amaricans, diu caloris ſenſum cum iſto camphorae mixtum in ore relinquens. Ita ſeſe habet radix venalis, quae per Belgium transferri ſolet. Sed exiguum ill. L. B. AB ASCH ſpecimen mihi miſit ſibi a cl. REINEGGS ex India allatum tanquam veram radicem, quod figuram quidem gerit Zedoariae longae, extus profunde brunum maculis nigris interne paullo pallidius cum gyris nigricantibus, compagis mollioris, saporis longe amarioris, ſed minus calidi, vix odorum.

Continet venalis $\frac{1}{72}$ paſſim $\frac{1}{112}$ vel paullo plus olei deſtillati, quod mitiori igne tractatum viridi coeruleum eſt, et aquae ſupernatat, vlteriori deſtillatione autem nigricans euadit fundum-

que

que petit (CRELLS *Chem. Journ. P.* 3. *p.* 20.). NEUMANNUS (*Chemie vol.* 2. *P.* 4. *p.* 649.) cuilibet librae adſcribit olei drachmam vnam, itaque $\frac{1}{128}$, idque tam ponderoſi, vt vix ſurſum tolli deſtillando poſſit, vnde et partem fundum petere refert, ſubtilius eſſe albidum, reliquum virideſcens vel nigrum. Oleum hocce concreſcere in camphoram innuit quidem GEOFFROY (*Mat. med. Traité, tom.* 3. *p.* 264.), ſed negat alius (CRELLS *chem. Journ. l. c.*). Aqua maceratione abripit et odoras et amaras partes ſub colore ex flauo bruno; inſpiſſando autem extracti ingrate amari et ſubacris largitur circiter tertiam partem (NEUMANN.). Spiritus vini tingitur ab ea colore ex flauo rubicundo magisque acris et amarus redditur, quam aqua, ſed minus olet et ſapit camphoram, quam iſta. Spirituoſum extractum, ad $\frac{1}{11}$ (NEUM.) circiter vel $\frac{1}{16}$ (CARTHEUS. *M. m. tom.* 2. *p.* 59.) eruendum, modice amarum et aromaticum eſt, calidum gratumque.

Nolo huic penſo, quod ſuis defectibus non deſtitui iamiam cognoſcitur, nouam labem adſpergere vacillante ſcrutinio, an veteribus radix nota fuerit, et quonam nomine diſtinxerint, an fuerit ſpecies Coſti apud DIOSCORIDEM, Geiduar AVI-

CENNAE, Zerumbet SERAPIONIS. Spectant huc tentamina GARCIAE (in CLUS. *exot. p.* 213.) et praeprimis MANITII (*De aetatibus Zedoariae relatio Dresdae* 1691.), quorum fidem aliis dirimendam relinquo.

Omnia commoda praeſtat, quae ab eximio aromate cum amaritie iuncto, exſpectari poſſunt. Stomachica virtute excellit, in cuius fauorem *radix condita* aliquando in officinis praeſto eſt. Rarius ſola fuit data vel integra, quam in connubio aliorum vel praeparatione multiplici reſoluta, cuius rei fidem praecipue faciunt diſpenſatoria Germanica pharmaceutica. Simpliciſſimus capiendi illam modus in puluere eſt cum ſaccharo.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQUA ZEDOARIAE SIMPLEX *Ph. W. p.* 25. Eſt aqua vinoſa, flatibus et inde ortis torminibus diſcutiendis idonea.

AQUA ZEDOARIAE ANISATA *l. c.* Praeter ea, quae titulus indicat, cortices Citri recipit aqua haecce pariter vinoſa.

OLEUM DESTILLATUM. Supra iam de eo commentatus ſum.

EXTRA-

EXTRACTUM *Ph. W. p.* 89. Quicquid tam ſpiritus vini quam aqua eruit, iunctim continet. Egregium praeparatum et forſitan praecipuum in ventriculi debilitate inſtar elixirii ſumtum.

ESSENTIA. In quibusdam officinis ſeruatur e. c. *Ph. Brunſv. p.* 253.

ESSENTIA CARMINATIVA WEDEL. *Ph. W. p.* 78. AQUA HYSTERICA *l. c. p.* 18. ELIXIR BALSAMICUM SPIRITUOSUM HOFFM. *l. c. p.* 53. etc.

ORDO XLVI.

LILIACEAE.

LILIVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 268. *Gen. pl. p.* 163.

512.

Pharm. LILII ALBI *Radix; Flores.*

Lilium candidum; foliis ſparſis, corollis campanulatis: intus glabris LINN. *Spec. pl. p.* 433. Lilium album flore erecto, vulgare C. B. Icon: REGNAULT *Botan. Le Lys.* Planta perennis, In Syria et affini terra ſpontanea. HALLERUS (*Hiſt. ſt. Helv. n.* 1231.) inter Helveticas recepit. Probe fert hiemes, etiam ſeptentrionalium regionum, vbi in hortis ob pulchritudinem et odorem florum colitur.

RADIX bulbum conſtituit late ouatum, acuminatum, ſquamoſum, baſi circiter bipollicari, ſquamis carnoſis, laxis, albis. In pharmacopoliis hae ſiccae ſeruantur, ſubplanae, extus nonnihil conuexae, oblongo ouatae, pollicaris longitudinis, baſi abruptae, apice acutae, rubicundae, ſubdiaphanae,

phanae, durae. Amaricantem et viſcoſum ſaporem maſticatae edunt. A mucilagine, qua radix ſcatet, ad quartam ponderis partem fere, omnis eiusdem virtus dependet. Dum putreſcit aqua, foetorem intolerabilem excitat. Nonniſi externae applicationi deſtinatur et hodie quidem in tanta mucilaginoſorum copia rarius vſu venit. Cocta ſcilicet aqua vel lacte in cataplaſma tumoribus maturandis imponitur; item aqua multa cocta clyſmatibus additur. Recens bulbus ſub cineribus aſſatus et oleo nucum malaxatus fertur eſſe probatum in ambuſtionibus remedium (CHOMEL *Plantes uſuelles*, *P*. 3. *p*. 32.).

FLORUM petala recentia odorem fragrantem Jaſmini, ſed fortiorem et nonnihil ingratiorem, ſpargunt. Exhalationes horum florum, vtut grati naribus hi exiſtunt, valde noxiae tamen valetudini, praecipue ſi in cubili per noctem ſervantur. Inde a. 1779. Londini in lecto mortua foemina inuenta eſt. Cauſam noxae ſerioribus experimentis conſtitit, latere in mephitico aëre, qui ab odoris particulis omnino diſtinctus eſt; nam aëre noxio ex floribus eiusmodi odoris elicito nulla tamen odoris iactura ſentitur (INGENHOUSZ

Experiences ſur les vegetaux, p. 62.). Virtutis antepilepticae meminit LINNEUS (*Mat. med.*), quae ſine dubio ſpectat ad flores. Ex hisce tinctura LANGHANSII, (Gilgentinctur) ab eo contra epilepſiam celebrata, modo iſti arcano praeparari cum ſpiritu vini narratur, fortis odoris (*Magaz. vor Aerzte* 1777. *St.* 8. *p.* 745.). Odor florum ſiccatione facile perit, ſed excipitur facile aqua, ſpiritu vini, oleo vnguinoſo. Maſticata petala mucilaginem pariter produnt. Vis anodyna vix niſi recentibus tribui poteſt.

ANTHERAE omnino euiluerunt, quae olim habitae ſunt ad partum pellendum efficaces, fide quidem ſuſpecta.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Aqua Liliorum alborum. Ex floribus. In quibusdam officinis adhuc ſuperſtes. Cur coſmetica credita?

OLEUM *Ph. W. p.* 124. Digeſtione cum oleo Oliuarum et ſubſequente coctione paratur. Vix alia vis, quam a ſolo oleo expreſſo inde ſub externa applicatione exſpectari poteſt, emolliens, relaxans.

SCILLA.

S C I L L A.

LINN. *Syſt veg. p.* 271. *Gen. pl. p.* 166.

513.

Pharm. SCILLAE vel SQUILLAE *Radix.*
Vel abſque addito nomine partis.

Scilla maritima; nudiflora; bracteis refractis LINN. *Spec. pl. p.* 442. Icon: REGNAULT *Botanique*, La Squille; item MARTELLII *Hort. Rom. tom.* 6. *tab.* 93. *α*) Scilla vulgaris radice rubra C. B. *β*) Scilla radice alba C. B. Planta perennis, locis arenoſis prope mare in Luſitania, Hiſpania, Normandia, Sicilia, Africa ſeptentrionali, Syria, creſcens.

Huic ſubſtituunt incolae Capitis bonae ſpei ſub nomine Scillae montanae bulbum Haemanthi coccinei L. et inde acetum et oxymel ſimile parant, in aſthmate et hydrope aliisque morbis proficuum (THUNB. *Diſſ. de medicina Africanorum p.* 3.).

Scillae vulgaris RADIX eaque recens bulbus ſquamoſus eſt, pyriformis, apice ſurſum verſo, magnitudine pugni vel vltra, ſquamis carnoſis latis, ad latera attenuatis, neruoſis, quas aliae cingunt

cingunt exſuccae, membranaceae, lineatae, tam tenuibus, vt bulbus primo aſpectu tunicatus appareat. Hocce diſcrimen ſquamarum externarum impoſuit quibusdam, vt tunicatum bulbum dicerent (Vid. e. c. ALSTON's *Lectures on the M. m. vol.* I. *p.* 513. BERGII *Mat. med. p.* 265.). Ex baſi bulbi prodeunt fibrae numeroſae, quae vna cum extremis ſquamis effoetis ante vſum praeciduntur. Raro bulbos ſuccoſos pharmacopolae ſeruant, qui tamen ob ſuccum viſcidum et lentum diu in ſua integritate perſiſtunt. Quotannis magna eius copia ex Hiſpania, vnde Scilla Hiſpanica dicta, et Natolia transmittitur. Plerumque autem in officinis modo proſtant ſquamae ſiccae oblongae, longitudine bipollicari, albae, convexae, ſubdiaphanae, intus glabrae, lineatae.

Diſcrimen ratione coloris radicis, quod ſupra innui, de externis modo membranaceis ſquamis valet, nam interne bulbus ſemper albus vel pallide viridis eſt. Rubri bulbi maiores ſunt, albi minores (SCHULZ et MEDER *Diſſ. ſiſtens examen chem. radicis Scillae marinae, Hal. p.* 7.). Pleriſque bulbus ruber albusque pari virtute inſtructus cenſetur (ALSTON *l. c.* LEWIS *M. m. p.* 531.);

p. 531.); quidam tamen album mitiorem iudicant rubro (V. *Pharm. Würt. p.* 44.), annuente etiam ex tentaminibus variis inſtitutis LUDWIGIO (*Adverſ. pract. vol.* 2. *p.* 700.), qui ideo rubrum, vtpote ad ſuam ſententiam efficaciorem, frequentius adhiberi iubet, quod conſilium ſponte iam dudum ſequuti ſunt pharmacopolae.

Recens radix ſcatet ſucco tam viſcoſo, vt hic aqua vel aceto contritus vix per colum tranſigi queat. Adeo autem illa acris eſt, vt manibus tractata pruritum, vſtionis ſenſum, quin veſiculas in cute, excitet (VALENTINI *Hiſt. ſimpl. reform. p.* 128. MUHLE in CRELLS *Ann.* 1786. *vol.* 2. *p.* 336.). Acrimóniam quoque ſuam guſtatu manifeſtat cum nauſeoſo ſapore. Odore autem tam recens quam ſicca radix deſtituitur. *Sicca* ex mucilagine recondita, dum maſticatur, tenax ſentitur, et eadem de cauſa, ſi lente fuerit ſiccata, difficulter in puluerem redigitur; amaritiem praeterea intenſam ingratam et diuturnam linguae imprimit, ſed absque acrimoniae manifeſtae indiciis, quae tamen effectu doſeos iuſto largioris, vel extra opportunitatem praeceptae, abunde declaratur.

Siccando

Siccando radix recens quatuor ponderis partes ex quinque amittit, quae iactura fere nihil niſi aquae eſſe videtur. Infuſum aquoſum pallide flaueſcens eſt, intenſe amarum et acre, et euaporatione odorem, qualem Rapae coctae vel radix Apii hortenſis, ſpargit. Inſpiſſatum $\frac{3}{4}$ ex radice ſicca erogat extracti bruno flaui, amari ſimulque acris et vrentis. Spiritus vini tingitur radice hac colore aureo, et inſignem amaritiem et acrimoniam adſciſcit, qui ſenſus etiam ex extracto bruno inde parato excitantur (Conf. SCHULZ *Diſſ. cit.* et CARTHEUS. *Mat. med. vol.* I. *p.* 458.). Alcali debilitat ſaporem amarum inſigniter (SCHULZ *l. c. p.* 16.); acetum autem paullulum modo (*l. c. p.* 17.). Nolo analyſi igne fortiori factae inhaerere (Vid. *lcc. citt.*).

Priſco iam aeuo notiſſima haec radix fuit, non tamen veneni acris ſuſpicione caruit; inde potius de Scilla, vt putabant, mitiganda et corrigenda ſolliciti fuerunt, quam eadem in ſubſtantia exhibenda. Ad EPIMENIDEM, vatem et expiatorem, adeo referunt efficaciae eius medicae inventum (Vid. HALL. *Bibl. bot. vol.* I. *p.* 12. *Bibl. pract. vol.* I. *p.* 20.), vnde et olim Scilla

Epime-

Epimenidium vocata; alii ad PYTHAGORAM, ab iſto forſitan edoctum (SCHULZ *Hiſt. med. p.* 171.). Ita Scillae virium plurium egregiarum mentio fit apud DIOSCORIDEM (*M. m. L.* 2. *c.* 102. 103.), HIPPOCRATEM, GALENUM, AËTIUM, CELSUM, PLINIUM, CAELIUM AURELIANUM, Arabesque medicos. Apud Graecos partim Σκιλλα dicitur, partim Παγκρατιον, quo poſteriori nomine coniicerem radicem rubram illos intellexiſſe, niſi DIOSCORIDES mitiorem facultatem, quam alteri, ineſſe indicaſſet (*Cap.* 103.).

Veteres acrimoniam Scillae metuentes in ea corrigenda plurimum operae depoſuerunt. DIOSCORIDES (*Cap.* 102.) eo fine conferre innuit, farina vel luto radicem recentem incruſtare et in clibanum coniicere, aut prunis obruere, vt detracta cruſta nociua acrimonia ſimul exueretur; vel torrere illam ſuadet in olla operculata intra furnum; vel conciſam elixare, mutata ſaepius aqua, donec aqua nullam neque amaritiem neque acrimoniam proderet; accedit aliud conſilium, radicem fruſtatim diſſectam linoque commodis interuallis traiectam in vmbra ſiccandi. Variae enumeratae artes adhuc hodie adhibentur. Etenim et hodie hinc

inde

inde paſta farinacea obuolutam radicem in clibano coquunt. Cauendum vero maxime, ne vna cum acrimonia omnis virtus pereat. Hinc vltimo loco indicatus modus, vel ſimplex ſiccatio radicis, poſt tegminis externi ablationem transuerſim in taleolas ſectae, ſub miti caloris gradu, *Scillam ſiccatam* Pharmacopoea Lond. vocat, multo reliquis praeparandi Scillam modis praeſtat. Sed ne hisce quidem mitigandi Scillam periculis ſiſi veteres ad additamenta varia alia, aceti, vini, mellis, aromatum etc. acceſſerunt. Inde et trochiſcorum ſcilliticorum ex pulpa Scillae aſſatae et farina frumentorum vel Erui origo, et cautio quoad tempus et corporis praeparationem (Vide quaedam huius argumenti in SWIETENII *Comment. tom.* 4. *p.* 259.).

Varia omnino venenatae indolis indicia in Scilla ſeſe efferunt. Cameli in Africa, qui ſpinoſa Eryngia avide paſſim deuorare non verentur, intacta tamen relinqunt viridia Scillae folia (LUDWIG *l. c. p.* 698.). Catus et cuniculus experimento ex inſtituto facto (HILLEFELD *Diſſ. experimenta circa venena p.* 12.) perierunt, aliis horum generum animalibus, item cane, grauiter affectis. Mures quoque inde necantur (BERG. *M. m. p.* 265.).

Conſtat

Conſtat et cruſtam farinaceam, qua cocta fuerat Scilla, ſi ſuibus (VOGEL in HILLEF. *Diſſ. p.* 18.) vel piſcibus proiicitur, hiſce necem afferre. Huicque erat proxima Meleagris panis huius micis illi inſtar eſcae datis, vnde titubare, conuelli, tumultuare rel. incepit (GEIER in *Miſc. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 6. *p.* 298.). Accedit nouum argumentum ex cutis per contrectationem diuturnam radicis laeſione. — In ipſo homine doſis inſignior vel iuſto crebrior non ſolum nauſeam et vomitus vehementiſſimos cum torminibus ciet, ſed ſtranguriam excitat, lotium ſanguine tingit et alui profluuia, cardialgiam, conamina haemorrhoidalia, conuulſiuos motus, inflammationem et gangraenam ventriculi et inteſtinorum creat; quin mortem pediſſequam habet. Triſtis exempli memoriam reliquit medicaſter quidam, qui tympaniticae foeminae Helmſtadii degenti pulueris Scillae tantum obtulit, quantum cochleare integrum capere poſſet, vnde mox doluiſſe grauiſſime ventriculum ſenſit, eiulare, conuelli coepit, et inter alia dira ſymptomata vitam cum morte commutauit; in cadauere inflammatus et ex parte arroſus ventriculus exſtitit. (LANGE *de remed. Brunſv. domeſt. p.* 176.) Ex ſcrupulo dimidio ingeſto mors ſubſequuta eſt

 (QUARIN

(QUARIN *Animadv. pract. p.* 166.). Proſtibula aliquando ea tentant abortum concire, quae, ſi fine ſceleſto potiantur, vna cum infantis vita propriam ſuam in periculum vertunt. Emerſit tamen ex periculo aſthmaticus, qui ex errore drachmam vnam Scillae clyſmati deſtinatam ingeſſerat, vnde nauſea et vomitiones creberrimae, quibus ſopitis in ſalutem aegri praecedente pruritu et ardore in cute ſcabies humida erupit, antea vitioſe ſuppreſſa, ſicque aſthma omnino diſparuit (MUZELL *med. u. chir. Wahrnehmungen* 2 *Samml. p.* 34.).

Ne vero infauſtos ex Scilla effectus iuſto maiori doſi vnice tribuas, conſiderandae conditiones corporis peculiares ſunt, ſub quibus damnum iſta afferat. In hominibus nimia ſenſilitate nervorum affectis ſaeui ſaepe ex eius vſu artuum dolores enaſcuntur, quin conuulſiuis motibus hi ipſi aliquando tentantur. Spectat huc hiſtoria foeminae, quae ex Scilla affectiones neruoſas valde ſingulares pati ſolet (WEIKARD *verm. med. Schrift.* 1. *St. p,* 245.). Nocet iis, quibus humores vitioſe diſſoluti ſunt, nempe ſponte ſua eos attenuat, docente id ſaepe ſanguine cum lotio et foecibus aluinis ſecedente. Minus prodeſt homi-

nibus

nibus temperiei calidae bilioſae, putridae, quibus contra ea acida et praecipue cremor tartari conducunt. Requirit porro abſentiam obſtructionum, praecipue hepatis, vt quae Scillae ſtimulo alias facile in inflammationem tranſeunt. Eadem de cauſa in ſcirrho inueterato abſtinendum ab ea eſt, ne in vlcus vel cancrum commutetur. In haemorrhoidariis vel plane non vel caute exhiberi debet (LUDWIG *Aduerſ. l. c. p.* 723.). Male a multis hodie negligitur monitum iam a DIOSCORIDE iniunctum, in vlcere interno detrimento eſſe, dum liberali manu phthiſicis ex vlcere pulmonum oxymel ſcilliticum offertur: ſed quam male irritans remedium conuenit in morbo, in quo ſumma cura enitendum eſt, vt temperantibus arceatur inflammatio, praeſens tollatur, et contra omnem ſtimulum pulmones muniantur (Conf. FOTHERGILL in *med. Obſerv. and Inquir. vol.* 5. *p.* 375.)! Quum in vias lotii ſpecificam vim exerceat, non poteſt non nocere, quando iam ſponte excretio lotii nimia eſt, vel organa illi deſtinata inflammatione, vulnere, vel exulceratione, corripiuntur. Habet praeterea hoc incommodum, quod facile vires ventriculi deprimat, contra quam ſequelam ne amarities quidem Scillae tuetur. Alios anxie-

tates moleſtae inde torquent (Lectu digna ſunt, quae de cautelis in vſu memoriae prodiderunt TISSOT *Epiſt. med. p.* 406. QUARIN *Animadv. pract. p.* 164. *ſqq.* STOLL *Praelect. in morb. chron. p.* 61. *ſqq.*). Non tamen negandum eſt, variis horum effectuum ſcito Scillae connubio cum aliis commodis obuerti poſſe.

Vis eius inſigniter ſtimulans, reſoluens, deobſtruens, diuretica, abunde ſeſe declarat iis in morbis, quibus medendis adhibetur. Quin in quibusdam indicia virtutis antiſpaſmodicae ſeſe efferunt.

Inter diuretica primarium locum antiquitus et noſtra aetate obtinuit Scilla, et certius hanc vim praeſtat reliquis, vt tamen et hoc experiamur, non ſingulis quodlibet diureticorum genus conuenire. Ad aquam in hydrope collectam eliminandam diuretica longe tutiora ſunt draſticis hydragogis, quae ipſa valde vires deiiciunt, concoctionis euertunt praeſidia, cauſam hydropis augent et nouam anſam ſtagnationi aquae ſuppeditant: blande contra aquam educunt diuretica et in quibusdam hydropis ſpeciebus, vt hydrope pectoris, vnice proſunt, nocentibus purgantibus fortioribus. Aliter

ter ſeſe res habet cum mitioribus purgantibus, e. c. ſalinis, rhabarbarinis et iis, quae acidae indolis ſunt, vel ſolis vel cum roborantibus iunctis mixtisque. Neque Scilla tamen, aeque parum ac alia diuretica, in hydrope ſaccato aquae eliminandae ſufficere ſolet; nec in pedum oedemate, ſi a ſola locali debilitate prouenit (STOLL *l. c. p.* 61.). Non excludendam tamen Scillam ab hydrope pectoris, multos edocuit experientia. Sic TISSOTUS (*l. c. p.* 408.) in hydrope pectoris exigua quantitate Scillae horrendas anxietates auferri vidit, alios aegros per noctes plures inſomnes et orthopnoea vexatos breui inde obdormiſcere, quin continuatione prudenti accedente cito conualeſcere obſeruauit. Eandem laudem Scillae in hac ſpecie hydropis tribuit THOMSON (*Medical conſultations on various diſeaſes p.* 230.). Maxime adeo in hydrothorace conuenire innuunt cll. QUARIN (*l. c. p.* 133.) et STOLL (*l. c.*). Cum hiſce igitur non ſatis conciliari poteſt effatum cl. LENTIN (*Beob. d. Krankh, am Oberharze, p.* 119. *not.*), infida eſſe ſcillitica cuiuscunque generis in pectoris hydrope. Abſtinendum autem in quolibet hydrope a Scilla eſt praeſente febre et ſymptomatibus febrilibus qualibuscunque, vnde pulſus et lotii et ſitis ſedula

ratio habenda eſt. Ceterum vel in eo hydrope potentiſſimum auxilium praeſtat, in quo fere conclamata res videtur, modo virium diſpendium et ad ſtagnationes exundationesque niſus conſtantiam permittat (Cfr. WERLHOF *Oper.* ed. WICHM. *p.* 811.).

Vario modo exhiberi ſolet Scilla, in puluere, extracto, vnde varias formas effingere facile, aceto, vino, oxymelle, ſyrupo demum ſui nominis; variaque connubia non ſolum admittit, ſed ſaepiſſime requirit. Praeſtat et doſin et repetitiones ita moderari, vt vel absque nauſea vim exſerat. Nauſeam vitari iubet ſummus WERLHOFIUS (*l. c. p.* 812.). Efficaciſſimam tum quoque pronunciat ill. QUARIN (*Animadv. pract. p.* 165.). Simplicem nauſeam tamen de ſuo vino non metuit SWIETENIUS (*Maladies des armées, p.* 74.). Et cl. HOME (*Clinical experiments, hiſtories etc. p.* 387. *ſqq.*) adeo placet ea doſis Scillae, quae vomitum creet, vt qua ipſa effectus tanto celerior futurus eſſet. Scilicet euacuata aqua per os eſt, a pinta vna ad duodecim aliquando vel vnico vomitionis paroxyſmo, deobſtruente eius virtute et concuſſione corporis vniuerſali per vomitum. Aſſenſum illi

praebuit

praebuit cl. KECK (*Abhandl. u. Beob. a. d. Arzneiw. p.* 85.). Equidem arbitror tum modo conducere tanta doſi, quando vomitoriorum in hydrope opportunitas adeſt, quae autem aeque raro incidit ac purgantium fortiorum; et quam grauiter affecti inde aegri fuerint, ipſi a cel. HOME allati caſus loquuntur, in quibus languor pulſus notabilis vomitionis tempore contigit, ad ictus nonnunquam quadraginta adeo deſidens (HOME *l. c. p.* 394.). Hinc diſplicent quoque doſes, quae deiectiones aluinas efficiunt, nam fruſtrantur ſaepe auxilii ſpem (TISSOT *l. c. p.* 406. QUARIN *l. c. p.* 169.). Vnde etiam inconcinne a quibusdam purgans Scillae additur.

Ad nauſeam auertendam vel infringendam, quam Scilla ſponte ſua alias facillime excitat, vulgare eſt, eidem carminatiuum vel aroma quoddam addere e. c. Cinnamomum, Zingiber, nucem moſchatam, radicem Calami aromatici, Serpentariae Virginianae, Helenii, Flores Caſſiae et ſimilia, forma pulueris, elaeoſacchari, deſtillatae aquae, ſyrupi e. ſ. p.

Pulueris crebra adminiſtratio eſt: ſed etiamſi optimus exſiccationis modus praeceſſerit, mora

tamen ſenſim virium partem amittit, vnde non nimia copia praeſto in pharmacopoliis eſſe debet. Doſin determinat aetas et morbi ratio. Rite paratus et grano dimidio vel integro ter vel quater datus iam efficaciam inſignem praeſtat (STOLL *l. c.*). Alii grana duo aut tria concedunt (TISSOT *l. c. p.* 408.). Ita notatum, quosdam quinque et plura grana ferre, licet nauſea torqueantur (LUDWIG *Aduerſ. cit. p.* 703.). Diſplicent magnae MEADII (*Monit. et praec. med. ed.* 2. *Lipſ. p.* 76.) doſes, qui grana quinque aut ſex concedit mane in connubio aromaticorum vel cl. HOMII (*l. c. p.* 405.), qui tria vel quatuor grana bis per diem plerumque dedit, ſed et ſubinde auſus eſt exhibere grana octodecim absque effectu, vt narrat. Subinde ſimplex additamentum ſacchari pro augendo pondere et ſapore nonnihil corrigendo ſufficit (TISSOT *l. c. p.* 408.). FR. HOFFMANNO (*Med. ſyſt. tom.* 4. *P.* 3. *p.* 346.) moris erat, grana Scillae tria vel quatuor cum radice Vincetoxici et nitro praecipere. Similisque miſcela quoque (ex Scill. gr. iij. Vincetox. gr. v. Nitr. gr. x.) nomine pulueris hydropici inualuit olim in noſocomio Stockholmienſi (*Vet. Acad. Handl.* 1754. *p.* 316.) multique illam imitati ſunt. Nitro acre Scillae

miti-

mitigari poſſe ſibi perſuaſerat HOFFMANNUS: ſed quidni illa mitigaretur minori doſi. Non conducit nitrum addere, ſi aluus laxior, corpus leucophlegmaticum frigidumque ſentitur, vires demum infirmae ſunt (QUARIN *l. c. p.* 166.). Facile eſt, illam cum extracto amaro vel gummi reſina in pilulas compingere.

Extractum aquoſum multis hodie placet, etſi imbecillius paullo eſt Scilla in puluere; et iſtud quidem ad granum dimidium vel integrum (STOLL *l. c. p.* 62.), vel ſenſim aſcendendo ad grana tria, ferri poteſt (QUARIN *l. c. p.* 166.). Solutio extracti huius drachmae vnius in aquae vncia vna, ad guttas viginti vel triginta et ſenſim plus data, vomitus et deiectiones aluinas excitauit, ſed cum decremento hydropis (KECK *Abh. u. Beob. a. d. Arzneiw. p.* 86.). Rarius extractum anxietates, quam oxymel ſcilliticum, ciet. Mutari quoque eiusdem forma pro commoditate in pilulas, mixturam, puluerem, poteſt. Extractum Scillae in hydrope pectoris reliquis omnibus praefert ill. QUARIN (*l. c. p.* 133.).

Acetum ſcilliticum raro ſolum capitur ad guttas ſexaginta omni trihorio. Immanes ſaepe

anxietates excitat (TISSOT *l. c. p.* 410.). Augetur vis diuretica eius et ſoluens addito ſale tartari, vel alio alcali fixo, ſicque in hydrope poſt intermittentes neglectas et ſuppreſſas quartanas confert (STOLL *p.* 63.). Loco alcali fixi quoque ſumi poteſt volatile, ſicque confert, quando infarctus pituitoſi ſubſunt, et in hydrope cum arthritide (ID.). Vtrobiuis oportet rite illud diluere.

Efficax aeque ac elegans praeparationis genus eſt Oxymel ſcilliticum. Largius hauſtum lotium pellit. Nec reliquis ſcilliticis potentia cedit (Vid. e. c. WERLHOF *l. c.* TISSOT *l. c. p.* 411.) ſaepeque ferunt hoc aegri, quorum natura alia ſcillitica repudiat. Aegris ſtrictioris compagis, ſub pulſu celeriori aut ſiti vehementiori conducit; tum praeſertim confert, quando aſcites ab obſtructione hepatis haemorrhoidibus ſuppreſſis aut febribus iuſto praecocius profligatis prouenit (QUARIN *l. c. p.* 165.). Nitrum vel aliud ſal medium admixtum ſaepe effectum auget (TISSOT *l. c.*). Excipitur commode vehiculo aquoſo, praecipue aromatico. TISSOTO (*p.* 388.) mixtura ex oxymelle ſcillitico, terra foliata tartari et aqua Sambuci familiaris eſt, ter de die doſi modica exhibenda; vnde poſt

triduum

triduum caſu ſingulari mictio tam copioſa, vt ſexaginta librae lotii intra horas triginta quinque effluerent, viribus ſuffultis faſciatione abdominis et inferiorum artuum, et potu grate vinoſo. — Quibus mel in vniuerſum moleſtum eſt, hiſce ſyrupus ſcilliticus ſubſtitui poteſt.

Vino ſcillitico quidam praerogatiuam ſingularem tribuunt, vti L. B. VAN SWIETEN (*Malad. des armées p.* 74. *p.* 163.), qui ſuum et ſecurum et efficax pronunciat, licet modo ex Scillae recentis vncia dimidia et vini boni libris duabus per infuſionem paretur. Huius mane aegro cochlear vnum exhibuit, quod ſi vomitum effecerit, ſuaſit, vt dein modo cochleare dimidium exhiberetur. Continuatio et augmentum doſeos ſenſim placuit, donec per mictionem crebram corpus detumuiſſet. Merito vna digeritur aroma quoddam, cuius miſcelae exempla proferunt compoſitis quibusdam RICHARDUS AB HAUTESIERK (*Formul. med. p.* 17.) L. B. A STÖRCK (*Ann. med.* 1. *p.* 162. et *Ann. med.* 2. *p.* 285.) multique alii. Quidni ſubſiſtamus in ſolo Cinnamomi additamento (V. exemplum in QUARIN *l. c. p.* 331)? Longe aegrius autem toleratur vinum ab aegris, quam pleraque

alia

alia ſcillitica, pluresque aegri illi adſueſcere nequeunt: ſed enormes vomendi conatus inde experiuntur (TISSOT *l. c. p.* 410.), imo paullo largius eodem hauſto vomitus et abdominis dolores, quum contra minori copia captum vix lotium moueat. Quin qui de hiſce queritur dolet, ſe ex numeroſiſſimis aſciticis vix vnum vel alterum curatum vino vidiſſe (QUARIN *l. c. p.* 165.). In hydrope pectoris pariter plurimi inde male affecti ſunt, quidam perierunt, in quorum cadaueribus ventriculus et inteſtina inflammata exſtiterunt (IDEM *p.* 137.).

Praeter additamenta aromatum et quorundam aliorum, de quibus paſſim egi, alia adhuc commemoranda ſunt, quae adiuuant effectum, vel incommodis variis ſub vſu obuiam eunt. Salina ſaepe valde proficua e. c. nitrum, tartarus tartariſatus, ſal Seignette. Potens eſt cremoris tartari connubium: e. c. iſtius drachmam dimidiam, Scillae grana tria in puluere quauis tertia hora ſumendo, dein rarius. Nec opus caſu ſingulari fuit ad perfectam ſanationem alio medicamine ſubiungendo, quam eſſentia ex amaris variis (V. cel. WENDT in cl. ERNST *Diſſ. de therapia hydropis*, *Erl.* 1783. *p.* 26. *ſqq.*). Eiusmodi combinatio cum amaris, cortice

cortice Peruuiano, martialibus, ſaepe valde vtilis eſt, non ſolum ad ventriculum Scilla labefactatum roborandum et vires euacuatione deiectas erigendas, ſed etiam ad ſolida contra nouam collectionem aquae tuenda et ſanguinis craſin corrigendam. Hinc TISSOTUS (*l. c. p.* 407.) Chinchinam mox protinus poſt euacuatam Scillae aquam ſubiunxit, mox iunctim cum ea corticem adhibuit. Gallis quibusdam Scilla cum ptiſana Iuniperi placet adſtipulante et TISSOTO (*p.* 410.). — Si flatus ructusque aegrum poſt Scillam captam grauant, aquae Menthae cochlear poſt quamlibet doſin hauriatur. Camphorae inſignis vis eſt in doloribus et conuulſionibus a ſtimulo eius acri tollendis (Vid. *Appar. med. vol.* 4. *p.* 516.). Dolores in ventriculo vel inteſtinis autem inde orti demulcentia requirunt, nec opium, quod contra ea gangraenam ſuſcitare poteſt (QUARIN *l. c. p.* 167.).

Nolui praecepta de Scillae capiendae modo a narratione eiusdem in hydrope efficaciae diuellere, quum quaedam ad hanc praecipue ſpectent, licet omnino pleraque in aliis quoque morbis applicari queant. Etenim poſt hydropem in affectionibus pectoris pituitoſis maxime ſeſe commendauit.

mendauit. Specificam fere vim in ſpiritus organa ſtatueres, niſi in vniuerſum reſoluendi poteſtatem in pituitam, cuius fontes vberrimi in fiſtula ſpiritali et ramis eius per pulmones diſtributis exſtant, exerceret. Ex hacce vitioſe ibidem collecta vel iuſto tenaciori, aſthma, ſtertor, ſaepe exſurgunt, et, tam mole ſua quam acrimonia admiſta, tuſſis moleſta. Scilla vero egregie non ſolum attenuat mucum, ſed blando ſcreatu eiicit. Non latuit haecce virtus DIOSCORIDIS aciem, qui tuſſi vetere infeſtatis et ſuſpirioſis Scillam melle coctam commendauit. Nosmet creberrime et optimo ſucceſſu in eiusmodi caſibus oxymelle ſcillitico vtimur, in quo Scillae efficaciam mellis et aceti virtus adiuuat. Ipſi Scillae hocce tamen meritum competere ex effectu egregio et aliorum illam exhibendi modorum euincitur. FR. HOFFMANNUS (*Med. ſyſt. tom.* 4. *P.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. *Obſ.* 3. *p.* 343. *Obſ.* 8. *p.* 354. Praeter HOFFMANNUM ipſum in *Obſ.* 3. commentatus eſt SCHRÖTER in *Diſſ. de aegroto aſthmatico vſu radicis Scillae ſubleuato praeſ.* J. H. SCHULZ recuſa in HALL. *coll. diſp. pract. tom.* 2. *p.* 141.), qui illam in aſthmate multum depraedicat, hiſtorias concinnauit, in quibus puluis Scillae cum radice Vincetoxici et cum vel ſine

nitro

nitro optimo euentu reliquis irritis datus fuerat. Simile conſilium ſequutus eſt WAGNERUS (*Obſ. clin. Sect.* 2. in HALL. *collect. diſſ. cit. p.* 179.) in eodem morbo eadem fortuna, licet Vincetoxicum ſubinde omitteret. Vterque Scillae tantum obtulit, vt vomitus ſuccederet, quin multum leuaminis attulit ad grana tria quatuor ſupraque. Plura adfuerunt in caſibus iſtis ſpaſticae mali indolis indicia, vnde colligere pronum eſt, ineſſe Scillae virtutem aliquam antiſpaſmodicam. Quin idem HOFFMANNUS (*l. c. p.* 357.) ſubiungit expreſſis verbis, aliis quoque exemplis ſpaſmis et conuulſionibus, maxime catarrho ſuffocatiuo quandoque ipſi epilepſiae, medelam attuliſſe. Spectat huc ſupra (*p.* 98.) narratus caſus de aſthmate ex retrogreſſa ſcabie orto, largiori autem quantitate, quae inter multa ambigua ſymptomata denuo illam expelleret, ſanato (MUZEL *l. c.*). Ita pilulas ſcilliticas Edinburg., quibus pilulas ex Allio *Pharm. paup. Edinb. p.* 33. pares cenſet cl. MILLAR (*Obſerv. on the aſthma and on the hooping-cough, p.* 103.) in aſthmate chronico efficaciſſimas declarat, modo excipiantur, quorum natura minus ſenſilis eſt, in quibus nimirum vires digeſtionis inde facile euertuntur. Nec minus pilulae iſtae ſcilliticae in frigida

gida pertinaci tuſſi, quae natales ſuos duxerat ex pituita tenaci pulmones opplente vel obſtructione vel niſu ad hydropem pectoris, auxilio aliquoties inſigni fuit (WEIKARD *verm. med. Schrift. P.* 1. *p.* 35.). Abſtinendum vero eſt a Scilla in ea aſthmatis ſpecie, quae a veris nodis ſiue tuberculis glandularum conglobatarum ſiue lymphaticarum originem repetit, quoniam metus ſubeſt, ne ex ſtimulo eius inflammatio et ſuppuratio exſurgat (Conf. UNZER, *Arzt vol.* 12. *p.* 157.).

In pulmonum inflammatione merito efficaciſſimis remediis accenſenda eſt tam ad ipſam ſtagnantem materiem diſcutiendam, quam ad criſin per ſputa adiuuandam. Hiſce finibus accommodatiſſimum et tutiſſimum eſt oxymel ſcilliticum rite in mixtura dilutum. Nec metus eſt etiamſi largior quantitas rite diluta hauriatur nauſeae vel vomitionis ſubſequuturae, modo ptiſana large bibatur. Datae fuere eius in mixtura vnciae tres, quin aliquando duplum intra nychthemerum (DE HAEN *Rat. med. P.* 1. *p.* 23.), vel tantum, quantum ferre poſſet aeger abſque nauſea vel alui purgatione (PRINGLE'S *Obſervat. on the diſeaſ. of the army ed.* 7. *p.* 143.). Tanto magis vero hoc

pro-

proficuum, quum praeter ſputa criſin per lotium promoueat (Conf. SARCONE *Geſch. d. Krankh. in Neapel, vol.* 1. *p.* 173. *ſqq.*).

Alias quoque pituita accumulata pro parte, qua ſtagnat, ſcenas ludit. In renibus nephritidis cauſa ſubinde exſtat. En igitur in Scillae incidente et diuretica vi remedium. Fuit foemina inter vulgares huius morbi notas cum vrina ſubrufa mucum emingens, in fundo matulae inſtar ſpermatis ranarum fluctuantem et tantae tenacitatis, vt plurima pars vaſi illi adhaereret, nec eo inuerſo dimitteretur. Aſt, poſtquam inconſtans modo auxilium praebuiſſent aquae Sedlicenſes, Scillae malum ceſſit (WAGNER *l. c. p.* 192.). Nec in nephritide ſabuloſa opem ſuam repudiat. Foemina nimirum, quae inter dolores dorſi et ſtranguriam vna cum pituita denſa ſabulum vel lapillos ſemen Milii magnitudine referentes minxerat, Scilla ingeſta vomuit, ſimulque cum foeculento lotio copioſiſſime excreto calculoſae materiae plurimum dimiſit redeunte priſtina valetudine (*l. c. p.* 195.). Similis proſperitas contigit alii foeminae doloribus renalibus afflictae, quae poſt datam Scillam quotidie lapillos lentem vel cicer magnos cum lotio

 eminxit,

eminxit, idque abſque vlla moleſtia (*l. c. p.* 196.). — In nephritide inflammatoria non admittendam eſſe, quilibet ſponte intelligit.

Scillae ad emeſin ciendam, dum aliis ſcopis deſtinatur, propenſio multa illam auertendi, vt dictum, conſilia excitauit. Nec niſi rariſſime aliorum emeticorum vices ab ea exſpectamus. Infantibus tamen aliquando oxymel ſcilliticum ad paucas drachmas aqua deſtillata exceptum ingeritur, in quibus tanto opportunius, quando pectus pituita grauatur.

Multo minus autem hactenus vi antiſcorbutica eminuit, licet acetum ſcilliticum ab HEURNIO et DRAWIZIO iam magni in ſcorbuto habitum fuerit. Confirmant tamen hanc Scillae laudem quidam recentiorum celebrati nominis. Reſpicio nominatim ad cel. LIND (*Treatiſe on the Scurvy, ed.* 3. *p.* 222.) iudicium, qui ex oxymelle ſcillitico laetiſſimum effectum percepit, exhibita eius vncia vna intra viginti quatuor horas; vnde aluus laxata, lotii ſecretio promota et multae moleſtiae praecipue pectoris, quibus ſcorbutici plerumque obnoxii, ſublatae ſunt. Illuſtrat eius virtutem

exemplo

exemplo Allii et Cepae, quae pariter in hoc malo magnopere valent. Adiicio WERLHOFII (*Litt. in* ENGEL. *Spec. med. p.* 164.) teſtimonium, ſecundum quod Scilla, ad praecipua ſcorbuti antidota referenda, oris vitiis medetur et neruos (paralytice ſaepe affectos in hoc morbo, M.) liberat, ſolutosque excitat, imo inter emmenagoga et haemorrhoides pellentia inſignem locum illi adiudicat, ea doſi vt ne nauſeam moueret. Ipſe quoque aceto ſcillitico plurimum tribuit, e. c. in mixtura ex aquae deſtillatae libra vna, aceti ſcillitici ſvncia vna, olei tart. p. del. guttis quadraginta, ſyrupi cuiusdam grati vnciis duabus, cuius cochlear vnum quinquies vel ſexies per diem daretur.

Vermibus quoque aduerſa eſt Scilla: ſaltim hactenus id de oxymelle ſcillitico conſtat, cuius quidem efficacia alias non e ſola Scilla deriuari poteſt. Caſu effectus eius ſeſe manifeſtauit in iuuene, qui vermes cucurbitinos excreuerat, cui vero ob affectiones quasdam pectoris oxymel hocce cum infuſo florum Sambuci exhibere e re fuit. Hiſce per aliquot dies continuatis purgans quoddam efficacius offerebatur, vnde taenia ſex vlna-

rum lati corporis ſeceſſit (WEIKARD *verm. med. Schrift. P.* 1. *p.* 72.). Oxymel quoque intrat medicinam iſtam, qua L. B. A STÖRCK (*Ann. med.* 1. *p.* 103. 164.), dum noſocomio cuidam Vindobonae praeeſſet medicus, vermes omnis generis, modo non alius morbus ſubeſſet, profligare valuit, ſcil. ℞. Sal. polychreſt. pulv. rad. Jalapp. Valer. ſ. Phu āā drachmam vnam, Oxymell. ſcill. vncias quatuor. M. Huius adultis quater per diem vncia dimidia, iunioribus drachma vna vel duae datae. Ita et lumbrici tam vomitu quam aluo redditi et taeniae inſignis longitudinis excuſſae. Ipſe recordor, ancillam Taenia Solio correptam paucis praediis huius eclegmatis meo ſuaſu captis vomitu reieciſſe vermes cucurbitinos plures, quibus alternatim frigida calidaque aqua infuſa demere viciſſim et reddere vitam apparenter valui, donec tandem mortui figuram illam oblongam aſſumerent, qua COULETUS eosdem falſo aſcaridum nomine depingit. Quum oxymel ſcilliticum maximam copiam Störckiani remedii efficiat, veroſimile eſt, huic plurimum virtutis ad delendos vermes ineſſe.

Scilla in clyſmate adhibita a ſuperioribus partibus efficaciter reuellit. Egent hocce auxilio com-

commotiones cerebri, in quibus ex lympha inter tunicam arachnoideam et piam matrem collecta cerebri tenella ſtamina comprimuntur et funeſta multa ſymptomata, quin ipſa mors, ſequela ſunt. Hanc diſſipare quantocyus potiſſimum artis eſt, cui fini, poſt venae ſectionem, fomentationes ex aqua frigida, aceto, nitro et ſale ammoniaco mixta et clyſma, cui drachma vna pulueris Scillae addita, inſignis praeſtantiae ſunt (SCHMUCKER *chir. Wahrnehm. vol.* I. *p.* 144. et obſeruatt. multae.). — Cum oleo feruente ſubacta aut cum reſina liquefacta verrucis et pernionibus vtiliter illini legitur (VOGEL *Mat. med. p.* 214.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SCILLA PRAEPARATA *Ph. Würt. p.* 173. Eſt haec Scilla mitigata calore intra paſtam, cui indita fuerat, clibano immiſſam, ſubſequa ſiccatione ſquamarum disiunctarum in vmbra. Eſt SCILLA COCTA *Ph. Lond. p.* 22. Iudicium ſupra de hocce praeparationis modo tuli (*p.* 95.). Praefertur huic merito ob vires potentiores

SCILLA EXSICCATA *Ph. Lond. p.* 22. *Ph. Ed.* 1783. *p.* 77. dum Scilla in taleas tranſuerſim

ſecta leni calore exſiccatur. Sic vix aliae niſi partes aquoſae auolant, et ſiccatione ad quatuor ex quinque partibus minuitur Scillae pondus.

PULVIS SCILLAE COMPOSITUS STAHLII *Ph. W.* *p.* 157. Ex Scilla et radicis Vincetoxici tertia parte. STAHLII nomen ferre ideo modo meretur, quod iſte crebriorem vſum eius reddidit. Nam ab alio tanquam inuentore profectus videtur, nec ipſe STAHLIUS in ſcriptis ſuis illum vllibi commendat, de qua re conſulantur SCHULZII *Praelectiones in Diſpenſ. Brand. p.* 264. FR. HOFFMANNI, WAGNERI, BAECKII, laudes huius miſcelae ſupra iam dixi. Grana tria vel quatuor eius dari ſolent pro doſi, vbi Scilla conuenit. Additum Vincetoxicum, vt corrigeretur Scilla, qua ope non indiget iſta, nec praeſtare illam potis eſt Vincetoxicum. Lubens igitur aduerſo huic miſcelae iudicio LUDWIGII (*l. c. p.* 707.) ſubſcribo, niſi exiſtimandum adiuuare illud Scillae effectum propria ſimili in hydrope virtute (Vid. *Appar. med. vol.* 1. *p.* 544. *ſqq.*).

ACETUM SCILLITICUM *Ph. W. p.* 2. ex Scilla ſicca et conciſa, aceto macerata. *Ph. Edinb.* 1783. *p.* 102. et *Lond.* e. c. 1787. *p.* 69. addunt

dunt poſt colationem ſpiritus vini tantillum, vt diutius a foeculentia conſeruetur (*Ph. Lond. cit.*). Vetuſtiſſimum praeparatum eſt, PYTHAGORAE tributum, et in libro, qui adſcribitur GALENO *περι ευποριςων Lib. 3.* multis laudibus cumulatum. Errant, qui aceto infringi virus Scillae putant: eſt contra ea commodum modo eiusdem menſtruum ad virtutes eliciendas. Vires in hydrope aliisque morbis iam excuſſi. Addo modo gargariſmate exceptum difficultati auditus ab obſtructione ductus Euſtachiani mederi. Praecedit auctoritas PLINII (*Hiſt. nat. Lib. 23. cap. 2. ed.* DALECH. *p.* 1070.), qui de illa inquit "tarditatem quoque aurium gargarizatione purgat et tranſitum auditus aperit." Symbolum addit laudi cl. LANGE expertus (*Miſc. verit. med. faſc. I. p.* 66.). Inſeruit praeterea gummireſinis ſoluendis; e. c. Gummi ammoniaco, quod hacce ope emollitum in emplaſtrum egregie tumores liquat.

OXYMEL SCILLITICUM *Ph. W. p.* 134. et omn. offic. Ex aceto ſcillitico et melle deſpumato in iuſtam ſpiſſitudinem coctis. Laus multiplex ſupra paſſim dicta. Ad ſcreatus adiuuandos in morbis pectoris multum confert addere Gummi

 ammo-

ammoniacum et vtrumque aqua diluere: ſed contra vſum in phthiſi monui. Gargariſmate exceptum anginam catarrhalem egregie diſſipat.

ESSENTIA SCILLAE *Ph. W. p.* 84. ex aceto ſcillitico et ſale tartari mixtis et euaporatis ad mellis ſpiſſitudinem, demum ſolutis in ſpiritu vini rectificatiſſimo. Pellit efficaciter lotium in hydrope, et memini cl. DARELIUM, noſocomii Stockholmienſis olim medicum, quum illud iuuenis frequentarem, huic praecipue ſcillitico in dictum ſcopum optimo ſucceſſu indulſiſſe.

EXTRACTUM SCILLAE AQUOSUM. Tacent de eo libri pharmaceutici tantum non omnes. *Ph. Dan. p.* 174. recepit. Efficaciam ſupra (*p.* 105.) demonſtratam dedi. LUDWIGIUS eius quoque meminit (*Adverſ. cit. p.* 704.), laudatque illud impenſe. Lentam autem et diuturnam digeſtionem requirit, euaporationem leniſſimam et inſpiſſationem ad mellis modo craſſitiem. Aſt Vindobonenſes bini clari nominis medici celebrius illud reddidere iique videntur extractum ſpiſſius vſurpaſſe.

SYRUPUS DE SCILLA *Ph. W. p.* 218. ex *Ph. Lond.* vetuſtiori *p.* 82. Iungitur acetum

ſcill.

ſcill. cum aromatibus et ſaccharo. In *Ph. Ed.* 1783. *p.* 198. aromata autem omittuntur. Sic vices oxymellis ſcill. fert. V. ſupra *p.* 107.

PILULAE SCILLITICAE *Ph. W. p.* 140. Praecipua in compoſitione ſunt Scilla et Gummi ammoniacum. Pharmacopoea Edinburgenſis, vnde primum petitae, in reliquis pro editionum diuerſitate mutauit varia. Efficaces omnino, cuius rei nouum teſtimonium ſuggerit experientia cl. KECK (*Abhandl. u. Beob. a. d. prakt. Arzneiw. p.* 83.).

ELIXIR PECTORALE WEDELII *Ph. W. p.* 54. LOCH AD ASTHMA *l. c. p.* 109. Inter multa alia et Scillam continent.

A L L I V M.

LINN. *Syſt. veg. p.* 265. *Gen. pl. p.* 163.

514.

Pharm. ALLII *Radix.*

Allium ſatiuum; caule planifolio bulbifero, bulbo compoſito, ſtaminibus tricuſpidatis LINN. *Spec. pl. p.* 425. Allium ſtaminibus alterne trifidis, foliis gramineis, capite bulbifero, radicibus in vnum bulbum congruentibus HALL. *Opuſc. p.* 331. Allium ſatiuum C. B. Σϰοϱοδον Graecis. Pl. perennis; ſecundum LINNEUM in Sicilia ſponte prouenieus. Colitur vero in hortis Europaeis frequentiſſime ob radices bulboſas.

RADIX eſt bulbus ſubrotundus, veſtitus membrana communi, conſtans ex bulbulis pluribus faſciculatim varia ſerie iunctis, quolibet faſciculo propria tunica obuelato. Bulbuli (Αγλιϑες Graecis, Spicae Latinis, Zehen v. Klauen Germ., Klyfta Suecis, Cloves Anglis) circiter quinque vel ſex oblongi incurui ouati acuti, hinc plani inde conuexi, ſinguli ſua membrana cincti. Parenchyma horum ſolidum, carnoſum, album, ſucco ſcatens limpido.

Odor

Odor radicis ſpecificus, graueolens, ingratus, volatilis, ita vt ſponte in conclaui diffundatur. Sapor acris ſubdulcis. Operae pretium fuit, ſollertius inquirere, quanam in parte lateat odorum vel ſapidum, quod toti fere generi commune eſt, et quibusdam aliis ſtirpibus, vt Eryſimo Alliariae, Petiueriae alliaceae rel. quoque competit, et tantum penetrat, vt eo non fluida modo ſed et ſolida corporis animalis impraegnentur. Succus ex recenti radice elicitus $\frac{1}{4}$ fere ponderis conſtituit, isque viſcidus eſt, alliacei odoris, quem et, poſt inſpiſſationem modico igne factam, bonam partem ſeruat. Siccando radix etſi iacturam patitur ponderis ſui dimidio maiorem, vix notabile tamen diſpendium ſaporis vel odoris ſubit. Coctione cum aqua vel aceto exuitur vtroque, ſimulque et vi ſua, et nonniſi extractum iners mucilaginoſum remanet, vix ſapidum (LEWIS *Mat. med. p.* 30.). Deſtillatione autem aqua recipit odorem cum ſapore Allii abunde ex oleo aethereo diſperſo, quod ipſum quoque vna ſeorſim aſcendit, ſed parciſſima copia. Etenim vix $\frac{1}{512}$ pars modo (NEUM. *Chymie vol.* 2. *P.* 1. *p.* 60.) vel alio experimento tantum $\frac{1}{576}$ (ex libris ſex olei drachma vna: SPIELM. *M. m. p.* 39.)

p. 39.) elicita fuit. Hoc ipſum coloris citrini et ſpiſſius paullo eſt, aquae fundum petit et odorem ſpargit ſpecificum Alliorum penetrantem ſaporemque habet vehementer acrem. Spiritus vini extrahit facilius et abundantius vires Allii, quam aliud liquidum, cuius ratio ex vi ſpiritus vini in vniuerſum in olea aetherea explicari poteſt, vnde poſt macerationem inſpiſſatus vires Allii colligit.

Condimentum ciborum plebis conſtituit vulgare, additurque iuſculis, carnibus, quibus ſaepe infigitur, dum aſſandae ſunt, item elixis, piſcibus, oleribus, etiam acetariis variis. Sunt et integrae gentes, quae eo impenſius delectantur, vt orientales, Ruſſi, Hungari, Hiſpani, Galli, item Iudaei, prout et bulbi aliarum ſpecierum Allii ad condiendos cibos adhibentur, vt Allii aſcalonici, Porri, Cepae, item bulbuli floribus interſperſi ex A. Scorodopraſo (Rockenboll), nec non folia A. Schoenopraſi, fiſtuloſi e. ſ. p. Omnium autem vſitatiſſimum Allium ſatiuum eſt, etſi gratia pluribus aliis ſpeciebus poſtponendum. Multorum tamen palato hoc condimenti genus in vniuerſum diſplicet, vel ventriculo ſenſiliori moleſtum

leſtum eſt, item corpus calefaciendo ſubinde nocet. Hinc et cholericis, bilioſis aduerſum eſt, et ad phthiſin (CAELIUS AURELIANUS *tard. paſſ. l.* 2. *c.* 14. *p.* 398.) et haematuriam procliuibus. Oculis quoque nociuum exiſtimatur (DIOSC.). Coctione tamen miteſcit. Et in vniuerſum magis conducit hominibus robuſtis et labori grauiori aſſuetis, quam aliis.

Radix Allii liberalius ingeſta non halitum modo oris odore ſuo inquinat, ſed ipſum lotium, lac, ſudorem, impraegnat. Et ſudoris quidem eruptionem inſigniter vel cibis addita promouet. Nihil enim incredibile inuoluit, ex fonticulis aliquot horas poſt ingeſtum Allium exhalaſſe odorem ſuum (BONNET *theatr. tabid. p.* 84.), vel ex fiſtula humeri odorem Ceparum ingeſtarum fuiſſe perceptum (KERCKRING *Obſ. anat. p.* 38.), vel Allium plantis admotum ſaporis ſui ſenſum in ore creauiſſe (BLAIR in *Hall. Opuſc. bot. p.* 332.).

Haecce omnia edocent, quanta vi Allium inſtruatur penetrandi per minima corporis noſtri vaſcula. Stimuli eius acris teſtis non modo guſtus iudicium eſt, ſed cuti applicatum eam inflam-

inflammat, exaſperat et in veſiculas attollit. Incidendi eius potentiae et ſudorem lotiumque pellendi quoque non obſcura veſtigia praeſto ſunt, quae omnia in ſubſequentibus vberius confirmabuntur. Non in vno igitur morborum genere haud ſpernendum remedium Allium eſt.

Pituita in pectore collecta, ſi difficultatem ſpirandi vel tuſſim excitat, egregie ab Allio reſoluitur, experimento a multis etiam antiquitus inſtituto. Frictum, dein contritum et cum melle mixtum placuit CELSO (*Lib.* 4. *c.* 4. *p.* 199. *ed.* KRAUS.). Crudum coctumue veterem tuſſim in cibo lenire obſeruauit DIOSCORIDES (*M. m. l.* 2. *cap.* 182.). Allium ſiue crudum ſiue conditum in hunc finem commendauit MEADIUS (*Monit. et praec. med. p.* 56.). Concinnius in tuſſi catarrhali absque febre lac cum Allio coctum ad libram vnam mane, et veſperi potatur (ROSENSTEINS *Huſ- och Reſe-apot. p.* 71.), cuius efficaciam ipſe caſu obſtinato cum extenuatione corporis iuncto cognoui. Vel prodeſt in aſthmate pituitoſo bulbulos tres vel quatuor Allii tenuiter conciſi cum lactis libris duabus coquere, huiusque ſerum pauxillo aceti vini paratum in miſcela

tantilli

tantilli mellis ſinceri calide bibere et vſum pro neceſſitate pluries iterare (*l. c. p.* 87.); item iuſcula Allio bene condita proficiunt.

In hydrope diureticam vim pluries optimo ſucceſſu praeſtitit, vt et inter plebem haecce efficacia innotuerit. Conſilium concedendi illud continuo, vtut rude videatur, pagano tamen hydropico ſanitatem poſt copioſum lotii profluvium reddidit; aliis profuit ſuccus per pannum expreſſus cum iure veruecis aut pulli potatus (FOREST. *Obſerv. lib.* 9. *obſ.* 27.). Sic alius, aſciticus, Allio cum lacte cocto conualuit (BARTHOL. *Hiſt. anat. Cent.* 2. *hiſt.* 74.). Solo Allio miſſis euacuantibus ex aliorum praeſcripto hydropem incipientem fuiſſe ſublatum SYDENHAMUS (*Oper. p.* 500.) teſtis eſt.

Inter febrifuga Allium iam collocauit antiquitas, nec hacce laude vel noſtro tempore excidit. Ante acceſſionem febris ſumendum Allium curauit CELSUS (*p.* 142. *ed.* KRAUS.), cuius, quam mente concipit, efficacia inde declaratur, quod illud balneo calido vel calidae aquae cum Pipere potae aequiparet. Nempe calorem excitando et ſudorem pellendo horrori praeuertit.

Quem

Quem finem aſſequi in febribus intermittentibus multis aliis auxiliis tentatum eſt (Vid. DE HAEN *Rat. med. P.* II. *p.* 57. *ſqq.*). Adultis ſaepe profuiſſe in auerruncanda febre grauis inter recentiores teſtis eſt (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 317.). Imo quartana vexatos inde conualuiſſe legimus; inceptum eſt ab vnico bulbulo mane et veſperi, et quotidie vnus additus, donec vna quatuor vel quinque bulbuli conſumti fuerint: ſi febris tum diſparuerit, diminui doſin ſuadetur ad bulbulum vel duo mane et veſperi per plures hebdomades (BERG. *Mat. med. veg. p.* 255.).

Quae a multis celebrata fuit eiusdem in peſte vis (Vid. auctores numeroſos collectos in ZORN. *Botan. med. p.* 40.), eius ſudorem pellendi poteſtate potiſſimum niti videtur: non tamen in funeſto hocce morbo absque conditionum iuſta libratione mouendum ſudorem ſcite inculcauit cl. CHENOT (*de peſte p.* 108. *ſqq.*). Quae DIEMERBROECKIUS (*de peſte p.* 164.) tamen contra Allii in peſte vſum profert, analogia potius et peregrina auctoritate fulcrum obtinent, quam propria obſeruatione.

In

In calculi lotii cruciatibus tollendis domeſticum multis eſt; in cuius generis remediis ſaepe aliquid ſuperſtitionis ſeſe admiſcet: quorſum refero, quod ſpiritus vini cum Allii particulis tribus (bulbulos puto) quatuor vel quinque per viginti quatuor horas maceratus et in ipſo nouilunii momento captus, auxilium in nephritide calculoſa attulerit, repetitione per ſingulos ſubſequentes menſes eodem modo facta (HOYER *Ephem. nat. cur. Cent. I. p.* 126.), vel quod Allii tria capita cum ſpiritus vini cochleari vno ſub eadem lunae phaſi comeſta et deglutita iuuerint (GOETZ *Act. nat. cur. vol.* 2. *p.* 434.). Plus fidei ineſt, quod ex bona portione Allii recentis contuſi, mane cum aliquot vnciis lactis decreſcente luna per ſex dies ſingulis menſibus ingeſta, ſecunda vice cum copia ſabuli iunctim cum lotio eiecta mitigati fuerint dolores ex calculo veſicae, dein iterato vſu omnino ſiluerint (MÖHRING in *Commerc. Nor.* 1735. *p.* 220.). Coniectura etiam probabilis eſt, quod lithontripticum circumforanei PERRY nonniſi ſuccus Allii fuerit (GUIDETTI *della nefrotomia e Litotomia* in *Götting. Anz.* 1784. *p.* 608.). Experimenta LOBBII (*de diſſolv. calc. cap.* 10.) cum calculis, ſucco vel in-

fuſo ſiue decocto Porri item Ceparum inditis, nouum rei pondus addunt.

In ſcorbuto auertendo et ſubigendo prodeſſe, dudum cognitum eſt (LAUREMB. *Appar. plant.* *l.* 1. *p.* 22.). Fidem auget auctoritas viri de hoc morbo egregie meriti, qui additamentum Allii vel Ceparum in cibis (LIND *on Scurvy*, *p.* 182. 188.) praeſeruatiui inſtar valde extollit, item eadem curando morbo (*l. c. p.* 224.) idonea maxime inuenit. Recentia, vel, ſi haec deficiant, aceto condita valde proficua ſunt.

Tranſeo ad vim Allii anthelminticam, qua ipſa per halitus ſuos, quos inſtar Aſſae foetidae, Camphorae, florum Sulphuris, ſpargit, paucis poſtponendum eſt, et vulgare inter plebem domeſticum. Egregie iuſculis incoquitur, vt corpus praeparetur ad ſpecificorum vſum (ROSENST. *om Barns ſjukd. p.* 356.). Sed vel ſolum medelam affert, ſi ieiuno ſtomacho duae vel tres eius ſpicae ſ. bulbuli deglutiuntur, vel eduntur conciſae in pane butyraceo, vel lacte (ID. *p.* 363.) capiuntur. Lacte coctum etiam in complicato morbo ſpaſmodico epidemico iuuit, dum conuulſiones vermes expellendo mitigauit (TAUBE *Geſch.*

der

der Kriebel-Krankheit p. 207.). Ipſam adeo taeniam pellit veriſſimo DIOSCORIDIS effato; vnde aetas, qua de vermifuga virtute conſtitit, diiudicari poteſt. Imo non pellit modo huncce vermem, ſed vere, dum adhuc in inteſtinis nidulatur, necat. Mulier, ROSENSTEINII ſuaſu vnum vel duo bulbulos deglutiens quouis mane, poſt ſex menſes portionem taeniae ſedecim vlnarum deiecit, cuius maxima pars mortua poſt experimenta comparuit, inſtructa capitulo ſuo quadriiugo (*Vet. Acad. Handl.* 1760. *p.* 186. *ſq.* et ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 385.). Ita Allium lacte coctum multis fruſtra tentatis taeniam totam expulit (BISSET'S *med. conſtit. of great Brit. p.* 340.).

Acrimonia, quae Allio ineſt, ſub externa applicatione iis in caſibus aptum medicamen facit, quibus rubefacientia conducunt, ſcopo revellendi et vires excitandi. Veſiculae inde ſaepe excitantur et dolorem haud mediocrem ciët, ita vt mica panis ſimilaginei cum lacte cocta opus ſubinde ſit ad illum ſedandum. Ob hunc ſtimulum magni olim aeſtimatum, in variolis confluentibus adultorum, conciſum et intra linteum

plantis pedum admotum a die octauo, quo primum facies intumeſceret, ſingulis diebus renouatum, vt vis morbi a capite reuelleretur (SYDENHAM *Oper. p.* 378.). — Contra tuſſim conuulſiuam aliasque tuſſis ſpecies obſtinatas in Britannia ſeptentrionali Allium cum aequali copia axungiae porcinae contuſum et bis vel ter de die plantis pedum inunctum crebro adhibetur, idque eximio ſucceſſu. Praeſtat autem linteo inunctam hanc medicinam applicare maneque et veſperi eandem renouare, quum Allium facile vi ſua orbetur. Abeſſe vero debet calor et febris, quum alias aeger grauius afficiatur (BUCHAN'S *domeſtic Medicine p.* 313.). — Sunt qui contuſum carpis imponunt ante paroxyſmum febris intermittentis; vnde vero teneriores facile in animi deliquium ob nimium ſtimulum incidunt (LIND *on the Diſ. in hot Climates p.* 301.). Alii eodem fine picem liquidam cum Allio mixtam abdomini illinunt, praecipue ferri equini forma, vnde veſiculae exſurgunt (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 315.). Quicquid enim horum ſtimulantium eſt, calorem ſudoremque loco horroris excitat, modo effectus ſeſe exſerat ea periodo, qua alias horror incidat. — Acria varii generis etiam

etiam morſum ſerpentum venenatorum eneruant vulneri applicata, vt quae virus eodem loco, quo intrauit, eliminant. Hottentotti ſuccum bulborum exiguorum alborum Allii cuiusdam eo ſcopo vulneri adhibent (DE LA CAILLE *Journ. hiſt. du Voyage au Cap de b. Eſp.* p. 274.). Arabem quendam, poſt ſcarificationem vulneris et carnis ope nouaculae, Allium comediſſe, et eius fruſto in ore retento venenum exſuxiſſe legitur (NIEBUHR *Beſchr. v. Arabien* p. 134.); pars virtutis in ſectione videtur quaerenda eſſe. — Alia analogia cum aliis rubefacientibus apparet in vi ſucci herpeticum exanthema delendi, quam ſaepe exſerit, dum illi illinitur (BERG. *M. m.* p. 256.). — Verrucas Allium contuſum et cum axungia porcina impoſitum exſtirpat. — Surditati autem ſtimulo ſuo vel penetrante natura mederi ſaepe compertum eſt, quo fine plebs in Scotia bulbulum auri intrudit (DUNCAN'S *medical Caſes*, p. 211.). Vel goſſypium ſucco Allii impraegnatum auri repetitis vicibus per diem vnicam immittitur, ſubſequente rubore pruritu et deſquamatione (BERG. *l. c.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRUPUS EX ALLIO *Ph. Lond. p.* 78. *Ph. Suec. p.* 114.

OXYMEL EX ALLIO *Ph. Lond. p.* 85. Semina aromatica addita ad corrigendum odorem et ſaporem Allii ingratum. Expunctum in nouiſſima pharmacopoea.

515.

Pharm. PORRI *Radix.*

Allium Porrum; caule planifolio vmbellifero, ſtaminibus tricuſpidatis, radice tunicata LINN. *Sp. pl. p.* 423. Porrum commune capitatum C. B. Allium ſtaminibus alterne trifidis, foliis gramineis, floribus ſphaerice congeſtis, radice truncata cauli circumnata HALL. *Opuſc. botan. p.* 348. Icon: REGNAULT *Botan.* le Porreau. Ignotae patriae.

RADIX eſt bulbus conicus longitudinis duorum pollicum vel vltra, tunicatus, albus, ſuccoſus, baſi ſulcatus. Spirat odorem ſui generis, ſapore autem inſtruitur blandiori acri, ſubdulci. Vſu culinari hodie magis longe claret, quam medico,

dico, quo ipſo vires Allii analogas pollicetur. Subſiſto in eius calculum vrinarium ſoluendi virtute, qua ipſa decoctum Porri ſucco praeſtantius eſt; nam calculi ſucco immerſi vltra duplum tempus digeſtionis calidae requirunt, antequam incipientem ſolutionem et emollitam ſuperficiem produnt, quum contra in decocto trium dierum ſpatio ſoluantur, vnde concludere pronum eſt, cibum ex elixis Porris et potationem decocti eorundem calculoſis proficuam eſſe (LOBB *de diſſolv. calcul. Exper.* 85-94.). Infuſum theaeforme pariter cedit vi decocto, licet ceteroquin non ſpernendum (*l. c. Exp.* 95.). Vinum vero Porris infuſum nullam efficaciam in calculum exercet (*l. c. Exper.* 94.).

§. 516.

Pharm. VICTORIALIS LONGAE *Radix.*

Allium Victorialis; caule planifolio vmbellifero, vmbella rotundata, ſtaminibus lanceolatis corolla longioribus, foliis ellipticis LINN. *Spec. pl. p.* 424. Victorialis longa CLUS. *Pann. p.* 223. *ſq.* Allium montanum latifolium maculatum C. B. Allium radice oblonga reticulo obducta, foliis ouato-lanceolatis, vmbella ſphaerica HALL. *Opuſc. bot. p.* 375. *Hiſt. ſtirp. helv. p.* 1229.

 Icon:

Icon: JACQU. FL. *Auſtr. tab.* 216. *vol.* 3. *p.* 9.
Pl. perennis, in alpibus et montibus Heluetiae et pratis alpinis Auſtriae et aliis regionibus creſcens.

RADIX epitheton ſuum obtinuit, vt diſtingueretur a radice Gladioli communis L. quae Victorialis rotunda dicta et pariter tunicis reticulatis veſtita eſt, hodie ex officinis exul. *Longa* bulbus eſt, vel ſimplex, vel plures parallelo ſitu iuncti, quorum quilibet ſingularem caulem profert, ex baſi craſſula cylindraceus, rugis annularibus veſtitus, membranis pluribus craſſis fuſcis, quarum extimae reticulatae.

Odor alliaceus toti plantae inſidet, item radici recenti, ſed debilior, quam aliis ſpeciebus. Siccata radix officinarum caret et odore et ſapore; hinc ſub hac ipſa conditione non meretur contra morbos adhiberi. Alpicolis in Heluetia ſuperſtitioſo fine radix arridet. Aduerſus ſpaſmos abdominis praecipue grauidarum non omni vi carere HALLERUS (*Opuſc. cit. p.* 377.) aliquoties obſervaſſe ſibi viſus eſt, ſed reticet modum. Vix credi poteſt in amuleto commodum hoc fine eſſe, licet alibi ad crampos grauidarum amuleti loco appendi ſignificet (*Hiſt. ſtirp. l. c.*).

517.

517.

Pharm. CEPAE *Radix;* vel CEPAE.

Allium Cepa; ſcapo nudo inferne ventricoſo longiore, foliis teretibus LINN. *Spec. pl. p.* 431. Cepa vulgaris C. B. Allium ſtaminibus alterne trifidis, caule ad terram ventricoſo HALL. *Opuſc. p.* 356. Planta perennis, patriae ignotae.

RADIX bulbus rotundus depreſſus eſt, ruber, conflatus ex membranis concentricis. Exſtat et varietas alba paullo maior non depreſſa, quae blandior. Colitur vtraque crebro in hortis.

Sapor eiusdem acris, ſubdulcis, odor fragrans, alliaceus. Recens diſſecta ſpargit vapores, oculos ad lacrymas ſollicitantes. Siccatione odor ſaporque multum minuitur, et ſeptem circiter partes ex octo, quae fere vnice aquoſae naturae ſunt, diſſipantur. Oleum aethereum adeo arcte cum aquoſis partibus iunctum eſt, vt ſeorſim colligi nequeat. Hinc aqua deſtillata fragrantiſſima. Aqua aeque ac ſpiritus vini virtutem quoad partem abripit. Iſta Cepis cocta extracti mucilaginoſi debilis $\frac{4}{5}$ circiter ſuppeditat, hic extracti $\frac{3}{4}$ ſaporis paullo manifeſtioris (NEUMANNI *Chymie, vol.* 2. *P.* 1. *p.* 431). Comparatione vero cum iis, quae de

Allio dixi (*p.* 123. *ſqq.*), facta apparet, Cepis ineſſe partes adhuc magis volatiles. Ceterum virtutibus ab eodem non multum differt.

Crebrius condiendis cibis Cepae inſeruiunt, quam medico cuidam fini aſſequendo. Acetarii genus conſtituunt haud ingratum aqua ſalſa maceratae dein cum aceto vini et aromatibus coctae; quod et grata embammata reddit. Nec ſub cibario vſu deſtituuntur viribus medicis, quod et incommoda teſtantur, quae ex copia nimia redundant, ſimilia iis, quae de Allio dixi, vnde et frigidis et pituitoſis magis conducunt.

Cibis additae in ſcorbuto coërcendo eximia valent (V. ſupra de Allio *p.* 130.). In retentione lotii ſubinde confert ſuccum earum expreſſum ad aliquot vncias cum tantillo ſacchari mixtum pro eodem pellendo ingerere; auget vim applicatio externa cataplaſmatis ex Cepis in pulpam coctis et emollientibus regioni veſicae ſuperdatis (CHOMEL *Plant. uſuelles tom. I. p.* 293.). Diuretica haecce vis conſtitit in ruſtico Ferrarienſi, ventre in immenſum ex collecta aqua tumente pedibus item inflatis, qui vnice Cepis crudis et coctis in cibo ingeſtis et decocto Ce-

parum

parum pro potu aſſumto intra menſis ſpatium vrina copioſe emiſſa conualuit (LANZONI *Oper. tom.* 2. *p.* 501. *Obſ.* 207.). In foemina poſt abortum aſcitica, cataplaſma ex Cepis albis ſpiritu vini maceratis abdomini impoſitum, vnde vrina probe fluxit et tumor ſubſidit; idem in eadem foemina tumorem hydropicum pedum diſpulit (*Recueil period. tom.* 1. *p.* 416.). — Calculum vrinarium Cepae pariter ſub experimentis externis ſoluunt, ſucco ſuo meraco tamen debilius (LOBB *Exper.* 96-99.), quam eodem aqua diluto (*l. c. Exper.* 100.), decoctum Ceparum quosdam calculos ſoluit, in alios autem nullum effectum edit (*l. c. Exper.* 101. 102.). Alunt haecce experimenta laudem, qua Cepae diſtinguuntur paſſim in libris inſtar lithontriptici.

Praeter iſtum, quem indicaui, vſum externum memoranda egregia Ceparum efficacia in ſuppuratione promouenda, ea nominatim, quae ſtimulo opus habet, quo fine et mucilagine ſua et acrimonia conducit. Cineribus aſſatae tum applicari ſolent vna cum reliquis cataplaſmati idoneis coctae. — Contra ſuſurrum aurium ſuccum goſſypio exceptum auri indere confert.

ASPHO-

A S P H O D E L V S.

LINN. *Syſt veg.* p. 272. *Gen. pl.* p. 167.

518.

Pharm. ASPHODELI *Radix*.

Aſphodelus ramoſus; caule nudo, foliis enſiformibus carinatis laeuibus LINN. *Sp. pl.* p. 444. MURR. in *Comm. Soc. ſcient. Gott.* 1776. p. 37. c. ic. *tab.* 7. Aſphodelus albus non ramoſus C. B. Aſphodelus albus ramoſus mas ID. Variat ſpica ſimplici et ramoſa. Pl. perennis auſtraliorum Europae regionum, vt inferioris Galliae, Hiſpaniae, Siciliae, Idriae, locis montoſis.

In pauciſſimis libris de materia medica hodiernis comparet radix, excluſa quoque a praxi noſtri temporis. In pharmacopoliis Germaniae bulbus Lilii Martagi eius loco plerumque ſeruatur, cuius forma tamen inſigniter differt. Nam

RADICEM recentem veram inueni, vt et alibi deſcripſi, faſciculatam, conſtantem ex tuberibus numeroſis elongatis ſeſquipalmaribus, epidermide bruna veſtitis, interne ſordide luteis,

carne

carne extus ſpongioſa, medio compactiori. Summitati eiusdem adhaerent ſcopae fibrarum ſiccarum ex foliis et ſquamis radicalibus marcidis.

In Gallia radices conquaſſatae porcis proiiciuntur, materiem tamen nullam amylaceam cl. PARMENTIER inde eruere valuit (*Mem. d'agriculture de la Soc. d'Agric. de Paris* 1786. *Printems Hiſt. p.* 9.).

Quo in pretio et hominibus olim fuerit vel collecta a ZORNIO (*Botanol. med. p.* 99.) medicorum priſtinorum effata declarant. Deſcribitur acris et amara; et vi aperiendi menſtrua et lotium pellendi praedita olim credebatur. Purgandis quoque vlceribus ſordidis par habita. Aſphodelum veterum eſſe eundem cum hoc, vix ſinit credere vbertas laudum, qua illum ornarunt. Quid vere valeat, nonniſi nouis experimentis erui poteſt.

VERATRVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 757. *Gen. pl. p.* 540.

519.

Pharm. HELLEBORI ALBI *Radix.*

Veratrum album; racemo ſupradecompoſito, corollis erectis LINN. *Spec. pl. p.* 1479. Helleborus albus flore ſubuiridi C. B. Icon: JO. MILL. *Illuſtr. ſyſt. ſex.* JACQU. *Fl. Auſtr. tab.* 325. GUNNER. *Flor. Norv. P.* 2. *tab.* 1. Pl. perennis, in locis montoſis Heluetiae, Italiae, Auſtriae, Norvegiae, Sibiriae item in pyrenaeis, vti et in America ſeptentrionali, creſcens.

Veratrum nigrum; racemo compoſito, corollis patentibus LINN. *Sp. pl. p.* 1479. Helleborus albus flore atro-rubente C. B. Icon: JACQ. *Fl. Auſtr. tab.* 336. Planta perennis in Auſtria, Hungaria, Sibiria, indigena.

Perinde eſſe, ex quanam harum ſpecierum radix ſumatur, quum ill. LORRY (*de melanch. tom.* 2. *p.* 289.) et ill. A LINNÉ (*Amoen. acad. vol.* 9. *p.* 261.) edixerint, etiam alteram praeter conſuetudinem ſubiicio. Quae vero iam commentanda ſunt vi experientiae ad priorem ſpectant.

Venena-

Venenatiſſima omnibus partibus ſtirps non hominibus modo, ſed et brutis. Integra paſcua ſubinde inutilia pecoribus reddit. Oues necat, verno tempore tenellam herbam depaſcentes (PALLAS *Ruſſ. Reiſe, vol.* I. *p.* 49. KALM'S *N. Amer. Reſa, tom.* 3. *p.* 48.). Seminibus eius inter foenum delapſis pereunt aues domeſticae, prout in Norvegia ex foliorum proiectorum particulis deglutitis gallinae mox viuere deſierunt (GUNNERI *Fl. Norveg. P.* 2. *p.* 2.). Ita et foliis necantur anſeres (KALM). Fame tamen permoti equi illam in Ruſſia ſubinde cum foeno deuorant, ſed aliquando haud ſine torminibus ventris et ſpuma ex ore ſurgente; vnde ſub foeniſecio ſollerter auferuntur plantae fortuito admixtae (PALLAS *l. c.*). Ipſa tamen recens herba nondum florens ab eſurientibus equis ibidem ſub itinere depaſta eſt, et verno tempore hi ipſi ſine alio effectu illam deuorant, praeterquam quod aluum hiſce aliquando ſoluat (PALLAS *l. c. vol.* 2. *p.* 190.). Solet plantis viroſis vere adhuc tenellis mitior natura eſſe; nec videntur animalibus, labore et pabulo parco exſucco eoque multiplicis varietatis obduratis, vt equi iſti aurigarum, ea tam facile nocere poſſe, quae aliis, vitae generi et pabulo

praeſtan-

praeſtantiori aſſuetis, vim inferunt. Mulum inſuper auide ingerere folia loco natali creſcentia obſeruatum (HALLER *Hiſt. ſt. Helv.* *n.* 1204.). Sed inhaerendum praecipue radici eſt.

RADIX ſicca extus cinerea eſt, interne albida, parte medullari griſea et laxiori, reliqua compactiori et pallidiori, longitudinis vix palmaris, ex ampliori baſi diametri fere pollicis, contrahitur in formam conico cylindricam apice obtuſo; extus ſcabra eſt prominentiis ex veſtigiis copioſiſſimarum fibrarum reſectarum, quas recens vndique ſpargit. Recens odore inſtruitur ingrato, ſicca inodora, ſed ſaporis amaricantis, ſaliuales fontes manifeſte ſollicitantis, ex obſeruatione cl. GREW (*Anatomy of plants*, *p.* 284.) labia praecipue adurentis. Dum in puluerem redigitur, hic naribus attractus eas valde vellicat in ſternutationem vsque.

Aues, in America ſeptentrionali ſeminibus Zeae Mays conſitis inſidiantes, inebriantur iisdem ante ſationem decocto huius radicis immerſis; quo artificio ad terrendas alias ibidem vtuntur, inebriatae autem poſtea collectis viribus aufugiunt (KALM'S *Reſa til N. America, tom.* 3. *p.* 35. 48.).

Si

Si gallinae vel anates caſu haecce grana deglutiunt, valde inde afficiuntur ſoporeque tentantur vix vincibili. Canes ſubinde radicis deuoratae vim eludunt ſubſequente vomitu (*l. c.*). Catellus trium circiter hebdomadum, ex eius ſcrupulo vno cum lacte ingeſto, vomitu cum alui ſolutione et conuulſiuis motibus affectus eſt, intra quadrantem horae ſemimortuus, donec incideretur ſub ſignis inflammati ventriculi (WEPFER *de Cicuta aquat. p.* 219.). Animalia ferro, cui ſuccus huius radicis illitus, vulnerata mox pereunt, experimento in brutis et gallis gallinaceis a MATTHIOLO (*Comment. in* DIOSC. *p.* 846. *ed.* BAUH.) ſaepe repetito. Venatores in Hiſpania olim ad necandas feras ſagittis hocce modo venenatis vtebantur, absque vllo funeſto effectu ab eſu metuendo. Veratrum in vulnus cuniculorum, canum, felium, forma extracti immiſſum, effectibus veneni formidabilis Lamaſenſis ſ. Ticunaſenſis ſimilia praeſtat (HERISSANT in *Phil. Tranſ. vol.* 47. *p.* 82.).

Multa exempla vehementiae, qua corpus humanum improuide datum afficit, quin deleteriae potentiae, exſtant. CONRADUS GESNERUS (*Epiſt.*

medic. p. 69.) quum infuſi aquoſi, ex Hellebori albi drachma dimidia et aquae vnciis duabus, modo drachmam dimidiam veſperi ingereret, ſubſequente poſtea coena, feruorem linguae et gutturis percepit, ardorem porro circa ſcapulas, tum ſingultum, inflationem oeſophagi ſub ſuffocationis ſenſu, quae tamen vomitu arte excitato ſiluerunt. In cel. BERGIO (*M. m. p.* 819.) infuſum aquoſum pro ſola guſtatione captum, ſuperbibita modo aqua, ardorem faucium, cardialgiam, dolores lancinantes infimi ventris, excitauit. Liberalius capta radix praeter recenſita ſymptomata vomitus violentiſſimos ciet et aluum fortiter aliquando mouet ad ſanguinis reiectionem vſque (ETTMÜLLERI *Oper. tom.* 2. *P.* 2. *p.* 435.). Fertur et ſub applicatione ad regionem ventriculi vomitum ciēre (ID. *l. c. p.* 478.). Neruorum ſyſtematis et muſculorum affectiones parit horrendas, ſcilicet anxietatem, tremores, vertiginem, animi deliquia, aphoniam, reſpirationem interceptam, iacturam pulſus, conuulſiones, oculorum intorſionem, item conturbationem mentis, nec non ſudores frigidos cum frigore totius corporis. (Ex multis ad haec confirmanda hiſtoriis, quae afferri poſſent, allego modo paucas: WEPF. *de*

Cicuta

Cicuta p. 48. BORRICH. in *Act. Hafn. vol.* 6. *p.* 145. ALBERTI *Iurisprud. med. vol.* 6. *p.* 718. *Breſl. Samml.* 1724. *P.* 2. *p.* 269. *p.* 537. quorſum et pertinent aliae paſſim hac paragrapho citatae). Sternutatio, quam excitaſſe naribus attractam modo dixi, ſubinde aliis malis ſeſe ab interno abuſu aſſociat (*Act. Berol. Dec.* 2. *vol.* 6. *p.* 74. DE MURALTO in *Miſc. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 2. *p.* 239.). Nec minus ſtrangulationis, quaſi a laqueo, ſenſus, quem ſuſcitat, ad ſpecificos effectus referendus, malum iam antiquitus notatum, nec a recentioribus praeteruiſum (GESNER. *l. c. Miſc. nat. cur. cit. Breſl. Samml. l. c. p.* 537.). Qui ex ingeſto Veratro interierunt, in hisce mors vel citius vel tardius ſubſequuta, poſt duas horas (*Act. Berol. l. c.*), ſex (BENIVENIUS *de abditis ac mirandis morborum cauſis fol.* 11. *b.*), duodecim (*Miſc. nat. cur. Dec.* 2. *l. c.*). In cadauere horum ventriculus inflammatus, vel nigris maculis notatus cum corroſione interioris eiusdem tunicae, pulmones ſanguine atro repleti et inflammati comparuerunt (*Act. Berol. cit. Miſc. nat. cur. cit.*).

Nec facile conſtitui poteſt doſis, ſub qua hominem necet, id quod a multis quidem condi-

tionibus dependere poteſt. Ipſi vomitus et alui deiectiones in minori doſi aliquando vitam ſeruant, vt in Studioſo iſto Jenenſi, cui, quoniam aliorum cantharos cereuiſia plenos clanculum exhauſerat, aliquis clam ſcrupulum dimidium Veratri hauſtui indiderat (LEDEL. in *Miſc. nat. cur. Dec.* 3. *Ann.* I. *p.* 93.). Alius poſt ſcrupulum circiter vnum vino aduſto captum, conuulſionibus licet iam correptus, periculum tamen eluctatus eſt (*l. c. p.* 92.). Singularis fuit immunitas hominis, qui ex drachma dimidia modico aquae ſumta nonniſi vomitus quatuor et vnam alui deiectionem cum epidermidis ſubſequente deſquamatione perpeſſus fuit (SMETII *Miſc. med. p.* 565.). Qui vitam ſeruarunt diu tamen poſt ſummam debilitatem tremores, anxietatem et ſpaſticas conſtrictiones, dolores circa praecordia preſſorios ſuſtinuere (ALBERTI *l. c. Breſl. Samml. l. c. p.* 270. WEPF. *l. c.*).

Chemica analyſis non multum lucis de natura huius radicis accendit. Aqua non aeque efficax eſt in acrimonia eius eruenda, ac ſpiritus vini, nam infuſum aquoſum ſaporis debilioris eſt, et extractum praebet, quod dimidium fere ponderis ipſius radicis conſtituit, exiguae acrimoniae.

moniae. Spirituoſum autem infuſum tam amarum quam haud parum acre eſt, ex quo ſi vncia vna radicis experimento ſubiicitur, drachmae circiter ſex extracti eliciuntur, quarum grana vix ſedecim vera reſina ſunt (CARTHEUS. *Mat. med. vol.* I. *p.* 471.). Quod extractum quum infuſo cedat ſapore: palam eſt et volatiles partes huic radici ineſſe aëre et ignis vi euanidas. Acrimonia extracti vero eius naturae eſt, vt ſenſim ſenſimque modo ſeſe euoluat et ſemel linguae impreſſa diu tenax illi inhaereat.

Helleborus albus (Ελλεβοϱος λευκος) priſcorum Graecorum cenſetur a plerisque eſſe eadem ſtirps. Dolendum maxime, argumenta probationis potius ab effectuum ſimilitudine, qui quidem et in diuerſis ſtirpibus poſſunt eſſe iidem, peti debere, quam a plantae deſcriptione, quam veteres memoriae reliquere, quae ipſa valde manca exſtat. Folia a DIOSCORIDE (*M. m. lib.* 4. *p.* 150.) comparantur cum foliis Plantaginis (Αϱνογλωσσον), ſi modo ſit noſtrarum aliqua latifolia (folio ouato et neruoſo praedita), et radices fibroſae ex oblongo capitulo exeuntes deſcribuntur, praeter quae momenta nihil in noſtram ſtirpem quadrat. Veteres

de inſigni praeſtantia Hellebori ſui albi in variis morbis conuicti, omnes ſimul intenderunt neruos, vt noxas ſub vſu oriundas arcerent. Non latuit illos, eius vomitiones vehementes et alui deiectiones, ſtrangulationes, ſingultus, ſternutationes, rel. excitandi vis. Metuerunt quoque plus mali, ſi vomitus non ſuccederet. Hinc toti in eo occupati erant, vtne in ſelectu corporum peccaretur, vnde excluſerunt homines pulmonibus laborantes, imbecilliores, ſicuti foeminas, ſenes, infantes; vt diſpiceretur de tempeſtatis et anni temporis opportunitate; vt et rite praepararent corpus et moderarentur eius potentiam iuſta illum praebendi ratione, et mitigarent ſub ipſa eius actione turbas facile enaſcituras. Praenunciabant quoque aegris et cognatis curationis ambiguum genus inſtare. Non curo hic ſuperſtitioſos ritus, qui antiquiſſimo tempore ex Aegypto in Graeciam a MELAMPO, qui prima experimenta cum eodem feciſſe dicitur, translati fuerunt. Maioris momenti eſt memoria recolere, quod corpus antea praepararent iis, quae mobiliora magisque fluxa redderent eliminanda, mellitis ſcilicet et diluentibus, abſtinentia carnis, vini, vomitionibus per mitiora pharmaca, vt aquam oleo mixtam, pridie coenae abſtinentia. Ingeſto

autem

autem Helleboro cauebant a nimio corporis exercitio, quum effectus quiete mitior. Promtum vomitum deſiderabat HIPPOCRATES, vt vel ipſa corporis concuſſio auxilium ferret, qui niſi contingeret, ſtimulo adiuuare illum anniſus eſt, vel quantocyus Helleborum eliminare ſtuduit, vt tamen AËTIUS (*de re medica Lib. 3. cap.* 127.) diſertis verbis moneat, etiamſi radix nec vomitum nec aluum ſollicitet, tamen ſalutarem morbi, cui deſtinatur, medelam exſtare poſſe. Quodſi vero nimia vehementia effectus vrgeret, inunctionibus acidis, fomentis molliſſimis, cardiacis reficientibus opem attulerunt. Ipſa quoque commoda medicinam hanc dandi ratio ſollicitos eos tenuit. Rarius videtur data in puluere cum lentis cremore, aqua mulſa, lacte, vino dulci, in pulte vel cum melle in catapotia redacto. De doſi, qua offeratur radix, dolendum nihil ab HIPPOCRATE, nec a GALENO vel CELSO conſtitui. Vna mitigandi eam ratio haec antiquorum (GALENUS. PLINII *Hiſt. nat. lib.* 25. *cap.* 5.) fuit, quod ramuſculus radicis Raphanis inſereretur per diem noctemque, hique radicis Hellebori vi ſaturi, ſed iſto prius extracto, ederentur. Tutius tamen GALENO viſum; Raphanos vna ante vſum oxymelle

 mace-

macerare. Infuſum quoque cum aqua factum, item decoctum eodem menſtruo paratum, quod poſt mellis additamentum in ſpiſſitudinem mellis denſatum erat, adhibebatur. Et huius mellis cochlear vnum vel lingendum offerebatur, vel ex ſorbitione capiendum, et AËTIO (*Lib.* 3. *cap.* 134.) tutiſſimum cenſebatur, quippe quod nec conuulſiones nec contractiones nec nimiam purgationem efficeret, et diuturniorem moram ad diatheſin morboſam tollendam traheret. Apparet itaque, duplicem in vniuerſum in radicis exhibitione finem fuiſſe, vel vt inſignes turbas excitando partim concuſſibus vehementioribus fomitem morboſum ſubigerent, partim euacuatione fortiori excuterent, id quod intra quatuor vel ſeptem circiter horarum ſpatium contingeret; vel vt lentiori et pacatiori eiusdem effectu cunctando fomitem tollerent (Conf. de Helleboriſmis veterum HIPPOCR. *περι Ελλεβορισμȣ* in Oper. ed. LIND. *tom.* 1. *p.* 610. EIUSD. *Aphoriſm. ſect.* 4. *Aph.* 13.-16. JO. HENR. SCHULZII *Diſſ.* de iis praeſtita *Hal.* 1717. et LORRY *de melanch. vol.* 2. *p.* 288. *ſq.*).

Vtebantur autem antiqui radice ſui Hellebori albi in morbis curatu difficillimis chronicis, qui fortiſſimo

tiſſimo cuneo indigebant, quoties tenax quidam et rebellis tumor eſſet mouendus, quoties materies quaedam in caput ipſum et rationem impetum faceret, vel aqua alicubi vitioſe collecta eſſet educenda, demum in affectionibus cutis foedis chronicis. Mania itaque et melancholia, morbus comitialis, hydrops, elephantiaſis, vitiligo, lepra, rabies canina, praecipui morbi ſunt, in quibus iſti fidem tribuerunt. Notatum quoque, quod, qui in hiſce ſubierant efficaces euacuationes in profundum multumque ſomnum inciderint et aliquando ſudoribus diffluxerint.

Aſt ſenſim in deſuetudinem abiit Veratrum, vel quoniam mala ex improuido nec bene attemperato vſu enata medicos deterruerunt, vel, quoniam, quod probabilius, prout in re alia qualibet antiqua nouis locum cedere ſolent, ita aliis de morbis theoriis enatis, nouis denique medicaminibus pro eorum curatione inuentis, Veratrum obliuioni traditum. Non defuerunt tamen ſeculis proxime elapſis viri celebrationis nominis, qui ſimilibus, quos dixi, morbis illud praecipere non dubitarunt. Extractum Veratri a granis duobus ad tria, vel per ſe vel in aliorum connubio vtiliter

maniacis dedit MAYERNE haud ſine vehementibus euacuationibus. Tutiſſimum fuit mel helleboratum HEURNII ex mulſa vel aqua ſaccharata, vel optime cum decocto Aniſi (MAYERNE *Prax. med. Lib.* I. *c.* 7. *p.* 67. *ſq.*). Ad eandem morborum naturam, niſi dolus ſubfuerit (cuius quidem Helleborus quoque aptum remedium videtur), refero vexationem a daemone, qua Venetiis quidam olim tentati fuerunt, quam vero rev. Abbas ad Nicolai ſacrarium potione diſcuſſit ex Hellebori albi drachma vna, Cinnamomi ſcrupulo dimidio cum vini albi vnciis quatuor infuſis, addito colaturae pauxillo ſacchari; ſic euacuatione copioſa ſurſum et deorſum facta exorciſmo alio non opus fuit (WELSCH. *Mictomim.* in *Miſc. nat. cur. Dec.* I. *Ann.* 4 *et* 5.). WELSCHIUS eadem medela in eodem malo profecit; et MICHAËLI ſucceſſit, teſte ETTMÜLLERO, Lipſiae quondam in virgine, quae a daemone obſeſſa credebatur, Eſſentia huius radicis. In epilepſia radicem ad grana tria, qua doſi et vomitum et alui purgationem excitauit, robuſtis optimo ſucceſſu exhibuit MAYERNE (*Prax. lib.* I. *cap.* 3. *p.* 15.). Hiſce Veratri praeconibus iure additur CONRADUS GESNERUS, qui tam in epiſtolis vario loco, quam peculiari commentatione rem eius egit.

egit. Creberrime illo vtebatur non ad purgandum, ſed ad reſerandos meatus et craſſos humores attenuandos, incipiendo a parua doſi et paullatim aſcendendo. Vinum parauit ex radicis huius drachmis duabus et vini Cretici vnciis ſex, cuius colati drachmam dimidiam dabat, ſcrupulum ſenſim addendo, donec purgaret, quod aliquando ne ex ſex vel ſeptem ſcrupulis quidem contigit (EIUSD. *Epiſt.* *p.* 13. *b.*). Plurimum tamen tribuit Oxymeliti ſuo elleborato, quod et Iulianum dicitur, cuius duplex formula, farragine multa aliena farcta (EIUSD. *lib. de Aconito et Oxymelite elleborato.*). Vtrumque ornat multis encomiis valde liberaliter, partim iam de Veratro recenſitis, partim aliis, additis hiſtoriis prolixius expoſitis. Factum inde eſt, vt et in *Pharmacopoeam auguſtanam* (ZWELF. *Animadv. in Pharm. auguſt.* *p.* 99.) reciperetur, et varii medici, HANNEMANNUS, QUERCETANUS, SCRETA, WEPFERUS, MVRALTO, LINDERUS, illud laudarent, item paſſim ſuis formulis reciperent (Loca citat FRICCIUS in *Paradox. de venen.* *p.* 229. 233.).

Sed vt et Veratri efficacia nouitate experimentorum aliquam commendationem habeat, ſubſiſtam

in

in iis, quae vel noſtro tempore tentata ſunt. Non multum fiduciae excitat temerarius vſus, qui in Sibiria contra varios pertinaces morbos inualuit. Ibi decoctum radicis quouis mane per decem aut duodecim dies in hydrope hauriunt, vnde vomitus cietur et aluus purgatur vehementiſſimo impetu, quo paucis ſalus, plurimis mors obtingit (GMELIN *Fl. Sibir. tom.* I. *p.* 75.). Rarius ibidem in lue venerea adminiſtratur (*l. c.*). Jeniſeenſes in vlceribus qualibuscunque praecipue apertis pedum deuorant fibram radicis et capillorum vnum eorum, qui ad exortum caulis ſiti ſunt, et quouis quidem mane, donec vlcera munda euaſerint et coaluerint, ſub quo vſu ſaepe illis aluus mouetur et conatus vomendi incidit (*Ibid. p.* 76.). Sunt et in Ruſſia, qui recentem radicem ad dimidium Solotnik (= gr. XXXV. circiter) cum melle mixtam ad lumbricos et taenias pellendas ingerunt (PALLAS *Reiſe durch Rußl. vol.* I. *p.* 49.). Ruſtici ibidem quoque ſiccam radicem inſpergunt abſceſſibus, qui ex laruis oeſtri cuiusdam aeſtate in bobus enaſcuntur (*Ibid.*). — In Anglia haec radix, butyro in bolum redacta, contra rabiem caninam in omni ſtadio mali apud canes efficaciam praeſtitiſſe narratur (BLAINE in LAYARD's *Eſſay on the bite of a mad dog*, *p.* 68.).

Prae-

Praecipuam vero ſerius attentionem in ſe conuertit virtus, cui et antiqui plurimum tribuerunt, in mania et melancholia ſananda. Inceptae quidem felici auſo, ſed ob taedium aegri non perfectae, curationis exemplum refert cl. LORRY (*de melanch. tom. 2. p. 312.*) ſcil. maniaci, qui ingeſſerat pomum cum Veratri radice coctum, demebatur vero haecce ante vſum eiusque in locum ſaccharo pomum conſpergebatur; bihorio elapſo metus ſyncopes incidit cum faucium ſtrangulatione, ſtomachi et inteſtinorum cruciatibus vomituque multo, poſt ſomnum ſerenior multo mens, et licet iterare nollet experimentum, mitigatio iſta delirii conſtantiam ſeruauit. Vetulus ille, qui plures inſanos reſtituiſſe integritati hacce ratione aſſeuerauit, ſolebat drachmam radicis vnam imo et alteram in vehementiori malo pomo indere. Differre ab hocce caſu alius videtur, pariter a LORRYO notatus, licet effectibus ſimilis, in quo drachmam vnam pulueris radicis mediae parti pomi coquendi indiderat, et, radice ablata, eius in locum ſaccharum: vehementia effectus vero deterruit et aegrum et cognatos eius ab vlteriori experimento, quod tamen completiorem ſucceſſum promiſerat (*Mem. de la Societé R. de Medec. tom. 2. p. 183.*).

p. 183.). In hoc tamen oblationis modo facile patet, medicamen non ad exactum ſatis ſibique ſimile ſemper pondus redigi poſſe. Euidentius igitur apparet, quid valeat Veratrum, ex mox ſignificandis experimentis.

Pleraſque memoriae proditas hiſtorias in cl. JO. ERNESTI GREDING opere poſthumo (*Vermiſchte med. u. chirurg. Schriften, Altenb.* 1781. *inde a p.* 30.) legimus, et harum quidem viginti octo in noſocomio Waldheimenſi concinnatae, nam de reliquis aegris, qui adfuiſſe videntur, nullae narrationes per partes factae ſunt. Recenſitarum quaedam nos de exitu ambiguos relinquunt, quum mors auctoris videatur impedimento fuiſſe, nec de omnibus conſtantia curationis euicta eſt. Dolendum quoque ex numeroſis et ampliter quidem deſcriptis caſibus vix alia conſectaria fuiſſe deducta, quam quae ad doſes dati Veratri ſpectant: meum igitur putabo haſce lacunas replere. Aegri, quorum cura gerebatur, erant mania, melancholia vel tranſitu mutuo vtriusque mali correpti; in quibusdam quoque epilepſia malis dictis ſeſe aſſociauerat. Vſus in hiſce fuit cortice radicum verno tempore collectarum, reiecta interna parte lignoſa, in

in miſcela ſacchari et quidem in puluere. Initium factum exigua doſi grani vnius intra nychthemerum, ſenſim augendo eam. Pauci ex vno vel altero grano nauſeam et vomituritionem experti, ſed modo ex maiori doſi granorum octo, quindecim, viginti et aliarum intermediarum doſium; quin grana viginti quatuor aegra quaedam tulit absque iſtis effectibus. Sed ſunt, quibus grana ſex vel ſeptem vomitum excitarunt, qui quidem tanto certius ſubſequutus doſi maiori, e. c. granorum duodecim, ſcrupuli vnius, granorum viginti ſeptem. Extractum quoque Störckiana arte paratum quibusdam datum eſt, vel in miſcela pulueris Veratri vel Valerianae vel Viſci querni, forma pilularum. Sed quum primi generis extractum exiguas modo euacuationes efficeret, reliqua nullas plane: ſubſiſtere in vſu pulueris viſum eſt (GREDING *l. c. p.* 29. *ſq.*). Cauſa non vna apud ſingulos morborum horum mentalium fuit. Quidam ex morali occaſione illos contraxerant, amore, ſuperbia, aliorum mentem concuſſit terror inſignis, vel depreſſit moeror ex rei familiaris offenſa; in aliis menſtruorum emanſio vel irregularis fluxus, item haemorrhoides ſuppreſſae in vitio fuere; in aliis natalitia ſimilis labes in culpa fuit. Quibus

vomitus

vomitus ſucceſſit, hi reiecerunt mucum viridem, vel ipſam bilem viridem, alui quoque deiectiones plerumque crebrae, vt tamen nonnunquam et illa ſub vſu torperet. Phlogoſis emerſit poſt vſum apud multos in facie, naſo, oculo, ore, lingua, item eruptiones cutaneae variae et maculae; in quibusdam pleuritica varia ſymptomata ſeſe aſſociarunt, item incaluit ita corpus cum tanta rubedine et calore faciei, vt venae ſectione opus eſſet; ſitis quoque vrſit dirius et cephalalgia; exempla ſunt ſenſus formicationis in digitis et manibus, quin remotioribus partibus (*Caſ.* 11.); nec rarae fuerunt ſpaſticae vel conuulſiuae affectiones; notabilia quoque criſium varia genera ſunt: multi nempe inſudarunt inſigniter, aliis lotium copioſius fluxit, quibusdam ſaliuae profluuium vbere inde contigit, et ſcreatus mucoſus multus, foeminis ſuppreſſionem menſtruorum paſſis reſerati fontes huius excretionis, diu antea occluſi, ſunt. Manifeſta omnino curationis exempla exſtiterunt (*Caſ.* 3. 11. 14. 25. 26). Alii leuamen modo inde perceperunt; ſunt qui, pacatiores quidem inde facti, in blandum ſomnum, quo diu antea caruerant, inciderunt, ſed rediit ſenſim triſtis priſtina ſcena. Haud pauci nullum inde commodum perceperunt,

ceperunt, licet mucum viridem euomuiſſent. Quod quidam ſpe curationis exciderint, huius cauſa probabilis coniicienda in moroſitatem, qua continuationi obſtiterunt. Quidam etiam absque fructu Daturam antea, Hyoſcyamum vel Belladonnam, ingeſſerant. Effectus iſtos grauiores, qui ſeſe exſeruerunt, vetat GREDINGIUS Veratro tribui, nec vnquam animaduertit ſpaſmos tam vehementes, vt inde ineuitabilis mors conſequuta fuiſſet (*l. c. p.* 29.). Repetitio vero huius medicinae vltra menſem, imo per plures menſes facta eſt, et per hoc tempus ſemper illa capta. Si euentorum horum narrationi iudicium aliquod de ratione, qua iuuet, addendum: mihi videtur Veratrum febris praecipue vices agere, vt calor auctior, phlogoſes, ſitis, arguunt; ſub hiſce nixibus mouet ſtagnantia, diſſipat et euerrit morboſos ſtimulos, et ipſum ſyſtema neruoſum eiusque fontem, vel torpore languentem, vel non rite peruium, exagitat, aperit. Fateor tamen mihi diſplicere inſignes medicaminum ambiguorum doſes, dum natura obnititur mediocribus, iis enim ſaepe mala emergunt noua, vix mitiora primario, contra quod pugnamus, quibus tandem natura ſuccumbit.

 Tutio-

Tutiorem omnino viam ingreſſus eſt meritiſſimus WENDT caſu ſingulari (deſcripto a cl. AGASSIZ in *Diſſ. de therapia maniae*, *Erl.* 1785. *p.* 37. et repetito quoad pleraque momenta in WENDT *Nachricht v. Kranken - Inſtit. zu Erlangen*, *St.* 5. *u.* 6. *p.* 38.). Aeger vir triginta trium annorum contraxerat maniam in furorem vsque increſcentem abuſu Piperis cum ſpiritu vini pro curanda febre intermittente; vnde ſenſim delirium tam ferox exortum, vt per hebdomades triginta tres vinculis muro affigere eum neceſſe eſſet. Sed reſtitutus eſt ſanitati largis venaeſectionibus, pediluuiis tepidis, lotione capitis per aquam frigidam et applicatione glaciei circa frontem, vti et decocto ex radicis Hellebori albi drachma vna (quoniam ſcrupulus non ſuffecit) et aceti vini vnciis viginti, cuius initio quauis ſecunda vel tertia hora cochleare vnum, dein modo bis, tandem modo ſemel per diem captum. Poſt decoctum ſumtum quauis vice initio ſucceſſit vehemens iterataque pluries vomitio bilis tenacis profunde viridis, item copioſiſſima alui ſolutio (de hac vnice narrat cl. AGASSIZ *p.* 38.); deſtitit vero experientiſſimus medicus ab vlteriori praebio, vtprimum modo mucus pallide viridis euomebatur, et virium lapſus manifeſtior animaduer-

animaduertebatur, ſoluebantur vincula ad finem tertiae hebdomadis, nec vnquam priſtinum malum rediit. Non vnice quidem curationis meritum hic quaerendum in Veratro, dabo facile: attamen, non exiguum contuliſſe ad eandem et dignum imitatione prae ſe ferre exemplum, perſuadeor.

Breuibus legitur tincturam Veratri ſemel in delirio febris experte et omni veſpera per duas vel tres horas redeunte, item alio caſu in conuulſionibus hyſtericis cum conſtantia praeclaram ſuam virtutem declaraſſe; epilepticum autem, licet eius ope paroxyſmi ſilerent, per tempus recidiuam paſſum fuiſſe (SMYTH in *Medical communications vol.* I. *p.* 207.).

Quam veteres iam notarunt Veratri in chronicis eruptionibus cutis praeſtantiam, haec paſſim recentiori experientia confirmatur. Huius loci eſt ſcabies, quam in America ſanant decocto eiusdem aqua facto, quo ipſo loca ſcabioſa lauant, vnde quidem ardoris ſenſus et mictio frequentior. Ibidem et pediculos necant pectine decocto eiusmodi immiſſo, quo caput pectunt (KALM's *N. Amer. Reſa, tom.* 3. *p.* 49.). In notiſſimo vnguento ſulphurato contra ſcabiem, quo cl. PRINGLE in

 noſo-

noſocomiis vſus fuit, receptam quoque deprehendimus Hellebori albi radicem, quod additamentum efficacius reddit vnguentum et ſali ammoniaco praeſtat, quod tamen ſub defectu radicis admitti poteſt (PRINGLE'S *Obſ. on the diſeaſ. of the Army p.* 342.).

Tentata et fuit radix in exanthemate herpetico, paſſim exulcerato et cruſtaceo, valde pruriente, et quidem tincturae forma. Inter tres caſus a cl. SMYTH (in *Medical Communications Vol.* I. *p.* 207. *ſqq.*) enucleatos, in vno ſub initium modo opem tulit, in altero curationem abſoluit, in tertio optimam ſpem ſimilis euentus excitauit. Data fuit tinctura a guttis viginti vel triginta ſenſim aſcendendo ad duo cochlearia pro Thea in cyatho decocti Hordei bis per diem. Ex capta hacce doſi, etiam minori guttatim ſumta, donec aſſueſceret ei aeger, vertigo, ſingultus, nauſea et ſubinde vomitio et ſumma debilitas ſubſequuta.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

MEL HELLEBORATUM *Ph. Lond. p.* 84. Decoctum radicis Veratri colatum melle coquitur in iuſtam ſpiſſitudinem. Rariſſime clyſmatibus additum.

TINCTURA

TINCTURA VERATRI *Ph. Lond. p.* 74. Ex radice cum ſpiritu vini tenuiori digeſta. In *Ph. Edinb.* 1783, *p.* 123. paullo dilutior proſtat, addita quinta ſpiritus vini parte. Efficaciae iam aliquot exempla dedi.

PILULAE POLYCHRESTAE STARCKEYI *Ph. W. p.* 140. Iam ſeneſcentis famae, quae ſumma olim fuit, remedium, quod, intra ſaponem tartareum, Helleborum vtrumque officinarum et Opium cum Glycyrrhiza comprehendit. Differt ab hac formula iſta in KLEIN. *Select. med. p.* 176. omiſſione Veratri et adhibito extracto Hellebori nigri. Praeter anodynam vim incidens, in diatheſi catarrhali, rheumatiſmis et febribus intermittentibus, obſeruata, magni olim habita, doſi granorum duorum ad ſex ſupraque. Opium et Veratrum mutuo ſeſe cicurare opinatur SCHULZIUS (*Praelect. in Ph. Brand. p.* 238.).

UNGUENTUM PEDICULORUM *Ph. W. p.* 247. Inſunt ſemina Staphidisagriae, Veratrum, Mercurius viuus, vnde non vnice Veratri vis in cenſum trahi poteſt. Sed ſimul patet, incaute adhibitum, tam ob mercurium, quam acria, quorum pars, ſi

vlcuſcula capillitii, vt ſaepe fit, iunguntur, facile reſorbetur, in tenella praecipue aetate nocere poſſe.

LOTIO EX HELLEBORO *Pharm. Lond. Spec. alt. a.* 1787. *p.* 111. Eſt radicis decoctum aqua factum, addito ſpiritu vini rectificato.

520.

Pharm. SABADILLI vel SABADILLAE *Semen.*

Veratrum . Ad hoc genus ſtirpem, vnde ſemen dictum, pertinere, coniectura modo probabili nititur; nemo enim botanicorum Mexicanam plantam, quae ſeminis mater eſt, recentem vel ſiccam deſcripſit. Capſulas eius ſiliquoſas vno fine iunctas, inter congeriem ſeminum reperiundas, qui cernit, facile cum Aconiti vel Delphinii fructu conuenire eas animaduertit, et multiſiliquoſis annumerat. Aſt aliquando praeterea inter reliqua obtinent floris quaedam partes, ſcilicet ſtamina et piſtilla, ſuo receptaculo inſerta, vt ipſe obſeruaui, item petala, quae ipſa iuncta cum figura ſeminum ſtirpem Veratro propius accedere ſuadent. Haſce floris fructusque partes quidam perfectiores

res inter ſemina tranſmiſſa detexerunt, imo pedunculis et pedicellis ſuis inſertas, vnde inflorescentiam racemoſam vel ſpicatam deſcribunt. Contigit hoc cl^{mo}. DANTOINE (in *Journ. de Medec.* 1766. *tom.* 25. *p.* 233.), qui modo errore facile condonando id calycem vocat, quod alii corollam, et multis annis ſerius cl. RETZIO (*Obſ. bot. faſc.* 1. *p*, 29.), qui tamen adhuc in dubio relinquit, vtrum racemus ſpicatus ſimplex, an compoſitus, adſit.

Ceuadilla vocatur ſtirps in noua Hiſpania Americes, teſte MONARDO (*Simpl. medicament. ex nouo orbe, verſ.* CLUS. in *exot. p.* 341.), qui omnium primus (a. circiter 1572.) eius mentionem fecit. Nomen ſignificat idem ac Hordeolum, quo ipſo reſpexerunt ad aliquam, quam ſibi finxerant, cum Hordeo ſimilitudinem. Vnde et ineptum nomen Hordeum cauſticum (C. BAUH. *Theatr. bot. cap.* 26. *p.* 467.). Semen hoc non confundendum eſt ob conuenientiam aliquam in nomine cum ſemine Sapotillae, quod ex Achrade Sapota petitur.

De quo hic ſermo eſt SEMEN, non purum eſſe ex ſuperioribus intelligitur. Sed ſub hoc nomine

tranſfertur ex Mexicano regno miſcela ex ſeminibus vel nudis vel intra capſulas ſuas reconditis, capſulis vel integris vel contritis, particulis floris variis et pedunculorum, proportione non ſemper aequali. Fructus integer tricapſularis eſt capſulis ouato oblongis compreſſis, circiter ſemipollicaribus coloris ſtraminei. In qualibet capſula clauſa latent ſemina duo. Haec profunde bruna et ſubrugoſa ſunt, oblonga vno extremo obtuſo, altero acuminato, latere vno ſubplana, altero conuexa, margine acuto, compacta; diſſecta intus albida comparent. Haec omnia iunctim in vſum trahi ſolent. Quin fraude aliquando reliquis triplum vel quadruplum vel plus ſeminis Petroſelini in puluerem contuſi, admiſcetur, vel loco ſeminis Sabadillae aliquando puluis Piperis albi vel Hellebori albi venditur (GLEDITSCH in *Schriſt. d. Berlin. Geſellſch. naturf. Freunde*, *vol.* 2. *p.* 84.). Hactenus non a practicis determinatum, an, quoad virtutem praerogatiua quaedam ſeminibus veris prae reliquis alienis partibus ſtirpis admixtis inſit. Sed guſtando vel per exiguam moram inueni capſulas modo amaricantes, vix vllo acrimoniae ſenſu inſtructas, ſemina ipſa autem acerrima, ingrate amara et apicem linguae cum ſenſu nauſeoſae dulcedi-

cedinis quaſi per acus pungentia, labia ipſa et gingiuas ſenſim afficientia, ſub affluxu ſaliuae copioſae, quam crebrius exſpuere oportuit. Et haec quidem incommoda per plures horas durarunt vi ſenſim deferueſcente. Facile dabo, alios eſſe expertos ſimiles ſenſus in faucibus, ſi diutius guſtauerint. Odore carent ſemina, aſt puluis eorum naribus attractus ſternutationem mouet (LOTTINGER in *Journ. de med. tom.* 11. *p.* 468.). Vehemens adeo errhinum eſſe, perſcripſit L. B. DE ASCH (in litt. a. 1778.). Infuſum aquoſum valde acre et cauſticum, ſpirituoſum pariter, ſed ſimul prodit odorem fortem aromaticum. Extractum aquoſum primum octauam fere partem ponderis ſeminum conſtituit, ſpirituoſum autem fere quartam (GLEDITSCH *l. c. p.* 94. *ſqq.*). Semina in puluerem redacta vim ſuam amittunt mora, vnde opus, iſtum nonniſi paullo ante vſum parare (LOTTINGER in *Journ. de Medec. tom.* 11. *p.* 468. et WILLEMET in *Nouv. Mem. de l'acad. de Dijon* 1782. *p.* 202.). Cuidam tamen nec hac cautione opus eſſe videtur (DANTOINE in *Journ. de Med. tom.* 25. *p.* 232.).

Quod in multis libris materiem medicam luſtrantibus, quin recentioribus, fruſtra quaeritur,

et ante paucos modo annos externo vnice vſui, non ſine quorundam metu deſtinabatur ſemen, hoc ſeriori tempore inclaruit inſigniter, nec illud ore ingerere dubitatum eſt.

Grauius inde afficiuntur vel animalia, quae illud deuorant, nec modo ex inſectorum vel vermium familia ſed grandiora et perfectioris compagis. Feles, quae ad pugillum vnum (pincée) puluerem deuorandum cepere, ſpaſmis violentis tentatae ſunt; item quum in Lotharingia eius drachma dimidia canibus lue graſſante ingereretur, hi vomitum et ſubinde conuulſiones perpeſſi ſunt (WILLEMET *l. c. p.* 201.). — Cimices lectularios necat ſub conuulſiuis motibus. Quo fine puluere ſubtili omnes rimae et fiſſurae ſuppellectilis iis inquinatae conſperguntur (SEELIGER in SCHMUCKERS *vermiſcht. Bemerk. vol.* 2. *p.* 272.); vel lotione ex aceti vini libra vna cum ſeminis Sabadillae vnciis duabus per duos dies digeſta depurantur (WILLEMET *l. c. p.* 200.).

Cathaeretica vis in gangraena et vlceribus putridis impuriſque et alia ad vermes in vlceribus necandos, quam MONARDES (*l. c.*) praedicat, hodie non curatur. Omnium vero conſenſu

eminet

eminet infeſta ſua in pediculos poteſtate, comprobata ſaepe in militibus, nautis et pauperibus, ſcholis pauperum, noſocomiis, et religioſorum quibusdam ordinibus. In Gallo - prouincia, quod obtinet nomen Poudre de Capuzin, et vulgare nomen Germanicum Mexicaniſcher Läuſeſaamen, reſpicit hunc vſum. Si caput infeſtat haecce pullities, axungia exceptum inungitur (VAN DER BECK *Act. nat. cur. vol.* I. 1727. *App. p.* 120.) vel capillis antea oleo oblitis puluis inſpergitur. Veſtimentis vel ſtragulis lecti ſi inhaerent pediculi, haec conſpergi ſolent puluere, vel antequam conſuantur, indi hic iisdem ſolet. Ita tam pereunt quam aufugiunt. Profuit in noſocomiis caſtrenſibus ad infeſta iſta animalcula delenda decocto ſeminum Sabadillae et foliorum Tabaci concentrati per virgulam lectum veſtimenta et pauimenta rigare, vnde intra nychthemerum fere perierunt (*K. Preuß. Feldlazareth, p.* 374.). Sunt, qui nihil mali ex Sabadilla in hunc ſcopum adhibita metuunt (VAN DER BECK *l. c.* LOTTINGER. BERG. *Mat. med. p.* 822. SCHMUCKER *vermiſcht. Schrift. vol.* 3. *p.* 8.). Interim nolo temere applicari ab hisce, qui achoribus capitis laborant, per quorum vlcuſcula reſorptio acerrimi pulueris facile fit.

Fuit

Fuit iuuenis, cuius capiti pduis copioſe inſperſus fuerat, qui vero inde inſanire coepit, donec aqua frigida totum caput lauaretur (PLENK *Mat. chirurg. p.* 339.). Infans quinque vel ſex menſium, cuius nutrix hocce puluere vſa in capillis ſuis fuerat, ſiue deglutierit de eo aliquid, ſiue reſorptum eius aliquid fuerit, praeuiis conuulſionibus periit (LENTIN *Beobacht. einig. Krankheiten p.* 168.). Vtrum ſiniſtri euentus exempla aliena, an propriis oculis obſeruata, illuſtrem Equ. A RÖSENSTEIN permouerint ad ſupprimendam laudem huius ſeminis in tertia editione libri ſui de morbis infantum, non dixero: certe in prioribus editionibus (*Ed.* 2. *p.* 363.) ſuaſit, vt praeter munditiem infantis velamini eius ſemen inſueretur.

Recenſitae modo hiſtoriae prout ſuſpectam horum ſeminum naturam demonſtrant, ita et alia foeminae, quae ex confuſione nominis pulueris eiusdem portionem, quae tamen non ſignificatur, ingeſſit, vnde dolor ardens ventriculi, vomituritio, nauſea: vomitu tamen arte excitato et decocto ſeminum Lini hauſto vitam eius ſeruare contigit (LENTIN *l. c. p.* 167.).

Hi

Hi tamen funeſti euentus non prohibuerunt, quin ſemen a quibusdam medentibus ad vermes inteſtinales apud homines necandos, doſibus haud exiguis, aegris ingereretur. Nec in hisce periculis diiudicari volo Sabadillae virtutem ex lubrico rationis ludibrio, ſed firmiori longe experientiae fulcro, quae vtique fauet, modo meminerint iuniores et inexperti in repetendis iis cautionem iuſtam non eſſe negligendam.

Cuinam anthelmintica Sabadillae vis noſtro tempore primum innotuerit, certo dirimi nequit. LÖSEKIUS (*Auserl. Arzneymittel*, *ed.* 4. *p.* 363.), licet capite anthelminticorum notam adiecerit de hoc ſemine, efficaciam tamen hanc ne verbulo quidem commemorat. Cl. SEELIGER obſeruatio duplex (in SCHMUCKERS *verm. chirur. Schrift. vol.* 2. *p.* 71.) a. 1779. primum comparuit. Suecus tamen medicus, CARGER, monet, ſe iam a. 1776. in narratione collegio medico Stockholmienſi de rebus in munere ſuo geſtis oblata, mentionem feciſſe efficaciae huius medicinae contra vermes per plures annos a ſe exploratae (*Vecko-ſkrift för Läkare, vol.* 5. *p.* 297.). Quicquid horum ſit, SCHMUCKERO plurima experimenta per

partes

partes deſcripta debentur, et meritum, quod plurimorum animos primus in hocce medendi genus conuerterit. Puluis intra vitrum lumbricis terreſtribus vel aſcaridibus lumbricoideis inſperſus hisce conuulſiones creat violentas morte pediſſequa (SCHMUCKER *l. c. vol.* 3. *p.* 15.).

Conſtitit vero in ſingulis tribus vulgaribus vermium ſpeciebus praeſtare eximia. Nec nocuit infantibus tenerioribus (SCHMUCKER *l. c. p.* 12. HAGSTRÖM in *Veckoſkr. för Läk. vol.* 4. *p.* 361. item *vol.* 5. *p.* 297. *not.*). Duplici caſu taeniam eius ope expulit cl. SEELIGER (*l. c. vol.* 2. *p.* 271.), data quotidie pulueris drachma dimidia, cum conſerua in bolum redacta et mane cum melle capta. Vſu hocce per quatuordecim dies continuato et quolibet quinto die draſtico interpolato, fruſtulatim ſeceſſit vermis cum incredibili copia muci. In vno ſimul melancholia, quae mali comes fuit, diſcuſſa. Aegrorum quoque meminit cl. SCHMUCKER (*l. c. Obſ.* 10. 11.), quos a taenia Sabadillae ope liberauit et Nufferiano remedio tutiorem quin efficaciorem declarat (*l. c. p.* 12.), ſubſcribente experientia cl. CARGER (*l. c. p.* 297.). Dolendum a nemine horum ſpeciem expulſae

taeniae

taeniae fuiſſe definitam. Cl. HERZ (*Briefe an Aerzte 2. Samml. p. 50, caſ. 3.*) tamen commemorat nominatim Taeniam Solium, cuius articuli ante ſigillatim ex infante ſeſquienni ſeceſſerant, iam vero pars longitudinem 2¼ vlnarum aequans cum exili fine poſt electuarii, ex ſeminum Sabadillae ſcrupulo vno et ſyrupi Rhei vnciis duabus et dimidia, cochleare exiguum pro Thea bis per diem datum breui prodiit, absque vllis aliis ſubſequis vermis veſtigiis, licet continuaretur medicina.

Aſcarides exiguae iſtae, quae in inteſtino recto plerumque nidulantur, pariter hocce auxilio abolentur. Breuiſſima via hoc fit clyſmate ex Sabadillae drachmis duabus cum aquae vnciis decem ad colaturam vnciarum ſeptem coctis et aequali copia lactis miſtis, ſubiunctis pilulis mox dicendis ex Sabadilla et melle; vnde mortui euocantur (SCHMUCKER *l. c. p.* 17.). Suffecit et vſus internus Sabadillae vel in puluere vel in pilulis huic ſcopo, etiam quum in comitatu lumbricorum infeſtarent (SCHMUCKER *l. c. caſ.* 1. *p.* 18. HAGSTRÖM in *Veckoſkr. för Läkare, vol.* 4. *p.* 361. HERZ *l. c. Caſ.* 1. 2.).

Sed

Sed plerique caſus ad lumbricos profligandos ſpectant. Quomodo id tuto fiat, iam vberius eſt explicandum, vnde et norma capi poteſt, dum contra reliquos vermes adhibeatur. Ad conſilium SCHMUCKERI capſulae fructus vna cum ſeminibus abditis in ſubtilem puluerem rediguntur. Pro adulto vtitur ſequenti modo (*l. c. p.* 14.). Primum aluus Rheo et ſale mirabili Glauberi laxatur. Die poſt mane puluerem ex ſeminum Sabadillae et Elaeoſacchari Foeniculi aa drachma dimidia exhibet, et mox vnum vel duo cyathos infuſi florum Chamomillae vel florum Sambuci ſuperbibendos curat. Plerumque inde fit vomitus et vna vermes, ſi ventriculum occuparint, eiiciuntur, et hora poſt ius auenaceum tenue potatur. Die poſtero rurſus puluerem aeger ingerit, vnde iterum vomitus. Niſi vermis amplius in conſpectum veniat, tertio mane modo dimidium pulueris ſumitur et veſperi alterum dimidium. Sicque et fit quarto die. Quinto mane purgans rhabarbarinum datur (puluis ex Rhei drachma dimidia et gr. octo Reſinae praeparatae). Sexto die boli tres, quorum quilibet Sabadillae grana quinque cum neceſſaria quantitate mellis deſpumati continet, capiuntur tam mane

quam

quam veſperi, et ſic pergitur ſub alterno purgantis vſu quolibet quinto die exhibiti, donec nullus mucus amplius ſecedat, et aeger nihil moleſtiae in abdomine amplius ſentiat. Subinde opus eſt continuare normam hanc per viginti dies, antequam mucus verminoſus omnino eiectus fuerit. — Infantibus duorum ad quatuor annorum mane pulueris Sabadillae grana duo cum ſyrupi Rhei cochleari paruo ingeruntur, ſuperbibito infuſo Sambuci cum lacte; et veſperi eadem quantitas. Quinto die aluus hisce granis decem vel duodecim Rhei laxatur. Eadem, quae dixi antea, ſi adſunt indicia continuationem iniungunt. Nolo vlterius perſequi doſes Sabadillae et purgantis ſelectum, in quo apud maiores infantes et mercurio dulci locus eſt, pro aetate diuerſa viri cel. ſuaſu variandum.

Praeſtat Sabadillam melle miſtam in bolo propinare, quam in puluere, nam hic per breue tempus vehementem ardorem in ventriculo excitat, quum nullus contra ſubſequatur in mellis connubio. Non nocet tamen ardor iſte, ſed puluis modo vomitiones aliquot bilioſas et purgationes alui in vermium ſodalitio excitat (HERZ l. c.

l. c. p. 57.). Infantibus tutior eſt miſcela iſta cum melle.

Inter tot felicis euentus documenta aduerſum cl. BLOCH (*Preisſchrift v. d. Eingeweidewürmern p.* 51.) in curatione vermium iudicium reſtringi omnino debet, quippe qui aegros absque commodo grauiter affici innuit, et quod taeniae fruſta aliquando poſt vſum eius eliminentur, id vnice eius aluum mouendi poteſtati tribuit.

Indicia inſuper haud obſcura adſunt, quod epilepſiae et conuulſionum grauiorum aliquando remedium haud ſpernendum exſtet. Nulli omnino vermes ſubinde ſeceſſerunt, ſed mucus modo mali moris copioſus et foetens deiectus, qui, quamdiu apparuit, in adminiſtranda Sabadilla continuatum (SCHMUCKER *l. c. p.* 11. SEELIGER *l. c. p.* 35. item *Caſ.* 13. *p.* 36.).

COMPOSITA.

UNGUENTUM CONTRA PEDICULOS *Ph. Dan. p.* 283. Inter alia recipitur hoc ſemen.

UNGUENTUM AD PHTHIRIASIN *Ph. Auſtr. provinc. p.* 289. Differt praeparatio, qua et mercurius continetur.

ASPA-

ASPARAGVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 274. *Gen. pl. p.* 168.

521.

Pharm. ASPARAGI *Turiones; Radix.*

Aſparagus officinalis; caule herbaceo tereti erecto, foliis ſetaceis, ſtipulis paribus LINN. *Syſt. veg. l. c.* Conf. *Spec. pl. p.* 448. *α*) Aſparagus maritimus craſſiore folio. C. B. *β*) Aſparagus ſylueſtris, tenuiſſimo folio. Vtramque varietatem combinat editor *Fl. Dan. tab.* 805. *nomencl. p.* 5. *γ*) *altilis* LINN. Aſparagus ſatiua C. B. cuius icon exſtat in REGNAULT *Botan.* l'Aſperge. Planta perennis in pratis vel locis maritimis calidioris Europae, vt Hiſpaniae, Italiae, Valeſiae, Rhaetiae, Angliae, inſularum Daniae, Livoniae, Curoniae, temperatioris Sibiriae ſpontanea; ſed ob vſum turionum tam in patria, quam frigidioribus regionibus, copioſiſſime colitur.

Veteribus Graecis vtrum noſter Aſparagus ſatiuus notus fuerit nec ne, de eo in vtramque partem diſputatum. Litem nouiſſime illuſtrauit FRANZIUS (*Diſſ. inaug. de Aſparago ex ſcriptis ve-*

terum, Lipſ. 1778.). HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1239.) DIOSCORIDEM quaſi in fidem notitiae citat.

TURIONES vero, qui et proprie Aſparagi dicuntur, iſta pars ſunt, cuius cauſa non ſine magnis paſſim ſumtibus ſtirps cultura ſub dio adiuuatur: nam ex fera amariores ſolent emergere, attamen in calidioribus regionibus edules. Turiones ex radicibus annoſioribus primo et adoleſcente vere mira celeritate ſi tempeſtas calidior et humidior incidit, pullulant, teretes, perpendiculares tecti ſquamis lato ouatis, craſſitiei pro ſoli fertilitate diuerſae, ad pollicem vsque capite vel apice obtuſo inſtructi, multo ſucco aquoſo turgentes, hinc fragiles. Hi niſi tempeſtiue praecidantur in caules ramoſos ſuis foliis veſtitos explicantur. Coloris magna diuerſitas, exſtant enim virides, albi, item purpurei. Albi capitulo virideſcente praecipue in deliciis ſunt. Culturam multis deſcribere ab hoc loco alienum eſt. REICHARDI (*Gartenſchaz P.* 4. *p.* 46.), MILLERI (*Gardeners Dictionary*), auctoris libri *l'Ecole du Jardin potager* 1. *p.* 203.), SEIDELII (*Kurze Anweiſ. d. Spargel mit wenigen Koſten u. zugleich vor-*

vorzüglich ſchön zu bauen; ed. 3. *Erlang.* 1786.) regulae non ſuo ſucceſſu carent. Nec compendium varium artis, item ſumtibus parcens a cl. EHRENREICH (in *Vetenſk. Acad. Handl.* 1765. *p.* 214. *ſqq.*) et cl. HIRSCHFELD (*Garten-Kalender* 1783. *p.* 161.) traditum, legiſſe pigebit. Absque fimo colere edocuit RAMMELT (*oekonom. Abhandl. vol.* 1. *p.* 57.). Arenoſo ſolo delectatur Aſparagus, vbi ſpontaneus eſt, quem nutum naturae et ars vtiliter ſequitur. Cauendum eſt, ne praecidantur turiones plantarum tribus annis iuniorum, vel exiliores, nec vltra Iunium adoleſcentem in colligendis iſtis pergendum, quoniam metus eſt, ne inde radix eneruetur; item danda cura, vt ne, dum reſecantur, radici vis inferatur. Si differtur collectio, donec capitulum notabili altitudine ſuper terra promineat, turiones inde tenacitatem contrahunt, hinc mane veſperique eorum prouentui inuigilandum. Sic per duodecim pluresque annos puluini eiusmodi largam Aſparagorum meſſem concedunt. Probe culti capitulis et vicina parte quidem tenerrimi ſunt, ſed ad baſin fere vsque edi poſſunt, quin adeo dodrantali longitudine praeciſi. Commendabiles eos reddit non ſolum ſapor dulceſcens et leuiter

amaricans, ſed et, quae verno tempore obtinet, aliarum plantarum culinarium egeſtas.

Leui modo coctione opus habent. Exiliores turiones in fruſtula diſciſſi iuſculis carneis gratum ſaporem impertiunt. Craſſiores ſemicocti inſtar acetarii in conſueta olei oliuarum et aceti miſcela eduntur. Maxime vulgare autem eſt, eos in faſciculos colligatos et in aqua modice ſalita coctos cum butyro liquato vel embammate vario e. c. ex oui vitello, butyro, ſucco Citri vel vino et ſaccharo edere. Taceo varia fercula magis compoſita, quae Aſparagi intrant, in exiguas portiones diſciſſi, prout piſis viridibus, daucis tenellis, cancrorum caudis etc. addi ſolent.

Non multum tamen nutrimenti hi turiones afferunt. Facile plerumque digeruntur a ventriculo, prout ſub experimentis ill. PRINGLE, quum carni adderentur ſub calore gr. centum, breui fermentationem ſubierunt eamque inſignem, acorem vero eum contraxerunt, vt coagulum lacti impertirent, licet non magis conſtantem, quam vt intra biduum vel triduum corruptela carnis omnino ſubigeretur (EIUSD. *Diſ. of the army App. p. 55. ſqq.*). Noui tamen imbecillum hypochon-

pochondriacorum et hyſtericarum ventriculum ab eorum eſu grauari et acoris ſenſu eos iſtis moleſtos eſſe. Nec negandum, homines ad quosdam morbos diſpoſitos non ſine exaſperatione mali vel reſuſcitatione illos ferre. Ita Aſparagis largius comeſtis haemoptyſis reuertit (QUARIN *Animadverſ. pract. p.* 66.). Hinc et diſſuadendi phthiſicis. In podagricis eſus eorum paroxyſmum accelerat (BOERHAAVII *Aphor.* §. 1258. VAN SWIETEN *Comment. vol.* 4. *p.* 306. et *vol.* 5. *p.* 306.). Facile et dabo iurisconſultum quendam calculoſis variis ſymptomatibus poſt eſum Aſparagorum affectum fuiſſe, et arenas copioſe eminxiſſe, licet HELMONTIUS, qui haec narrat (*De lithiaſi cap.* 5. §. 17.) cauſam effectus haud concinne explicet. Hic ſine dubio repetendus a vi inſigni, qua pollent Aſparagi in lotio pellendo. Docet hancce efficaciam vberior mictio poſt eſum a quolibet facile percipienda, imo mictus cruentus qui aliquando inde ſubſequutus, recrudeſcens plerumque, quotiescunque nouiter illi indultum eſt (LANZONI in *Act. nat. cur. vol.* 1. *Obſ.* 92. *p.* 172. SCHULZ *Diſſ. de inexſpectato medicament. effectu, Hal.* 1739. §. 7. BERG. *Mat. med. veg. p.* 268.). Simul ingeſtis Aſparagis etiam parua

quantitate poſt pauca minuta temporis prima foetore lotium imbuitur, haud abſimili me iudice illi, quem Geranium robertianum ſpargit. Primus SIMON SETHI (*de alimento*, §. 9.) huius foetoris meminit. Meretur curatius per experimenta in cauſam huius foetoris inquiri; nam quod eum tribuant quidam alcali volatili Aſparagorum, duplici adhuc demonſtratione opus habet, primum, eiusmodi abundantiam vere adeſſe, dein, ſi adſit, huius phaenomeni cauſam eſſe: foetorem enim lotio non alia volatilia impertire ſolent. Ad auertendum eum, e re eſt, antequam homo mingat, aquam ſpiritu ſalis ad acorem aceti vini acerrimi impraegnatam matulae infundere (MACQUER in *Gazette ſalutaire* 1768. *n.* 22.). Calculus vrinarius, ſucco Aſparagi frigido immiſſus, decreſcere et compreſſus in puluerem comminui viſus eſt, vt inde communicare turiones cum lotio vim calculos diſſoluendi probabile appareat (LOBB *de diſſolv. calculum p.* 43.). Equidem tamen perſuadeor, plus praeſtare in calculo antequam arenulae coaleſcant inſtar diuretici. Veteres comeſtis largius Aſparagis infoecundas foeminas reddi, mares autem ad officium coniugale alacriores ſtatuerunt, in quibus effectibus ad

noſtros

noſtros Aſparagos applicatis dilucidandis argumentorum vario genere multi ſunt BURCHARDUS (*Lexic. med. uniuerſ. A - B. p.* 1152.) et WESZPREMI (in *N. Magaz. für Aerzte* 1. *B.* 1. *St. p.* 80. *ſqq.*). Diuretica ſaepe ad venerem excitandam valere, in foeminis autem menſtrua ſubinde pellere copioſius, nouimus. Inde forſitan lumen aliquando rei tam inſolitae prima conſideratione viſae affertur. Patet ex hisce aequali fere iure inter medicamina ac inter cibos locum ſibi hosce turiones vindicare.

RADICIS tamen crebrior olim in medicina fuit adminiſtratio, quae hodie fere omnino obſoleuit. Eius forma haec eſt, quod ex tubere transuerſim collocato multas fibras cylindricas ſimplices calamum ſcriptorium craſſas oblique emittat. Recens texturam carnoſam ſubſuccoſam habet, ſaporis ex leui dulcedine amaricantis. Praefertur radix ferae plantae iſti, quae culturam ſubiit. Lotium pariter foetentem reddit, ſed antequam turiones emerſerunt. Inter aperientia diuretica olim militauit dataque in decocto vel infuſo et credita hisce viribus ſuperior eſſe turionibus. Aperiendi virtutis memoria adhuc conſeruatur nomine

RADICUM QUINQUE APERIENTIUM MAIORUM, quarum haec vna fuit.

SYRUPUS DE ALTHAEA FERNELII *Ph. W. p.* 203. inter tot alia ſuperflua et hanc radicem continet.

B R O M E L I A.

LINN. *Syſt. veg. p.* 259. *Gen. pl. p.* 158.

522.

Pharm. ANANAS *Fructus.*

Bromelia Ananas; foliis ciliato-ſpinoſis mucronatis, ſpica comoſa LINN. *Spec. pl. p.* 408. Nana Braſilianis; Ananas Luſitanis PISON. *Hiſt. nat. et med. p.* 194. Carduus Braſilianus, foliis Aloës C. B. Ananas COMMEL. *Hort. Amſtel. Vol.* 1. *p.* 109. *tab.* 57. In icone, ceterum optima EHRETI ed. TREW *tab.* 2. deſunt folia radicalia; huic adſcribitur nomen Ananas aculeatus fructu ouato carne albida TOURN. Planta perennis Americae auſtralis, vbi primum in Braſilia viſa, inſularum Indiae occidentalis, Malabariae, item inſularum plurium Aſiaticarum Celebes, Amboinae, Moluccanarum, Philippi-

lippinarum (RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 5. *p.* 228.) ciuis ſpontanea. Extra patriam, ſi iuſtam perfectionem attingere debet, cultura ſumtuoſa indiget in vaporariis eius praecipue in finem exſtructis; vnde hactenus nonniſi principum et ditiorum hortos intrauit, qui vel in hisce colendis ſpeciem luxus collocant.

Allicit vero ad cultum et ſpecioſa ſtirpis fructiferae forma, et fructus maturi gratiſſimus ſapor fragrantiſſimusque odor. Hinc non pauci ſunt, qui palmam reliquis omnibus fructibus eum praeripere contendunt. Colore, figura, magnitudine, etiam ſaporis gratia, fructus variat multiplici modo; hinc breuius nomine Ananas albi, rubri, viridis, oliuacei, diſtinguitur, de quibus aliisque varietatibus, quae folia reſpiciunt, quae ipſa in quibusdam ſpinis deſtituuntur, iuuat perilluſtrem O. DE MÜNCHHAUSEN (*Hausvater, vol.* 3. *p.* 483. *ſqq.*) conſulere. Praeſtantiſſima varietas eſt, cuius nomen Tournefortianum modo dixi, quae meretur reliquis praeferri ob maximos et delicatiſſimos fructus. GONÇALO HERNANDEZ DE OVIEDO (*Hiſtoria general de las Indias lib.* 7. *cap.* 13.) primus eſt, qui fructus Ananas mentionem fecit. Plura

hiſtorica

hiſtorica de eius in Europa primo tempore ſucceſſu memoriae prodidit cl. BECKMANN (*Beytr. z. d. Erfind. vol.* 1. *P.* 3. *p.* 434.) Scriptorum, quae culturam eius tradiderunt, inſignis ſeges eſt, quorum notanda TAYLOR'S *Treatiſe on the Ananas, Devizes* 1769. *Hann. Mag.* 1771. *n.* 30. *Beſte Art Ananas zu pflanzen, Stutgard* 1778. *Hausvater l. c. p.* 489. *ſqq.* SPEECHLY'S *Treatiſe on the culture of the pine apple, York* 1779. MAWE'S et ABERCROMBIE'S *Univerſ. Gard. and Botaniſt* vnde verſio in HIRSCHFELD *Gartenkalender* 1784. *p.* 249. *ſqq.* et *Hann. Magaz.* 1784. *n.* 101. *ſqq.*). Succedit itaque, et fructu hocce potiri, absque artificiali calore, in vaporariis, cortice coriario vel fimo repletis. Non mateſcunt in Europa ſemina, vnde propagatur vel coma fructui impoſita, vel ſurculis, ex alis foliorum floralium emergentibus, vel iis, qui ex radicibus annoſiorum plantarum pullulant. Ex coma optimus fructus prouenit, et vno quidem anno praecocius, hinc hortulanis reddi ſolet. Infeſta ſaepe plantis inſecta ſunt praecipue ex Cocci genere (KERNER *Naturgeſchichte d. Coccus Bromeliae* 1778.), quae optime plantis aquae, in qua caules Nicotianae macerati fuerant (KERNER *l. c.*), vel aquae cum mercurio

mercurio viuo digeſtae et ſaponis viridis tantillo mixtae, immerſis, vel irrigatione eiusmodi aquae mercurialis (SPEECHLY *l. c. p.* 122.) necantur.

FRUCTUS bacca eſt, ex pluribus acinis angulato rotundis coadunata, quibus ſquamae calycinae mutatae interiacent. Haec iuncta corpus globoſo oblongum conſtituunt ſuccoſum, magnitudine pugni vel hunc ſuperante. Fructu hocce transuerſim diſciſſo, ſtriae radiatim procurrentes, item loculi, conſpiciuntur. Maturitas cognoſcitur odore fragrante, colore cereo, et in varietate alba mollitie aliqua, qua cedit prementi digito. Ante eſum neque caulis nec coma auferri debet, ne ſaporis odorisue iactura fiat. Immaturus acris manifeſtius eſt. Maturus crudus editur, poſtquam in orbiculos ſectus fuerit, et extima membrana coriacea ablata, quidam ſaccharum illi inſpergunt vel vino nominatim Hiſpanico antea macerant, vt acrimonia exuatur, quae ſubinde gingiuas et palatum erodit, et veſiculas in lingua excitat, imo os interne cruentat. Ab hac deriuanda incommoda varia ex nimio vſu, quorſum inflammationes (ACOSTA *de las Drogas de las Indias orient. p.* 351.), diarrhoea et dyſenteria

(BONTII

(BONTII *Hiſt. nat. et med. p.* 145.). Sapor gratiſſime ex acido dulcis ſiue vinoſus eſt. Quidam eum comparant cum ſapore fragorum, alii cum iſto perſicarum, alii compoſitum declarant, vt OVIEDO ex perſicis, cydoniis et aromate moſchatae nucis vel, vt MERIANA, ex vuis, Armeniaco, malo Sinenſi, pomo et pyro, vt taceam alia imaginationis ludibria; reliqui breuius rem expedientes ſaporem ex qualicunque delicato fructu vnitum in hocce ſentire ſibi videntur. (Conf. BENGT BERGII *Tal om Läckerheter*, *P.* I. *p.* 162. *ſqq.*). Subinde ſaccharo conditus ex America et India occidentali transfertur, prout piſtores dulciarii Gallici fructum in orbiculos ſectum ſaccharo condiunt. Hacce forma tamen multum gratiae perit, quae recenti fructui ineſt. Quum hactenus in Europa nonniſi menſae ſecundae ſuperioris ordinis hominum vel ditiorum deſtinetur: ſponte patet, vix niſi apud hosce medicaminis vicem agere poſſe.

Non deſtituitur tamen effectu medico.

Febrientibus in Noua Hiſpania refrigerii ſcopo exhibetur, hique orbiculos ore tenent ſitim mitigandi cauſa et linguam humectandi

(HER-

(HERNANDEZ *res med. Nov. Hiſp. p.* 311.). Analepticam vim exercet et vires erigit, et ſtomachum nauſeabundum corrigit (PISO *l. c. p.* 195.). Subuenit vrinae ſuppreſſioni et doloribus nephriticis (*l. c.*). Hasce laudes renouauit nouisque auxit cl. BALDINI (*Saggio de' Scorbetti, ed.* 2. 1784. *corredata di alcune Oſſervazioni intorno all' Ananas*), in ictero, hydrope. Nominatim meminit viri, qui paullo poſt paſtum ex infirmitate ventriculi multum laborabat ſucceſſu aliorum remediorum deſtitutus, ſed qui ingeſto hoc fructu per orbiculos intra duas hebdomades perfecte conualuit (*l. c. p.* 105.). Poteſt in hosce ſcopos vel ſic capi vel forma liquoris conglaciati, iulepi, confectionis. Nec omittenda eius in ore detergendo virtus, qua omne collutorium ſuperare fertur (WRIGHT in *Lond. med. Journal* 1787. *P.* 3. *p.* 230.). Inter liquores conglaciatos is, qui ſuccum fructus huius comprehendit, gratia fere reliquis omnibus antecellit, nec in Italia vſus eius apud magnates rarus eſt (BALDINI *l. c. p.* 64.). Diſſuadetur vero fructus in inflammatoriis morbis, conuulſionibus, haemorrhagiis, grauiditate ob metum abortus (*l. c. p.* 109. RUMPHIUS quoque ſucco aliquando vti

innuit

innuit mulieres praecipue Ternatenſes ad foetum intempeſtiue pellendum, haud ſine proprio periculo) arbitror potius ratiocinio, quam experientia, duce, niſi de exceſſu ſermo, qui in qualibet alia re nocet. Liquor ſpirituoſus quoque eius additamento paratur, gratiſſimus quidem palato, ſed ſimul valde calidus, vnde aqua dilui debet, quae et odore et ſapore ſpecifico fructus imbuitur. In Italia quoque liquor quidam, Naja dictus, delicioſo ſuo ſapore valde claret (*l. c. p.* 110. *ſq.*).

Taceo vſum foliorum ſiccatorum in India orientali pro filis, quae praeuia putredine, vt in Lino et Cannabi, opus habent. Miſcentur cum Goſſypio, vt textum inde fiat (RUMPH.).

COL-

COLCHICVM.

LINN. *Syſt. veg.* *p.* 287. *Gen. pl.* *p.* 180.

523.

Pharm. COLCHICI *Radix.*

Colchicum autumnale; foliis planis lanceolatis erectis LINN. *Spec. pl.* *p.* 485. Colchicum commune C. B. Icon in STÖRCKII *Lib. de Colchico,* et alia in verſione Germ. SCHINZII *v. d. Lichtblum;* item in REGNAULT *Botan.* Le Colchique. Confer etiam cl. HEDWIG Comment. in Leipz. Magaz. 1781. *p.* 297. *ſqq.* vbi et interiores ſtirpis partes depinguntur, et 1782. *p.* 319. *ſqq.* Planta perennis Europae temperatioris, vt Germaniae, Carniolae, Helvetiae, Angliae, Galliae, in pratis vdis creſcens. Boreales terras, e. c. Sueciam, fugit. Floret autumno ineunte absque foliis, fructum ferens ſubſequente vere foliaque.

Vitioſe in pratis ſaepe luxuriat terramque eneruat, vnde querelae ſocietatis oecon. Geneuenſis (*Mem. de la Societé à Geneve, P.* 1. *p.* 52.). Κολχικον DIOSCORIDIS (*M. m. lib.* 4. *cap.* 84.) creditur, qui autem bulbo dulcem et tam iucundum ſaporem adſcribit, vt eo imperitos fallat.

Memorabilis omnino inter medicamina ſtirps, quam initio veneni ſuſpicio exoſam reddidit, dein ſuperſtitioſae narrationes contemtui tradiderunt, tandem noſtro tempore inter plurima diffidia vis haud mediocris in morbis ambiguis explorata celebrauit. Et haec quidem ad radicem ſpectant.

RADIX bulbus geminus ſolidus eſt, quorum vterque communi tegmine membranaceo, eoque duplici, externo coriaceo et profunde bruno, interno tenuiori et pallidiori, veſtitur. Ratio vtriusque bulbi pro anni tempore vario valde differt tam quoad compagem, quam magnitudinem. Radix ſi effoditur vere e. c. medio Maio: bulbus, qui praeterito anno ſcapum fructiferum geſſit et autumno florem protulit, marcidus et corrugatus conſpicitur; alter vero, qui folia iam ſuſtinet vna cum pericarpiis ſuccoſus et infra fibris inſtructus cernitur, et latere oppoſito bulbulus ſulco immerſus praeſto eſt, floribus autumno ferendis deſtinatus. Annotinus emarcidus et exſuccus reiiciendus eſt, alter ouatus nucis iuglandis ſubinde magnitudinis fouea et criſta laterali ſurſum inſtructus, vnice pro vſu ſeruandus eſt. Hic interne albus. Quo ſuccoſior eſt radix, eo efficacior, hinc ineunte

ineunte aeſtate colligi eam iubet ill. STÖRCK (*Contin. experim. p.* 141.).

Iudicium de vi non ſolum ſed et de ſapore et odore huius radicis tantum differt, vt conciliari nequeant auctores, ſi vtrique veraces fuerint, niſi diſcrimen vel quoad locum natalem, vel quoad anni tempus, vel quoad naturam hominum, qui experimenta ſubierunt, accipias. MARANTA (*Meth. cogn. ſimpl. p.* 33. teſte HALL. in *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1256.) iam notauit verno tempore eſſe amariſſimam, autumno dulcem. HALLERUS (*l. c.*) quoque autumnalem radicem omnis ſaporis et acrimoniae expertem reperit. Bulbos integros recentiſſimos in Carniola et agro Tergeſtino ſe autumno comediſſe fatetur cl. KRAPF (in STÖRCK *Contin. experim. p.* 233.). Nec praeter ingratum amarorem vllum incommodum inde ſenſit. Ipſe STÖRCKIUS (*Lib. de Colch. p.* 8. 9.) autem, qui ſine dubio vſus eſt vernali, ex applicata recente leuiter contrita ſaporem acerrimum et linguam inde rigidam omnique ſenſu per aliquot horas deſtitutam deprehendit; annoſae farinaceum ſaporem adſcribit. Idem experimentum repetens cl. EHRMANN (*Diſſ. de Colchico, Baſil.* 1772. §. 5.) ardorem in

 lingua

lingua ſenſit. Nec hoc valet modo de ſuccoſa radice, ſed et de ſiccata (IDEM §. 6.), quae maſticata punctionis fortis et ardoris ſenſum in labiis cum magno affluxu ſaliuae excitauit, item in lingua (MARGES in *Journal de Med. tom. 23. p. 32. ſq.*). In taleolas ſciſſa, STÖRCKIO teſte (*l. c. p. 25.*), acribus particulis, quas ſparſit, nares, fauces ac pectus irritauit, et apices digitorum, quibus radix ſecanda contrectabatur, ſtupefecit. Cum hisce conueniunt, quae alius (MARGES *l. c. p. 29.*) narrat de effectu vaporum exhalantium, dum expreſſio fieret aquae, in qua radix macerata fuerat: ſcilicet in facie pruritus et efflorescentiae ſubſequutae, labia fiſſuras egerunt, manus pariter pruritus moleſtus fuit. Ego initio Auguſti, quo iam ſcribo, in recenti radice nuperrime euulſa, dum taleam reſeco, odorem ſentio nauſeoſum, qualem in recente radice Paeoniae, manifeſte vellicantem nares, etſi non ad ſternutationem vſque, et linguae admota acrimoniae ſenſum potius quam amaritiei ciet, maſticatione haec ipſa luculentior, nec parum ingrata. — Mirum cl. KRATOCHVILL (*Diſſ. de radice Colchici, Franc. ad Moen.* 1764. *p.* 34.) nihil horum omnium ſenſiſſe, ſed nauſeoſam modo amaritiem. — In ſuperficie taleolarum diſſectarum efflo-

efflореſcit quaſi farina, quam guſtatam non acrem ſed amaram modo deprehendi, et albidum modo ex farina immixta ſuccum vidi. Id vere ita eſſe, inde elucet, quod ſuccus expreſſus quieti traditus ſenſim clarus fit et deponit ſedimentum copioſum, cuius pars inferior album amylum refert, ſuperior autem viſcida et ſubflaua eſt (KRATOCHVILL *de Colch.* p. 12.). Amylum hoc rite lotum gelatinam praebet fuſcam inſtar gelatinae ex granis Sagu (BERG. *Mat. med.* p. 291.). Non attinet commemorare, quae fortior ignis ex radice eruit (V. ſi placet KRATOCHVILL *l. c.* p. 14. MARGES *l. c.* p. 31.), nec vim quam ſpiritus acido dulces in eam exercuerunt (MARGES p. 29. *ſqq.*). Infuſum aquoſum autem coloris lutei ſaporem creat amarum et ad nauſeam vſque ingratum. Inſpiſſatum praeſtat extractum mucilaginoſum coloris griſei, valde amarum; eiusque vnus ex radicis vncia vna elicuit ſcrupulos duos (KRATOCHVILL *l. c.* p. 16.), alius plus quam duplum (MARGES *l. c.* p. 28.). Infuſum ſpirituoſum coloris aurei largitur extractum ſubacre atque amaricans; ex radicis vncia vna extracti grana ſedecim (*l. c.* p. 17.).

Brutis eſſe infeſtum, quin deleterium, Colchicum, et quoad omnes quidem plantae partes,

N 3 pluribus

pluribus obſeruationibus didicimus. In pratis intacta relinquere ſolent folia. In ſtabulum vero inter alias herbas proiecta et quidem recentia necarunt ceruos Damas cicures binos, praeuio profluuio aluino cruento, et in hisce poſtea inteſtina praecipue tenuia inflammata et gangraenoſa conſpecta ſunt (*Breßl. Samml.* 1720. *p.* 668.). In Carniola bobus deleterium eſt, minus vero nociuum autumno, et ſiccatum viſum eſt ibidem carere omni culpa; primus effectus intumeſcentia inguinum apud illos ſeſe exſerit; ad auertendam noxam confert vti decocto ex Nicotiana cum aceto et melle (HACQUET in *n. Samml. d. Geſellſ. d. Ackerbaues zu Krain P.* 1. *p.* 1.). Vitulus floribus ſaturatus abdomine tumefacto die ſecundo periit ventriculo turgido et inflammato (SCOPOLI *Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 229.). Nec canes, quorum natura alioquin fortior, bulbi maiorem copiam impune ferunt. Binis drachmis diſſectae radicis cum carne ouilla a cane famelico deuoratis, hic poſt horam ſeſquialteram euomuit offam, ſed nihilominus paullo poſt artus tremuerunt, conuulſum abdomen et ſcrobiculus cordis introrſum verſus, ſubſequutae nouae vomitiones, vlulatus, vrinae largum profluuium, creberrimae alui de-

ie-ctiones,

iectiones, ita vt intra tredecim horas quinquageſies vomeret et quadrageſies aluum et vrinam dimitteret, demum miſere periret. Quicquid ſub finem huius ſcenae euomeret, loturam carnis retulit, ſicuti et vltimae deiectiones multo ſanguine, carunculis et fruſtis membranaceis, mixto exſtiterunt, quin membranaceae partes per anum propenderunt; ſenſorii communis autem vis remanſit vsque ad mortem. Ventriculus et inteſtina inflammata et gangraenoſa reperta, et haec quidem ita contracta, vt vix ſtylus penetrare poſſet (STÖRCK *de Colch. p.* 17. *Exper.* 17.). Multa ſimilia in alio cane eadem doſi enecato contigerunt (KRATOCHVILL *p.* 46. *Exp.* 4.). An vehementius canes afficit, quam alia animantia? quorſum reſpicit vetus nomen Gallicum Mort au chien, Tue Chien.

Hominibus pariter radicem venenum eſſe, iam agnouit antiquitas. De ſuo Colchico comeſtam ſtrangulando necare ediſſeruit DIOSCORIDES. Idem GALENI effatum. Sed ne de diuerſa ſtirpe ſermonem fuiſſe opponas, en ſingulares quosdam caſus exitus ancipitis vel funeſti, ex quibus ſimul cognoſcitur, hominibus pariter non

vnam, ſed plures ſtirpis partes infeſtas eſſe. Ex Colchico in prato per luſum ingeſto duo pueri miſere perierunt (JO. AGRICOLA AMMONIUS *Medic. herbariae lib.* I. *p.* 90.). Recente radice a ruſtico incaute capta, inter inſignes turbas in periculum vitae vsque ille aluum egeſſit (LUDOVICI *Oper. p.* 63.). Necem attulerunt flores tres vel quatuor ancillae, quae illos ex populari errore contra febrem intermittentem ſumſerat, poſtquam doloribus inteſtinorum aliisque ambiguis malis per triduum excruciata fuiſſet (GARIDEL *Plantes d'Aix*, *p.* 123.). Ex ſeminibus, quae ſubdulcem ſaporem habent, duo infantes capſulis ludentes aegrotarunt vehementius et vomitu enormi correpti ſunt, inter quem vnus animam efflauit (*Breßl. Samml.* 1723. *p.* 679.). Alius puer quinquennis eadem inſcitia peccans nonniſi lento ſucceſſu vomitum inde natum compeſcere et recuperare priſtinam ſanitatem potuit (*l. c.*). Audiamus iam, quae STÖRCKIUS ipſe, in ſe exploraturus ambiguam radicis vim, ſenſerit incommoda. In eo granum vnum ſuccoſae radicis intra micam panis deglutitum poſtea ardorem in ventriculo, initio fixum dein ſede variabilem, creauit, ſubſequente in viis lotii pruritu et mingendi conatu cum

cum vrina pauca flammea, ſtrangurioſa et teneſmo dolentiſſimo, item tenſione circa cordis ſcrobiculum magna, cephalalgia moleſta et ſingultiendi conatu, doloribus colicis aliisque moleſtiis, inter quas languor ſuperfuit per ſubſequos dies et ſtranguria mucilaginoſo et anodyno coërcenda (STÖRCK *l. c. p.* 11. *Exper.* 4.).

Similis effectus, qualem deſcripſi, multa veſtigia vino ineſſe reperit, in quo radix recens maceratur, quin imo dum modo radicis ſuccoſae grana tria cum vini vnciis quatuor per horam tantum digerantur; nam inter deglutiendum acre et leuiter adſtringens cenſebatur, laryngem titillauit et breuem inanemque tuſſiculam excitauit, deglutitum intra pauca minuta pr. ardorem in viis lotii creauit et paullo poſt vrinam copioſam et pallidam mouit (STÖRCK *de Colch. p.* 9.).

Turbae ex ingeſto vitioſe Colchico, modo non multum temporis interceſſerit, optime vomitoriis tolluntur; mora vero facta lactis copioſe poti et clyſmatum emollientium et mucilaginoſorum magna vis eſt. STÖRCKIUS acidis multum fidit.

Hactenus recenſitos effectus graues vel funeſtos qui legerit, mirabitur quod cl. KRATOCHVILL (*de Colch. p. 35. ſq.*) aſſeueret, tam ſe quam alios, quorum nomina indicat, diuerſae aetatis et ſenſilitatis homines et Vindobonae et Francofurti ad Viadrum non vere ſolum, ſed et autumno Auſtriacam pariter ac Sileſiacam et Marchicam radicem ingeſſiſſe ad vnam, duas, tres drachmas, imo horum vnum ad dimidiam fere vnciam, alium integrum bulbum, ſine vllo detrimento et citra inſequentem mictionem copioſiorem. Quomodo haecce, ne dicam cum Störckianis, ſed et tot aliis praeuiis virus animaduerſi documentis et cum effectibus oxymellis mox enarrandis combinari queant, difficile diiudicatur. Quae cl. KRAPF de bulbis autumno impune a ſe comeſtis narrat (V. ſupra *p.* 195.), credidi in anni tempore cauſam habuiſſe.

Quodſi vero ſint, qui in deprimenda efficacia Colchici nimis laborarint: ſane ex aduerſa parte peccatum ab iis eſt, qui in eo inſtar amuleti adeo geſtato vel ſuſpenſo egregium alexipharmacum quaeſiuerunt. Multus in hacce virtute extollenda fuit GE. WOLFGANG WEDELIUS (*Comm. de Colch.*

veneno

veneno et alexipharmaco, *Jen.* 1718. Conf. GÖRITZ in BÜCHN. *Miſc. phyſ. med.* 1728. *p.* 1213.), qui in morbis epidemicis multiplicis generis, peſte, dyſenteriia, febribus malignis, exanthematicis, demum variis acutis radicem, vel ſolam vel cum Plantagine in ſacculo circa collum inſtar praeſeruatiui geſtandam ſuaſit. CHRIST. LUD. WILHELMI (*Mittel wid. d. Peſt*, *Leipz.* 1721.) ſuperſtitioni (nam ipſe in ſomno ſibi reuelatam artem pronunciat) ſpurcitiem addit, dum radicem in emplaſtro ano applicatam in peſte laudat. Serior vtroque auctor HASENEST collo appenſa pectorique nudo impoſita radice ſe aliosque medicos a febre caſtrenſi muniuiſſe, et inde ſudores ſolito largiores et colore ſubfuſco lintea tingentes in ſe erupiſſe perſuaſum nobis cupit (*Comm. Nor.* 1736. *p.* 12. 107.). Si quid in hisce effecerit radix, vix alia ratione quam animum erigendo fiducia in imbelle auxilium poſita profuit. Metus enim vim in contagiis fouendis quis neſciat?

Sed verior eiusdem in morbis potentia noſtris modo temporibus innotuit, ex quo L. B. A STÖRCK radicem ſub incudem medicam ſcite et patienter reuocaret. Iſte enim (*Libell. de Colchici autumnalis radice.*)

radice.) a. 1763. prima experimenta apud aegros a ſe capta publici iuris fecit confirmauitque dein hinc inde eadem nouis. Cautionem in hisce inculcabat ſenſus acrimoniae in ore perceptus, item effectus vehemens, non in cane modo quem deſcripſi ſeſe exſerens, ſed ille pariter, quem ipſemet in ſe ex radice vel ſola vel vino macerata et ingeſta expertus eſt, de quibus ſupra iam dictum, vt ne tangam, quae aliena fide explorata practicum tantae eruditionis latere non poterant. Inter varia phaenomena, quae ſub ill. viri indagine ſeſe manifeſtarunt, maxime notabilis eiusdem in lotio pellendo vis fuit. Mitigare autem acre, vt in tutum et efficax medicamen transmutaretur neceſſe erat. Hanc virtutem iſte quidem aceto forti tribuit, nempe radicis ſuccoſae portio eodem macerata linguae et palato affricta leue modo ardoris et conſtrictionis indicium praebuit (STÖRCK *de Colch. p.* 11. *Exp.* 2.). Equidem autem arbitror, acetum tantummodo penetrare potenter in compagem eius et abripere auide acres et amaras eius partes, ſed blandiores linguae eas ſiſtere ideo modo, quod dilutae fuerint. Sed ſi vncia vna radicis in taleolas ſecta aceti vini libra vna per quadraginta octo horas lento igne maceratur, demum cum debili expreſ-

expreſſione colatur, remanet modo leuis vel fere nulla in radice amarities (MARGES in *Journ. de Med.* 1765. *p.* 31. STÖRCK *l. c. p.* 24.), acetum vero ipſum acre eſt, linguam vellicat, deglutitum fauces irritat easque conſtringit, et tuſſim inanem mouet (STÖRCK); ſimul amarum eſt (MARGES). Vt miteſceret magis, addidit STÖRCKIUS librae vni aceti huius mellis puri libras duas, quam miſcelam in ſpiſſitudinem mellis leni igne coxit et *Oxymellis Colchici* nomine nuncupauit. Hoc leuiter modo linguam ſtimulat et adſtringit, mucumque quo obducitur egregie abſtergit; ad paruum cochleare autem captum vrinam mouet (STÖRCK *l. c. p.* 26. *ſq.*). En igitur alius virtutis Colchici indicium haud ambiguum, in pituita ſolvenda haud parum valere. Et hacce oxymellis forma plerisque caſibus radix per os exhibita eſt; pauciſſimi ſequenti tempore puluere vſi ſunt. Iſtius oxymellis vires iam per partes expendam. In duplici malo nominatim vires egregias demonſtrat, in hydrope ſcilicet et aſthmate.

Praemittenda merito propria STÖRCKII in hydrope experientia. Vnica tantum voce declarauit iam antea LINNEUS Equ. (*Amoen. acad. vol.* 5. *p.* 159.), ſe notitiam huius virtutis habuiſſe, licet modum

modum vſurpandi radicem non exponat. Non vero vnice in ſimplici hydrope vel mitiori eius ſpecie, ſed complicato et grauiori, hoc oxymel profuit, et quos non ſanauit omnino hisce mitius tamen reddidit malum et vitam prolongauit. Opem tulit in aſcite cum hydrope anaſarca iuncto (*De Colch. Caſ.* 1. 4. 5. 7. 8. *Cont. exper. Caſ.* 5.). Adfuit ſubinde ſimul difficillima et ſtertoroſa reſpiratio cum tuſſi (*Caſ.* 3. 4. *Cont. experim. Caſ.* 2. 3. 6. 7. 8.). In quodam icterus vna afflixit (*Caſ.* 9.). Leuauit malum etiamſi phthiſis vlceroſa pulmonum adeſſet, et deuicit hydropem, etiamſi phthiſin non poſſet (*Caſ.* 2. 6.). In quibusdam ex ſuppreſſa febre intermittente hydrops enatus erat (*Caſ.* 1. 8.). In alio ſcarlatina neglecta pro cauſa fuit (*Cont. exper. Caſ.* 1.). Et varia alia incaſſum ante tentata fuere; nec diuturnitas mali obſtitit, vtpote quum per aliquot menſes apud plures durauiſſet; nec aetas obicem poſuit, etenim vetula nonagenaria ſurda, ſui neſcia, ſtertoroſa cum intermittente et debili pulſu immaniter ex aqua collecta tumens, inde ſanitatem recuperauit (*Caſ.* 13.). Sigillatim mentio facienda eſt virginis, miranda magnitudine et duritie ventris femorumque tumidorum inflexilitate laborantis, ſed huius virtute ſanatae

(*Caſ.*

(*Caſ.* 10.). Alia foemina ab ingenti oedemate capitis ad interna capitis prorepente eo liberabatur (*Cont. exp. Caſ.* 10.).

Eandem experti ſunt efficaciam multi alii medici, non ſolum ii, qui vinculo arctiori cum ill. A STÖRCK iuncti erant, e. c. cll. ZACH Peſtini (STÖRCK *Cont. exp. p.* 160.), KRAPF Tergeſtini (*l. c. p.* 250.), PLENCK (*Mat. chir. p.* 345.), COLLIN (*Obſ. circa morb. acut. et chron. P.* 2. *cap.* 1.), qui numeroſiſſimos caſus ad quadraginta vsque ſiſtit, ſed et alii variis diſſitis regionibus degentes. Spectant huc per partes ſollicite enarratae hiſtoriae quorundam in Gallia medicorum, cll. MARGES (in *Journ. de Med. tom.* 23. *p.* 20. *ſqq.*), PLANCHON (*l. c. p.* 324. *ſqq.* et *Journ. de Med. tom.* 28. *p.* 504. qui variorum infantum curatorum meminit), DU MONCEAU (*l. c. p.* 519. *ſq.*), anonymi cuiusdam (in *Gazette ſalutaire* 1768. *n.* 46.). Cl FR. CHRIST. JUNKER (*Diſſ. de aquarum hydropic. euacuatione prudenti, Hal.* 1768. ſed mihi hactenus non obuia) efficaciam eius explorauit in homine, qui iam vndecies paracenteſin abdominis ob hydropem ſuſtinuerat. In variis noſocomiis praeterea, vt Turicenſi, (SAL. SCHINZ *Verſ.* libri Störckiani

Abh.

Abh. v. d. Lichtblum, 1764. *Praeſ. p.* 22.) et Argentoratenſi (EHRMANN *Diſſ. de Colchico*, §. 15.) commodum exoptatum praeſtitit. In iſto memorabile leuamen attulit foeminae, per quinque et dimidium annum foetu intra tubam Fallopianam latente grauidae. Bis hydropem articuli eius ope ſanauit cl. PLENCK (*l. c.*), teſtisque eſt, in hydrocele vti et hydrophthalmo votis reſpondiſſe.

Tutiſſimum eſt, a parua doſi initium facere; hinc adulto oxymellis huius bis per diem drachmam vnam in vaſculo decocti vel infuſi cuiusdam praebere et ſenſim aſcendere, ſic vt per diem vncia vna vel ſeſquialtera conſumatur; dum dilutum oxymel aeger ferat, omitti poterit vehiculum (STÖRCK *de Colch. p.* 72.). Metus a magna doſi tanto minus locum habet, quum adeo vnciae duae vel tres innoxiae per diem fuerint (*Cont. exper. p.* 159.). Imo propinatae ſunt hydropicae pertinaci malo vnciae quatuor per diem, indeque conualuit (COLLIN *Obſ. de morb. P.* 2. *p.* 129.). Robuſtis quoque et quibus ſana viſcera ſunt, licet illico a magna doſi incipere. Quibus aluus inde laxa ſine leuamine fit, vnde debilitatio inſignis, hisce opus eſt,

opiatum

opiatum vel ſyrupum Papaueris albi admiſcere, vnde ad ſolitas lotii vias vis conuertitur (*l. c.* item STÖRCKII *Cont. exper. Caſ.* 5.). Subinde ſudor erumpit, cum quo hydrops diſparet (COLLIN *Obſſ. P.* 2. *p.* 127.). In quibusdam nulla notatur euacuatio, et nihilo minus hi ex oxymelle conualeſcunt (*l. c.*). Boni ceteroquin augurii eſt, vrinam vario gradu fuſcam cum enaeoremate fuſco nigro craſſo copioſo mox poſt vſum mitti, ſed paullo poſt mutari in colorem dilutiorem, item primis diebus curationis ſedimentum deponi mucoſum granulis varii coloris mixtum (*l. c.*). Aſciticis habitus ſtrictioris citius et minori doſi medetur, quam iis, quibus laxior corporis compages eſt (ID.). Concedi et poteſt praeſente febre (ID. *p.* 129.). — Sub hisce cautelis nemini nocuiſſe tantum non omnes vno ore confitentur. Vnde inexſpectato legitur, ex parua quantitate oxymellis, loco ſalutaris effectus, inſignem ardorem viarum lotii, excretionem vrinae parciorem, reſpirationem difficiliorem et auctam ventris intumeſcentiam euaſiſſe (DE BERGE in *Journ. de med. tom.* 22. *p.* 526.).

Non mirum eſt, multos hydropicos inde non ſanari: miraculum contra eſſet et naturae

 legibus

legibus aduerſum, ſi omnes ſanarentur. Quis enim peritior ignorat, quanta labe vaſorum et viſcerum hydrops coniunctus eſſe ſoleat, et quam pertinax ſaepe alias cuilibet medicaminum generi obſiſtat. Sufficit multis auxilio fuiſſe, et ibi aliquando proficere, vbi Scillae locus non eſt. Huius vires in plerisque aemulatur Colchicum, et vel ideo ius ciuitatis inter medicamina meretur, quod indigena multis in locis planta eſt, Scilla exotica. Multi, qui Scillam absque nauſea et vomitu nón ferunt, impune atque in ſalutem ſuam Colchicum aſſumunt (SCHINZ *l. c. p.* 20. et STOLL *de morb. chron. p.* 69.). Neque STÖRCKIUS omni hydropi ſanando illud par declarauit, ſed prodeſſe quandoque aliis remediis irritis et quandoque perperam dari (*de Colch. p.* 71. *Cont. exper. p.* 158.). Nec excludenda alia ad efficaciam augendam, vel vitia poſt euacuationem per lotium reſidua tollenda. Sic aliquando profuit ob obſtructiones viſcerum terram foliatam tartari addere (STÖRCK *Cont. exper. p.* 148. 251.), vel Scillae extractum admiſcere, item ſubiungere tonica, ſtimulantia, et ſolari moleſta varia praeſentia ſymptomata.

Sic componi poterunt facile quorundam exterorum querelae de inertia vel inconſtantia radicis in

in hydrope. Harum quaedam adeo inter ipſas eius laudes comparent (Vid. e. c. *Journ. de Med. tom.* 23. *p.* 331. 333. *tom.* 28. *p.* 515. 519.). Sic Anglorum plures, absque ſucceſſu illud praeceperunt (*Med. Obſ. and Inqu. vol.* 3. *praeſ. p.* 5.), quorum numerum quodammodo auget cl. HUTCHESON (in DON. MONRO's *Eſſay on dropſy, p.* 108.), qui quidem bis in hydrope anaſarca longioris morae, ſemel in recente tumore oedematoſo infantis, item ſemel in puella aſcite ingente correpta, probo euentu illud dedit, ſed ſex, inter decem, caſibus fruſtra. Mirum ſemper iners illud reperiſſe cl. PAULIZKY (*Med. Beob.* 2. *Samml. p.* 90.), etiamſi magna doſi datum. Aſciticis fruſtra ſe illud dediſſe dolet ill. QUARIN (*Animadv. pract. p.* 168.), qui tamen non in vniuerſum illud deprimit. Squilla vi inferius cognouit ill. BERGIUS (*M. m. p.* 291.): anne cauſa fuit, quod oxymel ex radice forinſecus allata, praepararetur, quum ſtirps deficiat in Suecia. Nolo KRATOCHVILLII (*de Colch. p.* 37. *ſqq.*) ſiniſtrum iudicium de inertia huius oxymellis, quod ex peregrinis narrationibus modo hauſit et animum partium ſtudio non omnino liberum prodit, in ſeriem reliquorum ponere, quibus nuda vnice veritas cordi fuit.

Tranſeo ad oxymellis huius in aſthmate praeſtantiam conſiderandam, quo nomine chronicas varias affectiones pectoris complector, in quibus reſpiratio difficilis, ſtertoroſa, anxia, aliquando ſuffocationem minans aegros corripuit, ſiue cauſa latuerit in muco abundantius inter pulmones collecto, ſiue obſtructionibus compagem eorum obſidentibus. Malum hocce ſaepe iunctim cum aſcite, anaſarca et hydrope pectoris, afflixit. Subinde ſolum aegro vim intulit. Diſperſa igitur horum multa exempla comparent inter ea hydropicorum, quorum mentionem iam feci; et vtrique malo tum ſuppetias tulit. Mali, ab hydrope ſeparatim vrgentis, vel curati vel mitigati luculenta quaedam exempla dedit STÖRCKIUS (*De Colch. Caſ.* 11. 12. *Cont. exper. Caſ.* 4. in quo acceſſit dein hydrops pectoris; *Caſ.* 9.), tum et alii praecipue inter Gallos, quos nominaui. Quae iam de doſi et cautelis monui, huius quoque loci ſunt. Radicis huius vis in aſthmate non nouiter modo cognita eſt, ſed puluis eiusdem iam dudum pretium ſingulare obtinuit cuſpidatim datus, ob efficacem et velocem effectum (GÖRITZ in BÜCHN. *miſcell.* 1728. *p.* 1213.).

Pulueris,

Pulueris, vt antaſthmatici, quum mentionem faciam: memorandum eſt, noſtro tempore quoque in hydrope pulueren virtute oxymel ſui nominis aemulatum eſſe, etſi paucioribus exemplis. Acrimoniae in lingua indicia, quae ſupra recenſui, augurari efficaciam iam ſinunt non leuem. Hinc probabile, temporis mora vel acceſſu aëris eneruatam inſigniter fuiſſe radicem, quam a quatuor ad octo cochlearia exigua pro Thea per diem, licet in deſperatis caſibus ſalutem afferret, obtulerat HEUERMANNUS (*Vermiſchte Bemerk. u. Unterſ. d. Arzneiwiſſ. vol.* I. *p.* 241.). Doſin etſi non ſignificat cl. THEDEN (*Unterr. für die Wundärzte, P.* I. *p.* 176.), nos tamen certiores reddit, deſperatis hydropis caſibus puluerem radicis vel ſolum vel cum tartaro tartariſato mixtum efficaciſſimum deprehendiſſe, et alui quidem deiectionibus crebrioribus absque vllo alio euentu hanc medicinam auxilium attuliſſe.

Iunctim haecce omnia ſumta docent, non in lotio vnice mouendo inſigniter Colchicum valere, ſed potenter etiam ſoluere tenaces et compactos humores, et, ſi pectus grauant, ſcreatum promouendo pulmones egregie liberare.

Inter tot praeſtantiores effectus recenſitos condonari facile poſſet, ſi omitterem, ad verrucas ani delendas alligatam fuiſſe radicem; coctam vero lacte necare pediculos inguinales (JO. BAUH. *Hiſt. pl. tom.* 2. *p.* 650.); flores quoque verrucis manuum affrictos easdem tollere (SCHINZ *Praeſ.* verſ. libri STÖRCK *de Colch. p.* 24.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ACETUM COLCHICI. Praeparationem ſupra (*p.* 204.) expoſui. Receperunt hocce quoque varia diſpenſatoria pharmaceutica e. c. *Brunſv. p.* 171. *Ph. Würt. ed.* 3. *p.* 3. Rariſſimi tamen vſus. Sed eximie externa applicatione reſoluit, eoque magnus ad oculi ſiniſtri angulum internum tumor diſſipatus eſt (STÖRCK *Cont. exper. p.* 159.).

OXYMEL COLCHICI. V. ſupra *p.* 205. Iam illud in pleroſque recentiores libros pharmaceuticos tranſiit e. c. *Ph. Würt. p.* 733. *Brunſv. p.* 291. *Lond.* 1787. *p.* 93. Licet ex recenti radice vulgo paretur: ſub defectu recentis tamen etiam ex ſicca fieri poteſt, modo eadem, quoad reliqua neceſſaria, proportio obſeruetur (PLANCHON in *Journ. de Med. tom.* 28. *p.* 521.). Experimenta in aegris efficaciam euincunt.

SYRUPUS

SYRUPUS COLCHICI *Ph. Ed.* 1783. *p.* 193. Loco mellis ſaccharum ſumtum fuit; ad imitationem ſyrupi ſui ſcillitici. Huc trahi poterunt ſupra de oxymelle ſcillitico propoſita.

524.

Pharm. HERMODACTYLI *Radix.*
Item HERMODACTYLI (In plurali).

— — — A quanam ſtirpe haecce radix petatur, nondum certo conſtat. LINNEUS Equ. illam in *Materia medica* a. 1749. item in *Spec. pl.* p. 28. *Iridi tuberoſae* ſuae adſcripſit, nixus, vt dicit, auctoritate TOURNEFORTII, quam nullam aliam equidem reperio, quam quod hic (*Coroll. inſtit. rei herb. p.* 50.) hanc Linneanam ſpeciem nomine Hermodactyli inſigniuerit. Ipſe LINNEUS tamen poſtea (*Diſſ. Obſ. in Mat. med.* 1772. *p.* 6.) inter incognitas ſtirpes veram collocauit, ſignificatque recentiores quosdam MILLERUM nec non FORSKÅHLEUM ſuſtinere, *Colchicum illyricum* ſtirpem veram eſſe. In MILLERI Lexico ed. 8. nomen triuiale hocce non exſtat, declarat autem ibidem auctor, Colchicum variegatum vel Colchicum teſſulatum ſuum

pro Hermodactylo officinarum haberi et vtramque ſtirpem Aſiae minoris ciuem eſſe. Sed propria indagine ipſum TOURNEFORTIUM (*Mat. med. verſ. Angl. p.* 82), vti HERMANNUM (*Cynoſ. mat. med. tom.* 1. *p.* 113.) pro ſpecie Colchici orientali habuiſſe reperio, cui addit vterque ſynonymon: Colchicum radice ſiccata alba C. B. ad quem locum TOURNEFORTII ſine dubio et reſpexit cl. GEOFFROY (*Mat. med. Traité tom.* 2. *p.* 137.). Vnde cadit huic a cl. ALSTON (*M. m. vol.* 1. *p.* 461.) facta reprehenſio.

Colchicum ipſum *Illyricum*, quod nomen neque in *Syſt. veg.* nec *Spec. plant.* L. exſtat, non ſatis notum eſt, nec ex RAUWOLFFIO (*Reyſ*, *pars* 1. *c.* 9. *p.* 121. vel GRONOV. *Fl. orient. p.* 46.) determinari perfecte poteſt. Auctor anonymus libri *Matiere medicale extraite des meilleurs auteurs*, *p.* 139. refert plantam ipſam ſe in Aſia minori, Colchico vulgari noſtro foliis et fructu ſimillimam, vidiſſe.

RADIX, qualem officinae ſeruant, figurae eſt fere cordatae magnitudine circiter Caſtaneae, altera ſuperficie ſubplana, extus flauicans interne albida, ſaporis ſubuiſcidi farinoſi, odoris vero expers.

expers. Affertur nobis ex Natolia et Aegypto per Turciam.

An ſit haecce eadem, ac radix Hermodactyli veterum Graecorum et Arabum, diiudicari hactenus non potuit, nec operae pretium videtur noua indagine bonas horas in re ambigui euentus dilapidari, tanto minus quum virtutes a veteribus illi adſcriptae nulla in re valde emineant.

Sapor radicis recentis fertur eſſe acerrimus; annoſae autem ſubdulcis farinaceus, aliquantiſper viſcoſus; odore deſtituitur (HERM. *Cynoſ. mat. med. l. c.*). ALEXANDER TRALLIANUS Graecorum primus eſt, qui Hermodactylum antiquis vſitatum commendat, et quidem inſtar purgantis in podagra, in aromatum, ſubinde purgantium aliorum, vario connubio (Vid. *libr. med.* 11. *ed.* ANDERNACI *p.* 643. *ſqq.*). Item PAULLUS AEGINETA (ed. TORIN. *lib.* 3. *p.* 237. *lib.* 7. *p.* 462.) in articulorum doloribus laudat purgantis inſtar; moleſtum autem ſtomacho pronunciat, vnde ratio cognoſcitur, cur veteres aromata addiderint. Ex Arabum numero produco MESUEN (*de ſimpl. l.* 2. *c.* 7. *p.* 56. *b.*), qui podagrae conferre non ore modo ſumtum, ſed etiam cataplaſmate applicatum

O 5 declarat.

declarat. In Aegypto mulieres Hermodactyli radices, quales in officinis proſtant, modice toſtas inſtar Caſtanearum deuorant, quin numero decem, dum cubitum eunt per quindecim ad viginti vsque dies, vt pinguefiant, nec inde aluum laxam experiuntur, vel aliud incommodum (ALPINI *med. Aegypt. p.* 234. 253.). Facile inde perſuademur, Aegyptiacum Hermodactylum differre ab illo veterum, niſi forſitan vi ignis ſub toſtione acre diſſipetur, vel ipſum Hermodactylum veterum aluum mouendi vim modo adipiſci aliorum purgantium additamento. Cl^o. RUSSELL (*Oeconomy of nature in diſeaſes of glands, p.* 205.) in vſu fuit ad imitationem mulierum Aegyptiacarum in connubio balnei tepidi Hermodactylos et aquam marinam propinare, vnde in vtroque ſexu macies, corrugatio cutis, eruptiones variae cutaneae ſublatae, habitusque corporis plenus glaberque euaſit, et iuuentus reuixiſſe viſa.

Sunt, qui in dubium vocant omnino vim purgantem, e. c. CASP. HOFFMANNUS (*de medicam. offic. p.* 44.), ALSTON (*M. m. tom.* 1. *p.* 463.), DE HAEN (*Praelect. in* BOERH. *inſt. pathol. tom.* 3. *p.* 197.). Vernalem radicem ad drachmas tres

vel

vel quatuor SWIETENIUS abſque aluo mota ingeſſit (DE HAEN *l. c.*).

Vix vnquam amplius hodie praecipitur a medicis, et exulauit plerisque diſpenſatoriis pharmaceuticis. Fidem, quam veteres Hermodactylo ſuo in podagra tribuerunt, in memoriam quodammodo reuocauit DECOCTUM ANTIPODAGRICUM VIENNENSE, olim inſigniter commendatum a cl. BEHRENS (*Ephem. nat. curioſ. Cent.* I. *Obſ.* 81. *p.* 151. Conf. FR. HOFFM. *Medic. ſyſt. tom.* 4. *p.* 533.) ex Hermodactylis, Polypodio, radice Chinae, Sarſaparilla, Guaiaco, cum aqua et vino coctis. Eiusdem naturae eſt decoctum quoddam in Belgio valde recentius laudatum, ſcil. ℞. Rad. Polypod. Hermodactyl. Bardan. Sarſaparill. āā ℥iv. Raſur. Lign. ſanct. ℥ij. Conciſ. add. Aquae Menſ. IX. Vin. alb. ℥iij. Stent in digeſtione, filtratis iterum affunde Aquae Menſ. vj. Vin. ℥ij Ebulliat ad remanent. tert. part. D. S. pro potu ordinario (FUUN in *Verhandel. door de Hollandſe Maatſchappy d. Weetenſchappen te Harlem*, *vol.* 2. *p.* 6.). Fatendum tamen in vtroque decocto ob varietatem eorum, quae recipiunt, meritum ſingulorum valde euadere ambiguum.

COM-

C O M P O S I T A.

SPECIES DECOCTI ANTIPODAGRICI VIENNENSIS *Ph. Würt. p.* 181.

C R O C V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 75. *Gen. pl. p.* 25.

525.

Pharm. CROCVS.

Crocus ſatiuus; ſpatha vniualui radicali, corollae tubo longiſſimo LINN. *Spec. pl. p.* 50. *α) officinalis;* autumnalis foliis anguſtioribus margine reuolutis *Syſt. l. c.* Crocus autumnalis ſatiuus DOUGLAS in *Phil. Tranſ. vol.* 32. *p.* 441. *tom.* 1. *fig.* 6. DU HAMEL *Mem. de l'acad. R. de ſc. de Paris* 1728. *p.* 100. cum *tab.* 1. 2. Le Saffran FOUGEROUX DE BONDAROY in *Mem. de l'ac. R. de ſc. p.* 92. cum *fig. tab.* 1. 2. Depictum quoque reliquerunt REGNAULT *Botan.* Le Safran; MILLER'S *Figures of plants, tab.* 111. *f. a. b.* Κροκος Graecorum. Zaffaran v. Zahafaran Arabum. Planta perennis, ſpontanea in ſecunda regione M. Olympi (SESTINI *Lettere o Viaggio per la Peninſula di Cizico, vol.* 2. *p.* 97.), in montibus Caucaſi aliisque Perſicis (GEORGI), in montibus et val-

libus

libus inde a Crimmia antiqua vsque ad Baluclavan (*Deſcription phyſique de la Contrée de la Tauride*, *p.* 185.). Non igitur eius natale ſolum ignotum eſt, vt cl. ALSTON (*Lectures on the Mat. med. vol.* 2. *p.* 117.), et adeo MILLERUS (*l. c.*), quondam exiſtimarunt. LINNÈUS (*Spec. pl. Mat. med.*) alpinum facit, et Helveticas alpes quoque tanquam patriam nominat: ſed aduerſatur HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1257.), quin animo nonnihil commotior (*Gott. Anz.* 1778. *p.* 88.), et confudiſſe officinalem cum varietate verno tempore florente (Croco ſatiuo β, vernali LINN.) accuſat, qua in re, ſaltim quoad Helveticam plantam, HALLERI aſſerto facile ſubſcribes. Varietas officinalis florem multo maiorem gerit verna, ſtigma tripartitum grandius, odorum et aromaticum.

Nullibi vero, quantum ſcio, ſpontaneus Crocus legitur, ſed tam in orientalibus regionibus, quam Europaeis variis climatis temperatioris, cultu accedente perficitur, vt et ea pars ſtirpis, quae vnice in vſum vertitur, maior, odoratior et amarior euadat. Sic minorem et minus amarum ſpontaneum Crimmiae eſſe legimus (*Deſcription de la*

Tauride

Tauride ſupra *cit.*). Ita colitur in montibus Caucaſi (GEORGI *Reiſe durch Rußland, vol.* 4. *p.* 38.), in Perſia (CHARDIN *Voyage vol.* 4. *p.* 37.), in monte Atlas ditionis Tripolitanae, praecipue ea parte, quae Garean dicitur (ROTHMANNS *bref, Reſa til Garean* in GÖRWELLS *Adreſſe* 1775. *n.* 39.). Per Arabes probabile in Europam primum tranſiiſſe, et quidem Hiſpaniam, vbi hodie in La Mancha nominatim in St. Clemente copioſe legitur (DILLON's *Travels through Spain, p.* 419.). Galli in terra Gatinois (*Journ. de l'agriculture* 1766. *Decembre.*) olim maiori ſtudio quam hodie fit huic rei operam dederunt; in Angoumois (MUNIER *Eſſai d'une methode à etendre les connoiſſances des voyageurs vol.* 2. *p.* 271.) tamen iam ſtudioſius cultum exercent. In Anglia variis locis eum ſibi commendatum habent, vt in Eſſex, Suffolk et Cambridgeſhire, nec exiguo lucro (DOUGLASS in *Phil. Tranſ. n.* 405. *p.* 566. *ſqq.* MILLER's *Gardeners Dictionary* art. Crocus; *Account of Saffron, the manner of its culture and ſaving for uſe, with the advantages it will be of to this Kingdom. Dublin* 1732. 8.). Nec negligitur adhuc hodie in Sicilia (SESTINI *Lettere vol.* 3. *n.* 7.), nominatim in ditione S. Filippo, Iudica, Scarpello, Torciſi, in quibus tribus poſterius

rius dictis locis ab eremitis curatur. In Helvetia quoque variis locis colitur (HALL. *hiſt. ſtirp. Helv. l. c.*). Nec fugit eius cultura Germaniam, ſed inclaruit ibi inprimis Auſtriacus (JO. BERNH. ANT. RAUCH *de vſu et abuſu Croci auſtriaci, Vienn.* 1732. 4.), cui ſuppar perhibetur Bauaricus (*Der Wiener Safran in Baiern od. vollſtändiger Unterricht, wie man d. Wiener Safran in Baiern eben ſo gut, als in Oeſterreich erziehen könne, von* L. FR. WAGNER, *ſamt* 1. *Kupf. München.*).

Non attinet hic in minutias culturae deſcendere. Requirit illa ſolum ſiccum, elatum, montoſum, arenoſum, argilloſum, ſed fimo bene mixtum. Puluinus eo fine rite ſubagitur et in quolibet ſulci rectilinei tres longitudinaliter fiunt. Propagatur ſtirps per bulbos, nam ſemina in culta planta non matureſcunt. Minores non facile flores ferunt, qui vero formam nonnihil depreſſam habent pleroſque ſuppeditant. Bulbi in foueas exiguas immittuntur, tres pollices circiter diſtantes (Vid. figura eiusmodi areae cum puluinis ſuis depicta in SESTINI *Lettere tom.* 3. *p.* 181.). Parcior meſſis primo anno contingit, quam ſubſequente. Duobus annis (MUNIER *l. c.*) in Angoumois,

goumois, tribus (SESTINI) in Sicilia, quatuor vel quinque annis (DILLON) in Hiſpania, ſex vel ſeptem annis ad ſummum (GEORGI) in Caucaſo, exactis, effodiuntur bulbi et progenies multiplex noua, bulbo antiquo vel in ſummitate vel ad latera adhaerens (Egregie in bulbi ſtructuram inquiſiuit cl. FOUGEROUX *l. c.* errorem TOURNEFORTII aliorumque redarguens), in nouas areas transfertur. Duplici morbo ſubinde bulbi tentantur. Horum vnum cl. DU HAMEL (*Mem. de l'acad. de ſc. de Paris* 1728. *p.* 100. *ſqq.*) ſub nomine *la Mort* deſcripſit. Cauſa eiusdem quaerenda eſt in ſpecie Lycoperdi, quae bulbo Croci ſeſe affigit, et fibris ramoſis emiſſis et propaginibus ſ. tuberculis in via prognatis, in vicinos bulbos infeſtam ſuam vim diſpergit; inde enim non ſolum membranae externae bulbi corrugantur, marceſcunt, et in colorem ingrate brunum decolorantur, ſed et ipſe bulbus, centro excepto, quo exſuccae reliquiae eius apparent, in materiem terream nigreſcentem effoetam mutatur (Conf. *l. c. tab.* 2. annexa, et *Mem. de l'acad. de ſc.* 1782. *fig.* 10.). Paraſiticam hancce ſtirpem Croco nutrimentum neceſſarium abſtuliſſe in patulo eſt. — Alter Croci morbus in Gatinois *Tacon* dicitur, a cl. FOUGEROUX DE BONDAROY (in *Mem.*

de

de l'ac. R. de ſc. 1782. *inde a p.* 89.) curatius conſideratus. In hoc integumenta bulbi primum ſana apparent, ſed pulpa maculis bruni coloris praegreſſis in puluerem nigreſcentem degenerat, et ipſa integumenta tandem rubicunda fiunt. Labes vel contactu bulborum vel adſperſo puluere infeſto ſeſe in ſanos bulbos transfert. — Vtrumque malum et arcet et tollit optime lixiuium alcalinum cum calce, cui immerguntur bulbi per duas tresue horas, antequam plantentur, ablatis prius integumentis et detritis maculis, ſi adſunt.

Autumno, dum flores praeſto ſint, quouis die hi mane leguntur, et horum quidem manipulus vnus poſt alterum in corbem collocatur, vt domi per largam menſam ſterni et ex hisce ſtigmata cum longa portione ſtyli ipſius eximi poſſint. Reliquum floris vt inutile reiicitur. Sequitur iam horum exſiccatio, in quem finem fornax portatilis ex aſſeribus emplaſtica materie obductis in Anglia adhibetur. Super hac tenditur aulaeum ex ſetis textum, cui ſuperponuntur plagulae aliquot chartaceae, in quas collocant Crocum humidum ad craſſitiem pollicum duorum vel trium, quem tegunt aliis plagulis, dein lodice laneo aliquoties

complicato, vel puluino ſtramine repleto, et, accenſo per tempus foco, tabula pondere graui onerata. Ignis initio adminiſtratur fortior, dein mitior, et placenta in quem Crocus concreſcit invertitur aliquod tempus poſt, ali vero per 24 horas debet ignis (MILLER). In Sicilia ſuper charta ſiccantur ſtigmata in latere calefacto (SESTINI); in Angoumois autem intra cribrum, ſuper igne flammante diſtantia trium vel quatuor pedum (MUNIER). Optime ſeruatur Crocus, ſi intra veſicam in vas ſtanneum bene obturatum reponitur.

Id quod vero CROCI nomine proprie venit, ſunt tria iſta *Stigmata* ſiue laciniae trifidae, quae in piſtillo ex apice ſtyli emergunt. Cornua paullo a re alienius vocat HALLERUS. Recentia et ſuccoſa ex baſi gracili lutea ſenſim in figuram cuneiformem coloris fului ſ. profunde rubri, apice truncato crenato ex albido luteo dilatantur, ſubmembranacea, conuoluta, pollicem circiter longa (Conf. illuſtrationis cauſa TOURNEF. *Inſtit. rei herb. tab.* 184. *lit. D.* DOUGLAS *l. c.*). Corrugantur et contorquentur ſiccando varie, ita tamen vt crebra ſpecimina obveniant inter ſicca, in quibus terna vnita ſumma ſtyli parte conſpiciuntur. Odorem et ſuccoſus

Crocus

Crocus ſpargit fragrantem, ſiccus vero longe magis et largo ambitu cum ſapore ſimul amaricante et aromatico et nonnihil acri. Quaelibet natio Crocum apud ſe cultum laudare ſolet. *Orientalis* dictus diu excellere creditus, prout CHARDIN (*l. c.*) Perſico palmam adiudicat. *Siculus* iam antiquo tempore magna in exiſtimatione fuit, etſi minori, quam alter. Siculus tamen hodie non maiori copia colitur, quam vt nationi ipſi ſufficiat (SESTINI). *Anglicus*, qui ſtigmata latiora habet, et *Auſtriacus*, hodie valde celebrantur. Poterit clima aliquod virium addidiſſe. Sed in diiudicando pretio Croci etiam ad culturae ſtudium, integritatem bulborum, exſiccationis et conſeruationis Croci ſollertiam et aetatem Croci ſeruati, attendas; nec perinde eſt, vtrum lucri cauſa multum de ſtylo virium caſſo ſimul decerpatur. In Europa cultus eousque praeferri apud nos orientali meretur, quod genuinus facilius haberi poteſt, item recentior, nec peregrino additamento deprauatus. Nempe pondus Croci exiguum ad lucrum fraudulentum inuitat venditores perfidos. Ad vnum enim granum Croci ſicci recipiuntur flores 14 vel 15, et ad vncias ſedecim flores 107520 (ALSTON's *Lectures on the Mat. med. vol. 2. p.* 118.).

Solent quidam, vt Tripolitani, oleum conſeruationis cauſa Croco addere, ſed interdum ob lucrum ex pondere plus quam opus, quin corrumpunt illum eodem fine farina (ROTHMAN *l. c.*). Hiſpanicum pariter oleo inquinatum eſſe accuſant. Immiſcere aliquando fibras carnis bubulae coctae in Gallia olim vſitatum fuit, vt mandato R. Henrici ſecundi medio ſeculo decimo ſexto edito inter alios ſophiſticationis modos a Rege ſeuere interdictos indicatur (V. DE LA MARE *Traité de Police, tom.* 4. *p.* 593.), ex quo ſimul cognoſcitur, quantae iam tum cultura Croci curae in Gallia eſſet. Alii addunt Carthami tinctorii floſculos. Ante aliquot annos capſulam largam chartaceam horum mihi miſit L. B. AB ASCH et ſemina Carthami huius ſeorſim, adſcripto nomine Croci Albanici, quos floſculos tamen, quum dignoſcere eos facillimum, arbitror tinctorio tantum ſcopo Croco ſuppares habitos. Alii vendunt Croci loco floſculos Calendulae, prout Londini a Iudaeis factum (SMITH in *Lond. Magaz.* 1766. *p.* 560.), qui quidem floſculos hosce antea infuſo Croci odoris ſaporisque cauſa immiſerant: tinctura vero cum aqua ex hisce floſculis facta longe ſaturatior magisque rubra fuit, loco coloris grate flaui, quem

erogat

erogat verus Crocus. Maxime vulgaris modus autem Crocum lucri ſcopo deprauandi et detectu difficilior hic eſt, quod pauxillum modo Croci probi cum eo miſceatur, qui antea plurimam partem orbatus tingente ſua materie fuerat, vel alio modo vitiatus; quae quidem fraus a quibusdam in Belgio committitur. Genuinus et probus coloris rutili eſſe debet, nec ſiccus nec humidus nimis, texturae tenacioris, et in placentas firmiores compactus, quae diremtae eundem colorem in intimis ac in ſuperficie prae ſe ferant. Perit etiam vis aetate, vnde annua inſtructus praeſtantior, nec diu contritus ob hanc iacturam ſeruari debet. Difficulter in puluerem redigitur nec niſi antea ſiccatus, vel in mortario calido vel ope piſtilli calidi contritus.

Maſticatione Croci ſaliua tingitur colore ſaturate flauo. Extrahit tam aqua, quam ſpiritus vini, tingentes odorasque eius particulas, aqua tamen magis, vt conferendo vtriusque generis tincturas quoad colorem odoremque, item extracta vtriusque generis quoad pondera, apparet. Scilicet exſiccati Croci vncia vna erogat extracti ſpirituoſi primi drachmas quinque et ſcrupulum vnum, ex-

tracti aquoſi primi autem drachmas ſex (NEUM. *Chymie, vol.* 2. *P.* 2. *p.* 248.). Negat NEUMANNUS (*l. c. p.* 245. 247.) oleum aethereum erui ex Croco poſſe, licet ineſſe diſperſum non inficietur. Sed vere ineſt, modo copia inſignior Croci pro experimento adhibeatur, et LUDWIGIUS ex Croci libra vna elicuit olei huius drachmam vnam et dimidiam (LÖSECKE *Auserl. Arzneym. ed.* 4. *p.* 380. *not.* **.), prout nuperius cl. DEHNE deſtillatione Croci cum aqua ex librae quadrante olei guttas quinque vel ſex obtinuit, coloris aurei, ſaporis valde acris odorisque Croco ipſo fortioris, et in aqua fundum petentis (CRELLS *chem. Journ. P.* 3. *p.* 11.). Quod remanet erogat extractum, laete coloratum, ingrate amarum, deſtitutum odore et aromate Croci ſpecifico. Vnde olei dignitas inſignis intelligitur. Repetita alcoholis infuſione extrahitur omne colorans, vt Crocus modo pallidus ſuperſit (BOERH. *Chem. vol.* 2. *p.* 212.).

Omnia docent, Graecorum veterum et Latinorum Crocum et noſtrum ex eadem ſtirpe eſſe. Nomen tamen transtulerunt etiam in alias floris partes Croco ſimiles, e. c. antheras Lilii albi, vt docet memorabilis PLINII de hoc locus (*Lib.* 21. *cap.* 5.): "ſtantibus in medio Crocis."

Flauedo

Flauedo Croci in intima corporis animalis penetralia ſeſe inſinuat. Mulier fertur a medicamento quodam, cui Crocus inerat, duas puellas extrinſecus luteo tinctas peperiſſe (AMAT. LUSITAN. *curat. med. Cent.* 5. *f. m.* 71.). Sic in cane grauida Croco cum aliis paſta non ſolum colliquamentum viſcerum abdominis colorem croceum exhibuit, ſed et catelli variegati locis albidis flavedine tincti exſtiterunt (HERTODT *Crocologia p.* 279.). Lotium Croco tingi multi perhibent, et nominatim ex ſaturata tinctura eius ſpirituoſa id fieri legimus (BOERH. *l. c. p.* 213.). Sed recentiori experimento (ALEXANDER'S *experimental Eſſays on antiſeptics, the Doſes and effects of Medicines etc. ed.* 2. *p.* 91.) hoc ne ex ſcrupulis quidem Croci quatuor ingeſtis contigit, neque enim lintea vel chartacea ſegmenta tingebantur vllo modo, prout nec induſium geſtatum; verum foeces aluinae eo inſigniter pictae apparuerunt. Vnde auctor experimenti concludit non ingredi Crocum ſanguinem, ſed absque reſorptione per primas vias euacuari.

Vapores ſpargit ſenſorio communi infeſtos, ſi in arctius ſpatium concentrantur. Periit famulus mercatoris ex ſomno intra cubile capto, in quo

 multum

multum Croci ſeruabatur, praegreſſa cephalalgia et virium proſtratione inſigni (BORELL. *Hiſt. et obſſ. cent.* 4. *obſ.* 35. *p.* 303.). Agaſo adeo ſuper duabus Croci ſarcinulis dormiens eadem nocte obiit (EX LUSIT. SCHENCK *Obſſ. med. p.* 879.). Ita coniux aromatarii in conclaui exiguo calefacto, Croci puluerem in minutas portiones diſpertiens in terram apoplectica cecidit (TRALLES *de Opio ſect.* 1. *p.* 114.). — Nimia Croci quantitas ingeſta non minus cerebro neruisque vim infert. Nam inde pallor, capitis dolor, oculorum caligo, demum inſania cum laetitiae enormis indiciis (ZACUT. LUSIT. apud FRICC. *de venen. p.* 394.). Mortem attulit foeminae condimenti loco nimium ingeſtus (ZACUT. LUSIT. *l. c.*). Characteriſtici aliquid in nocendi ſua efficacia videtur hoc, quod nimia copia riſum morboſum et indecorum excitet (SERAPIO, ZACUT. LUSIT., BOERH. *Chem. vol.* 2. *p.* 212. SCHULZ *Praelect. in Diſpenſ. Brandenb. p.* 236. vbi id infantibus ex olfactu vitri vacui, cui infuerat eſſentia Croci, contigiſſe dicitur.). Contrarius tamen hilaritati effectus ex Croco in matrona obſeruatus eſt, vt quae ex pulueribus crocatis ſemper in triſtitiam incidit (BERG. *M. m. p.* 37.).

Multa

Multa in effectu ſimilia cum vino vel opio praeſtat, parciori ſcilicet doſi exhilarat, maiori caput tentat, inebriat, neruos inſenſiles reddit, ſomnum, ſoporem, quin mortem, ciet. Et in mitigando ſtimulo ad tuſſim, in doloribus ſedandis, item in affectionibus ſpaſticis valet. Virtutem praeſtare ſuam haud ſine ſanguinis celeriori motu et caloris augmento vulgo creditur; aſt ſaltim in corpore cl. medici ALEXANDER (*Experiments cit. p.* 88. *ſqq.*) tam ſcrupulus dimidius quam integer neutrum effecit: ex ſcrupulis duobus calor modo vno gradu thermometri auctus, arteria autem ex 72 ictibus cecidit in 66, quod vero alii accidentali cauſae tribuit, quum nihil ex ſcrupulis quatuor ingeſtis in ſe mutatum inuenerit. Quantum ſentio euentus experimenti ſingularis in homine, ambiguis medicamentis maiori doſi capiendis aſſueto, non ſufficit obſeruationibus tot aliis contrariis refellendis, etſi facile dabo, aliis documentis ſuffultus, in doſi saepius formiduloſos nimium fuiſſe medicos.

Praeter neruinam virtutem alia vulgo extollitur, emmenagoga, quam et in menſtruis et lochiis et ſecundinis pellendis exercet. Ex nimia

 doſi

doſi a muliere ad prouocandos menſes capta haemorrhagia adeo vteri lethalis intra triduum ſubſequuta (RIVERII *Oper. ed.* HORSTII *p.* 136.) eſt. Inter domeſtica hoc fine vſurpatur in infuſo aquoſo vel lacteo. Magna tamen hoc nomine non perpetrat. Ad exanthemata quoque pellenda valet.

Antiſepticum autem tam efficax ſub experimentis externis deprehenditur, vt eius grana quinque magis putredinem arceant, quam grana ſexaginta ſalis communis (PRINGLE's *Diſ. of the army, App. p.* 20.). In ſerum ſanguinis minorem efficaciam, quam in carnem, hac in re exſerit (*l. c. p.* 27.). Nihilominus tamen in ipſis morbis putridae naturae hactenus non valde eminuit.

Rarius Crocus in puluere vel infuſo aquoſo vel lacteo ſolus ingeritur. De doſi non conueniunt. Adulto tamen ſcrupulus dimidius ad integrum conceditur; LINNEO auctore drachma dimidia, quam doſin perperam declaraſſe nimiam CRANZIUM (*Mat. med. et chirurg.* 1. *p.* 115.), ſerioribus obſeruationibus edocemur. Miſcetur Crocus ſaepe cum aliis fini congruis; item proſtat varietas praeparatorum ex Croco inſignis et compoſitorum, quae Crocum recipiunt.

Pro

Pro externo quoque vſu adiicitur ſacculis, cataplaſmatibus, collyriis, vnguentis, emplaſtris variis, ſcopo reſoluendi, abſceſſus maturandi, quando nimirum ſtimulus inflammationi addendus eſt, vel dolores mitigandi.

Olim odoramenti genus conſtituit Crocus, quo theatra, triclinia aliaque loca, quae et odore oblectare deberent, conſpergebantur, et vnde tincturas parabant ſub aſcenſum per fonticulos placituras. Iisdem quoque humectabant varias res obuias; Crocumque etiam in balſama odorifera recipiebant (Cfr. BECKMANN *Beytr. z. d. Erfind. vol.* 2. *p.* 82.): ſed deſiit ſenſim eſſe narium lenocinium, prout placiti per tempus ſapores, colores, formae, mores, paullo poſt neglectum ſubire, quin faſtidium parere, ſolent. — Tinctorium vſum porro pro textis variis colorandis et vernicibus memorare conuenit. — Notiſſima praeterea eius adminiſtratio in cibis eſt, coloris potius quam ſaporis cauſa, nimirum ad panes, placentas, iuſcula, carnes, embammata rel. tingenda. Prout multiplex hic eius in oeconomia vſus deſueuit, ita elangueſcere coepit culturae apud varias gentes ſtudium, et lentius per commercia ex vna regione in aliam transferri.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TINCTURA CROCI *Ph. Würt. p.* 226. Maceratione Croci cum ſpiritu vini rectificato. *Ph. Edinb. p.* 41. acquieſcit ſpiritu vini Gallico, et *noviſſima* 1783. *p.* 108. ſpiritu vini tenuiori. Hocce menſtruo et mucilaginoſae partes eruuntur; quum contra in ESSENTIA CROCI *Ph. Brandenb. p.* 88. ſpiritu vini rectificatiſſimo paretur. Primo loco dicta ad guttas triginta ſupraque datur. Virtus huius et reliquorum praeparatorum ad ſuperius propoſitas exigenda.

TINCTURA CROCI VINOSA *Ph. W. l. c.* rarioris vſus, minus calefacit. Suppar VINO CROCEO *Ph. Lond. p.* 66.

SPIRITUS CROCI *Ph. W. p.* 191. Deſtillatione paratur praeuia Croci cum menſtruo duplici, ſpiritu vini rectif. et aqua, digeſtione.

EXTRACTUM CROCI *l. c. p.* 91. Fit aquae ope. Commodus et frequens eius vſus eſt. Concentratam Croci vim continere vulgo exiſtimatur, ſed vereor, ne haud exigua eius pars per ignem fuerit diſſipata. ALSTON gr. xij extracti aſſignat pro doſi, LINNEUS gr. xv.

SYRUPUS

SYRUPUS CROCI *Ph. W. p.* 209. Blandum tenellorum anodynum.

LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI V. *Appar. med. vol.* 2. *p.* 293. Crediderunt varii e. c. FERNELIUS (*Meth. med. l.* 4. *c.* 7. *et l.* 6. *c.* 5.), corrigi Opii naturam narcoticam Croco, ſed ipſe ſimilis indolis eſt, vnde augetur potius haec Opii vis.

ELIXIRIA PROPRIETATIS. Quodlibet recipit Crocum, de quibus articulo Aloës vlterius. — Tranſeo alia interna.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM *Ph. W. p.* 69. Inter tot alia excipienda, quorum gummireſinae et terebinthina magnam partem efficiunt, Crocus quoque reperitur. Vis paregorica et reſoluens, ſed calidae naturae.

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM *Ph. W. p.* 65. Emollit eximie, doloresque lenit.

EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI *Ph. W. p.* 63. Tantillum Croci ineſt. Eximium emolliens et maturans.

ALOE.

A L O E.

LINN. *Syſt. veg. p.* 278. *Gen. pl. p.* 171.

526.

Pharm. ALOE *ſuccotrina.*
hepatica.
caballina.

Sub diuerſis hisce nominibus in officinis obtinent ſucci inſpiſſati colore, odore, ſapore, duritie, puritatis gradu, diuerſi; licet comparando ſpecies eiusdem nominis ex diuerſis pharmacopoliis petitas ſaepe diſcrepantia notabilis inter easdem conſpicua ſit. Vndenam diſcrimen hocce derivandum, nondum certe conſtitui poteſt. Alii a praeparationis diuerſo artificio illud deducunt, vt JO. BAUHINUS (*Hiſt. plant. vniuerſ. tom.* 3. *p.* 697.), SPIELMANNUS (*Mat. med. p.* 626.), alii, vt COMMELINUS (*Praelud. botan. p.* 46.), et poſt eum LINNEUS (*Mat. med.*) cum multis aliis, a tribus diuerſis ſtirpibus. Et hasce quidem hic inter vnam ſpeciem coarctauit ſcilicet

Aloën perfoliatum; floribus pedunculatis cernuis corymboſis ſubcylindricis LINN. *Spec. pl. p.* 457. cuius varietates tres in *Materia medica* notat:

a. Aloën

α. Aloën veram, foliis ſpinoſis confertis dentatis vaginantibus planis maculatis L. *Hort. Cliffort. p.* 131. cui *Aloën hepaticam* tribuit.

β. Aloën Americanam, Ananae floribus ſuaue-rubentibus PLUCK. *Almag.* 19. *t.* 240. *fig.* 4., cui *Aloën ſuccotrinam* adſcribit.

γ. Aloën guineenſem caballinam, vulgari ſimilem, totam maculatam COMMEL. *Prael. p.* 4., a qua *Aloën caballinam* deriuat.

In hocce de ſuccorum diuerſorum aloëticorum origine iudicio nimis ſequax fuit LINNEUS coniecturae COMMELINI (*Prael. bot. p.* 46.), quae nititur tantum conuenientia ſaporis et odoris recentium ſuccorum modo dictorum cum ſuccis ſiccis venalibus diuerſi iſtius nominis, vt tamen ſimul fateatur hicce, colligi poſſe ſuccum amarum etiam ex variis aliis Aloës ſpeciebus.

Et hoc quidem recentioribus obſeruationibus extra omne dubium ponitur. Ipſe exploraui complures Aloës ſpecies recentes, quarum ſuccum modo amarum, modo amaritie deſtitutum inueni (Vid. *Commentatio de ſucci Aloës amari initiis* in *Opuſc. meor. tom.* 2. *p.* 488. qua ſcri-

ptione

ptione totum hoc argumentum illuſtraui). Amariſſima mihi viſa

Aloë elongata MIHI, floribus ſpicatis tubuloſo-triquetris ſubringentibus oblique dependentibus, foliis aggregatis dentato-ſpinoſis. Deſcripta amplius in MURR. *Opuſc. l. c.* depicta in *Comment. ſoc. ſcient. Gotting. a.* 1788. *tab.* 2. Aloë n. IX. TREW in *Commerc. Nor.* 1744. *p.* 324. *tab.* 3. *fig.* 18-21. vbi modo ſpica et flores ſingulares repraeſentantur. Aloë vulgaris BLACKWELL *Herb. ed.* TREW. *Cent.* 3. *tab.* 229. Aloës commun; in REGNAULT *Botan. cum fig.* Anne haecce Aloës perfoliatae L. Varietas *vera* π. *Spec. pl. p.* 458? anne eadem, ex qua in Jamaica (BROWNE's *nat. Hiſt. of Jam. p.* 197.), item in Barbados (HUGHES's *nat. Hiſt. of Barbados, p* 145.), ſuccum vſitatum colligunt? Peregrinatores ſcientes olim coniecturam valde probabilem confirmabunt (Conf. *Opuſc. mea ſupra cit. p.* 481. *ſqq.*). Aliae ſpecies vere vſurpatae ſunt:

Aloë ſpicata THUNB. floribus ſpicatis horizontalibus campanulatis, foliis caulinis planis amplexicaulibus dentatis LINN. *Suppl. pl. p.* 205. *Syſt.*

Syſt. veg. ed. 14. *p.* 338. THUNB. *Diſſ. de Aloë* *p.* 4. 10. Haec in promontorio bonae ſpei optimum ſuccum Aloës hepaticum exhibet teſte eodem, reliquae ſpecies viliorem.

Aloë linguaeformis THUNB. floribus racemoſis erectis, corollis cylindricis, foliis linguaeformibus diſtichopatulis *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 337. In interioribus Capitis bonae ſpei a nonnullis incolis ſuccum ex hac Aloë collectum tanquam optimum et puriſſimum adhiberi, pariter cl. THUNBERG (*Diſſ. de med. African. p.* 7.) narrat.

Maximam tamen Aloës copiam, quae ex hocce Africae promontorio transfertur, parari ex Aloë perfoliata idem innuit. Varietatem huius ſpeciei non denominat, ſed in omnibus hortis botanicis obuiam pronunciat (*Phyſiogr. Sälſkapets Handl. P.* 1. *p.* 112.). Cui effato cl. SPARRMAN (*Reſa til Goda Hopps - udden, p.* 742.) eatenus aduerſus eſt, quod ad *Supplementum plant.* LINN. reſpiciat, vnde illi de Aloë ſpicata THUNB. ſermonem eſſe probabile.

Optionis igitur inter plures ſtirpes ſuccum amarum colligentibus locus eſt. Nec poteſt non

pro ſtirpium diuerſitate et integritas ſucci et efficaciae gradus varie differre. Alia ratio diſcriminis in praeparationis ſucci diſcrepante ratione continetur, vt ex inferioribus patebit.

In tractu promontorii bonae ſpei montes occupant frutices aloëferi praecipue regione quinquaginta milliaria a promontorio ipſo diſtante, vbi a cacumine ad radicem montes obtegunt, hinc ibidem plantationes ſuperfluae. Sed in inſulis Jamaica et Barbados ſollerter hae curantur. In Jamaicam ex inſulis Bermudianis translata fuit ſtirps, et ſenſim ſponte ſeſe propagat. Ad vberiorem prouentum tamen tam ibidem quam in Barbados colitur ſolo ſicciſſimo ex ſurculis adultiorum plantarum, qui immittuntur in foueas planas diſtantia ſex vel duodecim pollicum (BROWNE *l. c. p.* 198. MILLINGTON in *Lond. med. Journ. vol.* 8. *P.* 4. *p.* 422.). Requiruntur anni duo vel tres poſt plantationem antequam ſuccus iuſtam perfectionem aſſequatur, et ſeruari poſſunt plantae per duodecim annos et diutius. Folia, quae ſuccum ſuum ſuderunt, per ſolum proiiciuntur, vt ſtercoretur (MILLINGTON.).

Aloës

Aloës amarus ſuccus in vniuerſum ex foliis eruitur; nam etſi verum cognoui, quod PLINIUS (*Hiſt. nat. lib.* 27. *c.* 4. *ed.* DALECH. *p.* 1194.) notauit, caulem pariter eodem imbutum eſſe, vnde refert ſuo tempore et caulem ante maturitatem ſeminis ſucci gratia inciſum: hodie tamen foliis acquieſcunt. Non latet vero amarities in tota eorum compage, ſed in membrana corticali tantum tenaci, quae ſuperficie interiori amplis canalibus ſiue vaſis inſtruitur, quae in recenti ſegmento transuerſim facto punctulis quidem deſtinguuntur. Parallele haec vaſa per longitudinem folii decurrunt, et ex hisce reſectis limpidus tenuisque latex funditur. Remotiora illa deprehendi in ſpeciebus, quae blandioris ſucci ſunt vel amaritie omni deſtitutae. Reliqua pars media folii pulpam conſtituit albam, pellucidam, aquoſam, vel viſcoſam, inſipidam, cuius liquor aliquando in longa fila trahi poteſt. In caule pariter ſuccus iſte amarus nonniſi in ſimilibus vaſis velaminis corticalis latet.

Vt eruatur amarus ſuccus ex hisce, ſufficit folia ad baſin, vbi craſſiſſima ſunt, praeciſa vel ſitu erecto in dolia collocare, vt in inſulis qui-

dem Barbados (HUGHES *l. c.* MILLINGTON'S *Account* in *Lond. med. Journal, vol.* 8. *P.* 4. *p.* 422. *ſqq.*) et Jamaica (BROWNE *l. c.*) fit, vel ſupra grandius folium ſubſtratum, quod receptaculi vel canalis vices gerit ſitu decliui ab vtroque latere ad numerum decem, duodecim et plurium, vnum ſupra alterum ponuntur, quod in promontorio bonae ſpei conſuetum eſt (THUNBERG in *Phyſiogr. Sälſk. Handl. l. c.* et SPARRMANN *l. c.*). Vnde ſponte exundat ſuccus amarus viridi luteus. Quanta vbertate vero profluat ſuccus iſte, inde apparet, quod aliquando intra ſex vel ſeptem horas librae triginta ſex ciuiles ſucci colligi poſſunt foliis perpendiculari ſitu collocatis (MILLINGTON). Solent tamen, vt quicquid ſucci amari ſuperſtes eſt proliciatur, ad finem, antequam folia reiiciantur, folia eadem per manus tranſigere. Alii laboris compendium in eo quaeſ runt, quod folia in fruſta ſecta in dolium reponant, vt liquidum effluat, ſubiuncta demum preſſione per manus (BROWNE *l. c. p.* 198.). Non vberiorem autem prouentum ſucci ex conciſis foliis fieri, noſcunt ruſtici Africani. Etenim ex foliis modo ad baſin praeciſis ſuccus primus exſtillans alium nouum riuum poſt ſe trahit.

Succo

Succo horum alterutro modorum prolicito, proximum eſt, vt condenſetur. Optima ratio haec eſt, quod intra vaſa lignea plana nec alta caloris ope ad iuſtam craſſitiem exhalet, vnde et haec Aloës ſpecies in Jamaica, vbi quoque paratur, ſummo in pretio habetur. Sed quoniam lente ſuccedit res (Conf. MILLINGTON *l. c.*), pro vulgari Aloë ibidem affuſa aqua in aheno commodo illum coquendo inſpiſſant. In promontorio bonae ſpei ſuccum elicitum absque aquae additamento coctione denſant. Inſpiſſatio continuatur, donec guttula laminae inſtillata ſolideſcat, vel non amplius deſtillet e bacillo, ſed filum inde enatum frigefactum frangatur. Solet in Jamaica ſuccus ſpiſſior primum peculiari vaſe refrigeſcere, dein cucurbitis vel exiguis doliis indi, vt pro vſu ſeruetur. Quidam in Barbados, dum ebullitio nimia eſt, addunt ſub coctione pauxillum aquae calcis (MILLINGTON *l. c.*). Sub coctione ſaltim Capenſes ſordes in ſuperficie haerentes deſpumant, ſed colatione non vtuntur.

Aſt commemoranda et alia encheireſis, a dictis diuerſa, ſed a cl. WRIGHT (*Account of the medicinal Plants growing in Jamaica* in *Lond. med.*

med. Journ. 1787. *vol.* 8. *P.* 3. *p.* 217.) deſcripta, quae, quum de ea nihil attulerit cl. BROWNE, videtur ſeriori tempore tantum recepta, ſcilicet folia in fruſtula diſſecta immittuntur exiguis corbibus vel retibus, quae demerguntur amplis ahenis ferreis aqua repletis, coctione per decem minuta pr. temporis facta eximuntur, et noua portio ſuggeritur, donec liquor ſaturatus et niger euaſerit. Colatur tum, et, foeculentum poſtquam ſubſederit in vaſe verſus fundum ſeſe anguſtante, pluries liquor per epiſtomium laterale (Hahn, Tapp.) detrahitur, et iterum coquitur ſub continua agitatione. Denique ad conſiſtentiam mellis redactus cucurbitis inditur, in quibus temporis mora indureſcit. Ex tribus partibus ſucci fluidi vna ſolidi remanet. Hunc Jamaicenſes in maſſis pintam vnam ad viginti ponderoſis, Capenſes autem ponderoſioribus, plerumque trecentarum, quadringentarum vel quingentarum librarum, vendunt. Fraudulenti homines ponderis augendi cauſa aliena ſubinde Aloi admiſcent, quam fraudem DIOSCORIDES iam reprehendit, Gummi vel Acaciae miſcelam ſpeciatim denotans, prout in Belgio ſubinde Liquiritiae ſuccus additur (FERBER *n. Beyträge zur Mineral-*

nsralgeſchichte, vol. 1. *p.* 366.). Deflectere inde non poteſt non Aloë a vera ſua natura et virtute. Sed non minor hisce momentis diuerſitas exſurgit ex multiplici iſta in ſucco praeparando varietate, quam deſcripſi, etiamſi ceteroquin planta eadem ſit. Alia igitur eſt natura Aloës ſponte exundantis; alia vi ex foliis diſſectis et conquaſſatis erutae; alia ſi inſpiſſationem praecedit colatura; alia ſi haec negligitur; alia ſi ſuccus ſole denſatur; alia rurſus, ſi id fit coctione, quae quo fortiori igne perficitur, tanto facilius empyreuma contrahit, diſpendium odorarum partium patitur, et tanto profundiori colore tingitur; alia, ſi ſordes coctione aſcendentes auferuntur; alia ſi absque deſpumatione ſpiſſatur.

An inde diſcrimen dependet totum trium iſtarum diuerſitatum ſucci aloëtici amari, quas in fronte indicaui, et eodem quidem ordine, quo de praeſtantia iudicium fertur, diſcuti hactenus nequit. Quis horum nominum auctor fuerit primus, non conſtat. HIPPOCRATES et THEOPHRASTUS ERESIUS Aloës plane non mentionem iniiciunt. CELSUS (ed. KRAUS. *p.* 84.) crebro eius meminit, omnibus catharticis eam miſceri iubens,

ſed absque vllis epithetis. DIOSCORIDES (*Mat. med. lib.* 3. *cap.* 25.) duplicem Aloën ſignificat. Subtiliores fuere Arabes, qui a patria ſibi nota nominatim variis Aſiae regionibus ſpecies effinxerunt, quos inter AVICENNA (*Oper. ed. Venet. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 66. *p.* 105. *b.*) ſuccotrinam tanquam meliorem conſtituit; reticens vero cetera vulgaria nomina. Vndenam JO. BAUHINUS (*Hiſt. plant. tom.* 3. *p.* 697.) narrationem deduxerit, quod latex ex foliis elicitus ſua ſponte in tria liquida diuerſae indolis ſtrata totidem formantia ſeſe disiungeret, quorum ſuperius concha hauſtum exſiccatum Aloën ſuccotrinam conſtitueret, alterum in medio conſiſtens Al. hepaticam, infimum ſiue foeces Al. caballinam, decerni nequit. Quod ſi vere eſſet, ratio probabilis nominis huius ternarii exiſteret. Sed nec noſtro tempore conſtantem ſignificatum hisce nominibus tribui ſupra iam conqueſtus ſum. Deſcriptiones tamen ſubiungendae ſunt ſingularum ſpecierum ſucci Aloës auctoritate viri in eiusmodi rebus alias grauis (LEWIS *Mat. med. p.* 31.):

1. *Aloë ſuccotrina*, quae iudicatur optima, inſtruitur colore flauido-rubro, in purpureum inclinante, ſed, poſtquam in puluerem redacta fuerit,

fuerit, aureo, ſuperficie ſplendente, friabilis eſt, et ſaporem cum amaritie aromaticum, odorem vero inſtar Myrrhae fere prae ſe fert, item nonnihil pellucida eſt. Haec ſpecies olim quidem ex Zocotra, Zoccotera vel Socotora, inſula oceani orientalis translata fuit; hinc quidam Al. Socotrinam vel Zocotrinam ſcribi malunt: hodie vero nomen praeſtantiam primariam indicat, prout nomina adhuc hodie vulgaria Opii Thebaici, Terebinthinae Venetae, Croci orientalis rel. memoriam modo patriae, vnde olim petita erat optima ſpecies, conſeruant. Nam cl. BROWNE teſte (*l. c. p.* 198.), praeſtantiſſima, quae in Jamaica emergit Aloë, hocce nomine inſignitur. Characteres iidem probitatis, quos modo recenſui, competunt iſti ſucco, quem ipſe ex foliis Aloës elongatae mihi comparaui, et cum quo varia experimenta feci (Vid. *Opuſc. l. c. p.* 497.).

2. *Aloë hepatica* diſtinguitur colore profundiori, ſuperficie non tam ſplendente, compage firmiori nec ita transparente, amaritie magis nauſeoſa et odore fortiori magisque ingrato.

3. *Aloë caballina*, quae vilior reliquis declaratur, nec in omnibus officinis obuia, demum dignoſci innuit foetore ingratiſſimo; adiiciunt alii,

Q 5 vt

vt et ipſe in ſpecimine iam ante oculos verſante deprehendo, colorem longe obſcuriorem fere nigrum et manifeſta ſordium et ſabuli indicia, vnde et compactior et ponderoſior apparet. — Sed omnino plura diſcrimina in ſpeciminibus occurrunt, ita vt ternarius iſte numerus iuſtis limitibus ponendis non ſufficiat.

Quantum ſcio, hodie plurimum Aloës ex Capite bonae ſpei, vbi commercium cum eadem ſocietati mercatoriae Indico - belgicae ſeruatum eſt, item ex inſulis Jamaica et Barbados, nominatim proxime dicta, in Europam transfertur.

Conſtat Aloë tam ex diſſolubilibus partibus, ſcilicet reſina et gummi, quam ex terra, ſolutionem omnem reſpuente. Proportio harum variat valdopere in diuerſis ſucci ſpeciebus: et connubium gummi cum reſina tam arctum eſt, vt menſtruo tam aquoſo reſina, quam ſpirituoſo gummi, ad partem ſoluatur. NEUMANNUS (*Chem. vol.* 2. *P.* 1. *p.* 64.) ex Aloës (ſpeciem non determinat) vnciis ſedecim eruit extracti reſinoſi pr. vncias fere quindecim h. e. $\frac{15}{16}$; ſed ex totidem vnciis Aloës, extracti aquoſi pr. vncias tredecim cum dimidia h. e. fere $\frac{7}{8}$; vnde colligitur

tur paullo plus reſinae quam gummi Aloi ineſſe. Reſinam puram vero ea proportione ſingulis ſpeciebus ineſſe edocet cl. LEWIS (*M. m. p.* 33.), vt Aloë hepatica contineat eius fere $\frac{1}{3}$, Aloë ſuccotrina $\frac{1}{4}$, et caballina $\frac{1}{6}$. Aloë hepatica igitur plus reſinae et minus gummi quam reliquae ſpecies continet. Reſina inſipida et inodora fere eſt. Sapor autem odorque manifeſtius longe remanet in extractis gummoſis, licet haec ipſa gratia multum antiſtent Aloi crudae, quae valde amarum et nauſeoſum ſaporem longae durationis habet et odorem fortem. In hominum vſum ſubſiſtimus A. ſuccotrina vel hepatica; pecoribus caballina dicatur.

Aloë aluum purgat omnium conſenſu. Idque non ſolum contingit eadem per os ingeſta, ſed et extrinſecus applicata. In carie hoc ſaepe obſeruatur ex tinctura Aloës adhibita, quae reſorptione deiectiones alui continuas excitat (MONRO's *Works, p.* 306. Conf. *l. c. p.* 297.). Ita pilula ex Aloë parata et fonticulo ſtimuli cauſa immiſſa aluum mouit tantopere, vt auferre ideo eam opus fuerit (*Mem. de la Soc. R. de Medec. à Paris, vol.* 2. *p.* 162.). Eiusmodi exempla paſ-

ſim

ſim alia leguntur de vſu improuido Aloës chirurgico. Et haec quidem purgandi vis gummoſae Aloës parti praeprimis debetur. Etenim reſina quocunque modo ſumta vix deiectiones efficit; hinc extractum Aloës aquoſum ipſam Aloën vi cathartica ſuperat; hinc Aloë ſuccotrina, quae plus gummi comprehendit, efficacius purgat, quam hepatica. Tardus vero hic effectus eſt, quin aliquando vix niſi 24 horarum ſpatio ſeſe exſerit (FALLOP. *de med. purg. Oper. vol.* 1. *p.* 121.), et ſuccedit ille aliquando etiam ex valde exigua, vnius vel duorum granorum doſi. Ad deiectiones liquidas amplior ſcrupuli adeo requiritur, quae vero nonniſi torminibus comitibus ſequi ſolent. Aloën pulcherrimum et innoxium purgans pronunciat BOERHAAVE (*Chem. vol.* 2. *p.* 245.). Nocet vero ob calidam naturam plethoricis, biliofis, grauidis, et ad haemorrhagias pronis.

Quid in ciendis profluuiis ſanguineis valeat, elucet eius in haemorrhoidibus et menſtruis pellendis inſigni poteſtate. Quod ad haemorrhoides attinet, adeo haecce certa eſt, vt ex centum hominibus, qui Aloë ad aluum ſollicitandum fre-

quenter

quenter vſi ſunt, nonaginta computauerit FALLOPIUS (*l. c. p.* 122.), hocce fluxu correptos. Diſplicet igitur mihi valde medicorum quorundam mos, qui aliis purgantibus in chronicis malis vel obſtructione alui habituali, tam ſaepe Aloën, forſitan commoditate, qua forma guttarum vel pilularum praebetur, allecti, ſubſtituunt, vel haemorrhoidum beneficio putato decepti in iisdem excitandis intempeſtiue absque nutu naturae laborant. Morbum igitur ſuſcitant nouum, qui ipſe plurimum ſollertiae requirit, et molimine naturae multiplici, quae eruptionem plerumque praecedit, homines haud parum grauat. Nolo quidem polypoſum iſtud concrementum inteſtini recti, quod pertinaciſſimam alui obſtructionem generauit, Aloi imputare, ſed potius haemorrhoidibus conſuetis non ſuccedentibus (V. BLOCH *med. Bemerk. p.* 124. *ſqq.*). Attamen niſi haemorrhoides ſuſcitatae primum per Aloën fuiſſent, emanſio harum labem hancce ciere non potuiſſet. Inſignis autem commodi eſt, in quibus, fluxui huic alias aſſuetis, hic morboſe iam torpet.

Saepe commode a foeminis Aloë capitur, dum fluxus menſtruus ſolito tempore non incidit, vel

vel iuſto parcius, iis ſcilicet diebus, quibus eruptio alias fieri ſolet; ſed tanto minus opportuna eſt in foeminis, quibus ille ingraueſcente aetate ceſſat, quo in limite ad purgantia confugi ſolet, nec iis excluſis, quae Aloën recipiunt, inde enim haemorrhoides, ſtranguria, haemorrhagia vteri, dolores renum moleſtiſſimi aliaque mala ſubſequuta (FOTHERGILL in *med. Obſ. and Inquir. vol.* 5. *p.* 173. *ſqq.*).

Sunt, qui huic amaro, vt aliis, vermes inteſtinales necandi potiorem aliquam vim tribuunt. Ita ad tuendas naues contra vermes marinos vtiliter variis maſſis Aloë admiſcetur, quibus obliniunt ſuperficiem nauigii, cui fini ob reſinoſam naturam tanto commodior eſt (BROWNE'S *nat. Hiſt. of Jam. p.* 198.). Sed non excellit virtute anthelmintica apud homines: nam in ſolutione A. ſuccotrinae amariſſima lumbrici licet initio attoniti iacerent, per viginti horas tamen viui manſerunt, et quum poſtea transferrentur in terram humidam, cui additus fuerat puluis Aloës, ibi per multos dies viuere perrexerant. Quum iteraretur idem experimentum cum quatuor aliis lumbricis, nonniſi quarto die exſtincti ſunt (REDI *de animalc. viuis in anim. viuis, p.* 156. *ſqq.*).

Rariſ-

Rariſſime Aloë cruda vſurpatur interne ob nauſeoſam amaritiem, quae, vtut tenaciter linguae inhaeret, aceti tamen pauxillo admoto facile tollitur. Doſin FALLOPIUS (*l. c. p.* 122.), qui ſtudioſius de Aloë egit, aſſignat a drachma vna ad duas purgandi ſcopo. Sufficere drachmam dimidiam, ALSTON (*Lectures on the M. m. vol.* 2. *p.* 427.) indicat; ſed minorem quoque in hunc ſcopum valere, ſupra innui.

Extrinſecus ad vlcera et fiſtulas purgandas, item ad cariem ſiſtendam, Aloë ſolet a chirurgis vſurpari ob antiputredinoſam ſuam et balſamicam naturam, forma praecipue tincturae: aſt reſorptionem ſaepe alui profluuia ciëre, etiam iam monui.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Vix plura ab vllo alio medicamine praeparata et compoſita in medium prodierunt, quam ab Aloë, quorum praecipua modo hic recenſenda ſunt, ad quae in vniuerſum Aloë ſuccotrina, tanquam optima, ſumenda eſt. Plurium fama ſenſim obſoleuit. In praeparatione id praecipue pro ſcopo fuit, vt reſinoſa pars, tanquam ea, quae calida ſua et pellente natura plurimum incommodi pare-

ret,

ret, ſepararetur, vel infringeretur. Vitio praeparationis autem ſaepe factum eſt, vt fine ſuo exciderint.

ALOE DEPURATA ſ. LOTA *Ph. W. p. 3.* Fit ſolutione Aloës in aqua calida et ſucco Citri, mora foeces cum reſinoſis partibus bene multis fundum petunt, quibus factis clarum defunditur, colatur et inſpiſſatur. Baſis eſt multarum pilularum purgantium nominatim Stahlianarum, Beccherianarum aliarumque. Grana octo ad quindecim pro aluo ſoluenda exhiberi poſſunt.

ALOE INSUCCATA *l. c. p. 3.* Loco aquae iuſto prolixius ſucci variarum ſtirpium pro menſtruo Aloës electi ſunt. Superflua.

ALOE ROSATA ET VIOLATA *l. c.* Iudicium prius hic repeto.

EXTRACTUM ALOES GUMMOSUM *l. c. p.* 89. Soluta Aloë ope digeſtionis calidae in aqua poſt foecum ſeparationem in extracti ſpiſſitudinem leni igne denſatur. In foecibus remanet plurimum reſinae. Si coctio loco digeſtionis adhibetur (vt in GUMMI ALOES *Ph. Lond. p.* 29.), abripitur ſimul multum reſinae. Praeſtat ſolutionem frigide facere, vt tanto melius a reſina liberetur. Ex vulgatiſſimis

aloëticis

aloëticis eſt, minus longe calidum, quam Aloë cruda, quae et ingratior longe. Blande purgat ad ſcrupulum vnum ſupraque vsque datum, etſi grana pauca aeque bene laxant (SCHULZ *Praelect. in Ph. Brand. p.* 262.).

TINCTURA ALOES *Ph. W. p.* 222. Digeſtione Aloës in ſpiritu vini rectificato. Cautionem ſub vſu externo neceſſariam iam commemoraui. Vix interne vſu venit.

TINCTURA SACRA *Ph. Ed. p.* 46. *Ph. Lond. p.* 67. Aroma additur Aloi in menſtruo vinoſo.

ELIXIRIA PROPRIETATIS. Magna varietas, quam piget enucleare, de qua vide e. c. *Ph. W. p.* 55. Omnia autem Aloën, Myrrham, Crocum, recipiunt. Sufficere poterunt tria pro menſtruo diuerſo varia, niſi vel haec nimia ſint: ELIXIR PROPR. CUM ACIDO BOERH. *l. c. p.* 55. (cum acido); ELIXIR PROPR. SINE ACIDO BOERH. *p.* 56. (c. ſale medio); ELIXIR PROPR. SINE ACIDO ſ. DULCE *p.* 57. (cum alcali). Fauſto omine laus et vſus horum decreuit noſtro tempore, qui olim in chronicis morbis multis fuit nimia, ſicut in obſtructionibus viſcerum, putredine humorum,

ventriculi debilitate, rel. — VINUM ALOETICUM *Ph. Lond. p.* 65. ſuppar remedium; item ELIXIR APERITIVUM CLAUDERI *Ph. W. p.* 52.

PILULAE ALOËPHANGINAE; DE AMMONIACO; ANGELICAE; APERIENTES STAHLII; CACHECTICAE; EMANUELIS; HIERAE; MASTICHINAE; DE SUCCINO CRATONIS; TARTAREAE rel. quarum omnium formulas *Pharmacopoea Würt.* praeſtat.

PILULAE POLYCHRESTAE BALSAMICAE *Ph. W. p.* 140. Multae in pharmacopoeis exſtant pilulae polychreſtae, quae vel pro pilulis BECCHERI huius nominis iactantur, vel ad imitationem earum compoſitae ſunt. Vera BECCHERI, medici Germanici, qui pilulas ſuas in *Pſychoſophia* commendat, compoſitio nos latet. In *Ph. Brand. p.* 135. exſtat formula, quae dicitur communicata cum nonnullis ab auctore. Haec differt in quibusdam a formula *Ph. W. cit.* Sed eo conueniunt omnes, quod Aloë cum gummi-reſinis et extractis amaris iuncta. Hinc ſoluunt alvum et ſimul obſtructiones viſcerum reſerant. Inprimis inclaruerunt in menſtruis et lochiis pellendis, a ſcrupulo dimidio ad integrum iuſto tempore datae. — PILULIS POLYCHRESTIS STAHLIA-

NIS

NIS ſuppares cenſentur. — Non multum differunt PILULAE ECPHRACTICAE TIMMERMANNI, quae et in officinis pharm. Goettingae praeſto ſunt. — PILULAE BALSAMICAE JO. JUNCKERI, pariter inclytae, carent Aloë, quarum formulam publici iuris nuper fecit nepos cl. J. CHR. WILH. JUNCKER (*Allgem. Heilkunde vol.* I. *p.* 37.).

SPEC. HIERAE PICRAE *Ph. W.*

SUPPOSITORIUM COMPOSITUM *Ph. W. p.* 202. recipit Aloën in Speciebus Hierae picrae additis.

EXTRACTUM CATHOLICUM, PANCHYMAGOGUM CROLLII *Ph. W.*

UNGUENTUM ARTHANITAE *Ph. W.*

CONVALLARIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 275. *Gen. pl. p.* 169.

527.

Pharm. LILII CONVALLII *Flores; Baccae.*

CONVALLARIA MAIALIS; ſcapo nudo LINN. *Spec. pl. p.* 451. Lilium conuallium album C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* Le Muguet. Planta Europaea, perennis in nemoribus et ſyluis montoſis primo vere florens.

Flores. Odor recentium fragrans, iucundus, reficiens quidem, ſi libero aëre flores naribus ſubiiciuntur, collecti vero intra conclaue clauſum praecipue per noctem grauitatem capitis, temulentiam, cephalalgiam, pariunt. Eiusmodi exemplum de medico narrat SENKENBERG (*Diſſ. de Lilio Conuall. p.* 11.). Odor hicce flacceſcentibus floribus ſenſim diminuitur, ſiccatione omnino perit. Amarities omnibus plantae partibus ineſt, quae tamen in recentibus floribus minima. Deſtillatione odorum iſtud florum recentium aqua, vino, item ſpiritu vini, excipi ſe ſinit; vnde haec liquida, dum ſeruent odorem, analeptica efficacia non deſtituuntur. Sed valde fugax volatile

latile hocce eſt. Oleo aethereo flores inſtrui, negant quam plurimi (e. c. LEWIS *M. m. p.* 356.): ſed idem contigit Roſis ac hisce, quod exigua modo quantitate inſit, igitur nonniſi ex ingente florum copia eruendum (CARTHEUS. *M. m. vol.* 2. *p.* 508.). Odoris partibus diſperſis, remanent acres et amarae. Hinc puluere florum naribus attracto ſternutatio ſubſequitur. Eundem effectum ex radice et baccis quoque exſurgere notatum. Extractum ex floribus paratum et a ſcrupulo ad drachmam dimidiam captum aluum notabiliter mouet (MOSSDORF *Diſſ. de Lil. conv. praeſ.* J. H. SCHULZE *p.* 22. in qua ſcriptione in extracta Lilii Conv. varii generis ſollerter inquiſitum eſt.). Siccati quoque flores conducunt extus applicati in epithematibus vel ſacculis ad diſſipandas ſugillationes et contuſiones (MOSSDORF *l. c. p.* 23.).

BACCAE rarius adhuc vſu hodie veniunt, quam flores eiusque praeparata; ſed non carent virtute medica ab antiquioribus quibusdam medicis, vt CARRICHTERO, POPPIO, JAC. THEODORO memorata et a SENCKENBERGIO (*Diſſ. de Lilii Convallii eiusque inprimis baccae viribus, Gottingae* 1737.).

Pulpa hisce ſubdulcis et aliquantum amara eſt, ſemina intus latentia maiorem amaritem habent. Depraedicantur in epilepſia idiopathica, ſtato tempore et nonnunquam ex ordine phaſium lunae recurrente, dum, praemiſſo purgante, pulueris baccarum ſcrupulus vnus ad drachmam vnam cum aqua Lil. Conv. vinoſa vel ſimplici datur (SENCKENBERGII, pater et filius (*l. c.* *p.* 29.). In intermittentibus febribus quoque valere viſae ſunt, praeparantibus ſcilicet praemiſſis drachma pulueris harum dimidia pro doſi exhibita (*l. c.* *p.* 32.). Qui detrectant vti puluere, hisce conſerua ſuadetur aliique praeparationis modi (*l. c.* *p.* 35.). Nolo vero alios morbos, quorum curatio coniectura ſaltim nititur, ex fonte nuper memorato transſcribere.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQUA LILII CONV. SIMPLEX *Ph. W. p.* 7.

AQUA LILII CONV. VINOSA *Ph. W. p.* 19. Vtraque odorem florum ſecum vehit, et in viribus collapſis erigendis olim celebrata impenſius, vinoſa praecipue (Conf. MOSSDORF *Diſſ. cit. p.* 26.). Quod flores Lil. Conv. in variis AQUIS APOPLECTICIS item ANTEPILEPTICIS officinarum Germani-

manicarum compareant, iudicium ſaltim priſtinum de virtutibus in memoriam reuocat.

SPIRITUS LILII CONV. *Ph. W. p.* 192. Deſtillatione repetita florum cum vino et ſpiritu vini rectif. fit. Exoleuit, qui olim ab HOFFMANNO (*Clav. pharm.* SCHRÖD. *L.* 4. *ſect.* 1. §. 103.), WEDELIO (*Comp. chem. p.* 49.) aliisque magna in exiſtimatione habitus fuit.

CONSERVA et OLEUM INFUSUM deſueuerunt.

528.

Pharm. SIGILLI SALOMONIS *Radix.*

Conuallaria Polygonatum; foliis alternis amplexicaulibus, caule ancipiti, pedunculis axillaribus ſubunifloris LINN. *Spec. pl. p.* 451. Polygonatum floribus ex ſingularibus pedunculis C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 377. REGNAULT *Botan.* Le Sceau de Salomon. Pl. Europaea, perennis, in rupium fiſſuris obuia.

HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1243.) transfert Radicem ad *Conuallariam multifloram* LINN.

RADIX truncum horizontalem format cylindricum, craſſitie apicis digiti minimi, ex quo vndique fibrae filiformes remotae inter ſeſe prodeunt. Color eius albidus. Sapor dulcis, ſubacris, amaricans, viſcoſus.

Pani ſub annonae charitate inſeruire poteſt (LINN. *Fl. Suec. p.* 110.). Mucilago exinde eruitur infuſione vel decoctione. Ad cataplaſmata emollientia igitur non male conducit. Ceterum inter tot alia efficaciora obliuioni fere tradita.

ORDO

ORDO XLVII.

E N S A T A E.

I R I S.

LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 88. *Gen. pl. p.* 27.

529.

Pharm. IREOS, vel IRIDIS (quod praeſtat), FLORENTINAE *Radix.*

Iris Florentina; corollis barbatis, caule foliis altiore ſubbifloro, floribus ſeſſilibus LINN. *Spec. pl. p.* 55. Iris alba florentina C. B. Icon: MILL. *Fig. of plants, tab.* 154. REGNAULT *Botan.* l'Iris de Florence. Pl. perennis, in Italia creſcens.

Apud DIOSCORIDEM (*M. m. lib.* I. *cap.* I.) Ἶρις quoque occurrit; an vero eius *ἰλλυρικη*, praeciſe Florentina ſit, non dixerim. Variorum colorum floris meminit, ſed hi non ſufficiunt ad ſpecies diſcernendas.

Colitur radicis cauſa in Florentia absque multa opera in muris, ſepibus ex humo, et ad

oras camporum, vbi aliae ſtirpes non ſuccedunt. Radices, quae m. Auguſto et Septembri terrae mandantur, poſt trium annorum ſpatium modo in vſum effodiuntur. Depurandi et decorticandi illas officium foeminis mandatum eſt. Ad cuticulam auferendam culter peculiaris adhibetur, qua ablata ſuper ſtrato ex arundine texto ſolis vi ſiccantur (*Opuſcoli intereſſanti l'agricoltura*, p. 39. *ſqq.*).

RADIX ex Italia pro noſtris officinis petitur ſicca. Haec repraeſentat fruſta compacta, ponderoſa, alba, compreſſa, lata vel oblonga, variae magnitudinis, et ſuperficiei ex ſeparata epidermide et ex ſtigmatibus fibrillarum reſectarum inaequalis. Quidam, tanquam vulgare eſſet, indicant, colorem media parte eſſe obſcuriorem, quod tamen in meis exemplis non inueni. Odor eius violaceus, ſapor amaricans et ſubacris, diutius ore remanens. Facile reducitur in puluerem farinaceum albidum. Breui et a vermibus conſumitur, niſi loco bene tecto ſeruetur.

Deſtillatione aqua tranſiens ſecum abripit omne odorum; id quod remanet praebet extractum amarum et leuiter acre. Oleum aethereum apparuiſſe, a quibusdam negatur (a NEUMANNO in

Chym.

Chym. vol. 2. *P.* 3. *p.* 188. et LEWIS *M. m. p.* 327.). Sed reſtringi poteſt effatum ad valde exiguam quantitatem (KORTUM *Diſſ. de vera indole et virtute radicis Irid. Florent. praeſ.* SCHULZE *Halae*, 1739. CARTHEUS. *M. m. vol.* 2. *p.* 75.). Extractum aquoſum pr. $\frac{3}{8}$ circiter conſtituit radicis et extractum ſpirituoſum pr. $\frac{1}{8}$ (NEUM. *l. c. p.* 187.), vt tamen memor ſis connubium gummi et reſinae eſſe tam arctum, vt vtriusque pars ſemper ſimul abſorbeatur. Tinctura ſpirituoſa et extractum quoque ſpiritu vini factum longe acrius eſt, quam ea, quae extractione cum aqua reſultant. Tinctura ſcilicet ſpirituoſa piperis inſtar linguam et fauces adurit (CARTHEUS. *l. c.*), item extractum ipſum.

Vtique igitur acre ineſt huic radici, ſed reſinae irretitum. Verum longe acrior eſt recens, nauſeam pariens, purgans cum vehementia. Hinc acquieſcunt hodie radice ſicca, mitiori. Praedita eſt haecce eximia vi attenuandi et incidendi, quae ſeſe exſerit in pituitae vitioſa in pulmonibus accumulatione, vnde dyſpnoea, aſthma, tuſſis. Ad ſcreatus in hisce morbis mouendos ideo in pulueres linctusque cum aliis commodis recipitur. Adſunt et fiduciae documenta in praeparatis mox ſubiiciendis.

dis. Nec minus egregie in flatibus diſſipandis valet, praecipue apud infantes tenellos, qui tormina ex hac cauſa facile concipiunt, quo fine iis aliquot grana pulueris praebentur. Concinne ideo in purgante iſto tenellorum egregio, Electuario de Manna, occurrit. Pro doſi adulto ſcrupulus vnus et ſupra conceditur.

Puluis naribus exceptus muci ſecretionem auget, easdemque aliquando ad ſternutationem vsque vellicat. Idem effectus redundat, ſi ore tenetur in ſaliuae commeatu augendo; vt igitur in affectionibus variis oris ſpem aliquam faciat. Ad cariem oſſium coërcendam aliquando inſpergitur, item ſacculis diſcutiendi ſcopo in tumoribus inflammatoriis, eryſipelatoſis, oedematoſis, inditur. Pulueribus et electuariis dentifriciis addi ſolet, tam odoris cauſa, quam ad dentium ſordes abſtergendas.

Ob gratum odorem etiam additur variis rebus, quas luxus potius, quam neceſſitas, in vſum deduxit, vt pulueri cyprio capillis inſpergi ſolito, globulis ſaponaceis, liquoribus quibusdam odoratu commendabilibus, puluinis odoris, ſpeciebus linteo loto interſerendis, pulueribus coſmeticis rel.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SPECIES DIAIREOS SIMPLICES *Ph. W. p.* 178. Additur ſpeciebus diatragacanthae radix haecce cum ſaccharo. Pituita aſperam arteriam et pulmones grauante praecipiuntur. Conf. *Appar. med. vol.* 2. *p.* 382.

BACILLI DE LIQUIRITIA; TROCHISCI BECCHICI. Cfr. *Appar. med. vol.* 2. *p.* 378.

AQUA ASTHMATICA; ELIXIR PECTORALE WEDELII; GLOBULI MOSCHATI ALBI; PULVIS COSMETICUS AD MANUS; PULVIS DENTIFRICIUS; PULVERES STERNUTATORII varii. Haec et multa alia compoſita pharmacopoliorum in Germania, inter reliquam farraginem, radicem Iridis Flor. comprehendunt.

530.

Pharm. IRIDIS NOSTRATIS *Radix.*

Iris Germanica; corollis barbatis, caule foliis altiori multifloro, floribus inferioribus pedunculatis LINN. *Spec. pl. p.* 55. Iris vulgaris Germanica ſ. ſylueſtris C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* l'Iris ou la Flambe. Pl. perennis, ſponte in rupeſtribus, montanis, ad ſepes Germaniae,

e. c.

e. c. in Sileſia (MATTUSCHKA), Auſtria (JACQUIN), Carniola (SCOPOLI), item Galliae, nominatim circa Monſpelium et alibi in inferiori Languedocia creſcens. Ob elegantiam florum autem, qui vulgo coerulei ſunt, in hortorum areis creberrime hoſpitatur.

RADIX recens horizontalis eſt, cylindrica, ſubarticulata articulis oblongis, carnoſa, extus ſubcinerea, interne albida, fibris infra pluribus. Sicca, quae in officinis ſeruatur, transuerſim conciſa deprehenditur, ſed relicta cuticula pallide bruna; haec odorem pariter violaceum edit. Dum autem recens eſt, odore ingrato et ſapore acri, nauſeoſo, inſtruitur. Aluum tum mouet vehementer. Qua via vt euacuetur aqua in hydrope collecta, ſuccus aptiſſimus viſus eſt; ſed et ſimul in renes vis remedii vertitur. Crebro PLATERO mox ſimpliciori forma, mox magis compoſita, in vſu fuit: ſimplicius ſic, vt ſucci vncias duas addito melle propinaret, qua miſcela aeger et ſaepius minxit et deiecit, repetitione autem bis vel ter facta venter pedesque detumuerunt et aeger ſanatus fuit (*Obſeruat. p.* 634.). Aliquando adiuncta fuere alia purgantia, Manna, ſyrupus Roſarum ſolu-

ſolutiuus cum Rheo, vel ſyrupus ex ſucco Iridis et infuſo Rhei paratus; vel macerata cum aliis partim draſticis, vnde vis incerta euaſit (Vid. e. c. *loc. cit. p.* 644. 645.). Ruſticus quinquagenarius, ex febre tertiana hydrope vniuerſali affectus, vnciis huius ſucci tribus cum Mannae vncia vna et dimidia ter intra ſeptem dies captis per aluum et lotium illuuiem aquoſam excreuit ventre detumeſcente (RIVERIUS in *Obſerv. cent.* 4. *n.* 82. *Oper. p.* 649.). In muliere hydropica vel vnicum cochlear ſucci largas alui deiectiones aquoſas per ſeſquialterum diem durantes effecit cum inſigni morbi lenimine; ſic et alii foeminae res ſucceſſit, doſi etſi non determinata (*Miſcell. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 8. *p.* 160.). Succum hunc validiſſime aquas mouere hydropicorum, non tamen ſanguinem ſimul, vt RUFFUS voluit, etiam expertus eſt LISTERUS (*Exercit. med. cap.* 1. *de hydrope p.* 56.), qui non dubitauit eius vncias tres vel quatuor praebere. Leguntur quoque efficaciae ſimilis ſucci huius exempla in Actis medicorum Berolinenſium (*Dec.* 1. *vol.* 10. *p.* 56. *p.* 63. *Dec.* 2. *vol.* 1. *p.* 97.), quorum vnum ad hydropem ſaccatum, qui diſparuit poſt vſum omnino, ſpectare videtur. WERLHOFIO (*de febr. p.* 60.) placuit vti ſucco,

ex

ex radicis Iridis noſtratis recentis vnciis quatuor raſis et aquae Foeniculi vnciis duabus maceratis, expreſſo cum pauco ſaccharo. Frangi optime vehementiam ſucci cremore tartari vel lapide Prunellae exiſtimat CHOMEL (*Plantes uſuelles*, *tom*. 1. *p*. 25.), hinc alterutrius vnciam dimidiam ſoluit in aquae ebullientis vnciis ſex additis ſucci Iridis depurati vnciis duabus. Sed cautionem, quam alibi iam (*Appar. medic. vol.* 4. *p*. 18. 23. *vol*. 5. *p*. 100.) ſub draſticorum in hydrope adminiſtratione iniunxi, nominatim in hocce ſucco exhibendo non eſſe ſuperfluam, cll. BAADER et QUARIN (*Animaduerſ. pract. p*. 185.) obſeruatione confirmamur. Queritur hic enim proprio et iſtius nomine, ardorem doloremque oeſophagi, ventriculi et inteſtinorum, ſubſequutum, tum tormina vomitum et frequentem deſidendi conatum absque notabili euacuatione alui, febre denique et inflammatione accedente plurimos inter cruciatus animam miſere exhalaſſe. Ita iam FALLOPIUS (*De purgant.* in *Oper. tom*. 1. *p*. 136.) animaduertit in praeceptoris ſui BRASAVOLAE conſuetudinem ſuccum ad vncias tres vel quatuor in hydrope exhibendi, quum, licet aquam copioſe educeret, inſigni tamen dolore id efficeret. Saltim nunquam negli-

genda

genda additamenta ea, quae ad auertenda damna valere queant, quorum exempla paſſim in hacce enucleatione dedi. Scite et Cinnamomi et alius aromatis tantillum additur. Item maiori violentia effectum exſerit ſuccus, ſi feculentae partes ſub expreſſionem transactae adhuc ſuperſtites ſunt, quam iisdem per decantationem vel colationem ſeiunctis. Mitior et fit ſuccus, ſi leuiter inſpiſſatur, in formam vero extracti denſatus omni fere vi exuitur.

Radix *ſicca* ſubacris et ſubamara, acrior mihi viſa guſtando, quam iſta Iridis Florentinae. Superficiem cultro reſciſſam ſcintillare cryſtallulis obſeruaui, quales aliquando et in Florentina, etſi non tam manifeſtas, vidi. Odor pariter violaceus.

Odorum non in ſucco latet, ſed in medullari maſſa, hinc et illa, quae remanet intra pannum poſt expreſſionem, odorem ſpargit, ſi cito ſiccatur. Subſtitui poteſt radix haec, modo rite ſiccetur, radici Iridis Florentinae (vt experimentis cl. MONTET in *Mem. de l'ac. R. des ſc. de Paris* 1772. *P.* 1. *p.* 657. conſtitit.), duplo fere pretio vendibili. Et locis, vbi non ſponte prouenit, facile propagari poteſt per radicum phalanges,

 vt

vt in hortis experimur. Colligitur et ſiccatur optime aeſtate, qua ipſa tam odore, quam albedine, excellit. Eadem euulſa, praeciduntur fibrae omnes, et quicquid adhaereat terrae linteo abſtergitur absque lotione, quum humiditas euitari debeat. Cuticula et omnis nigredo cultro reſecatur, vt nihil niſi alba pars remaneat, quae in orbiculos duos ad ſex lineas longos diuiditur, quae forma ſiccationi celeri, qua pro odore opus eſt, multum fauet. Siccari poteſt ſuper cribro ſetaceo, aulaeis, aſſeribus rel. modo aëris liber acceſſus contingat, vnde ſeorſim quaelibet portio collocari debet. Praeſtat ſoli ardenti vel vento ſeptentrionali ſiccationem committere; ſubſtitui tamen caldarium, furnus piſtorius vel fornax, poteſt, et quotidie ſitus mutari debet, et radix verſus veſperam in locum, contra humiditatem aëris probe tectum, transferri. Siccatione peracta ex vnciis octo radicis ſuperſtites modo deprehenduntur vnciae circiter tres cum drachmis duabus. Quo magis alba radix eſt, eo melius ſucceſſiſſe ſiccatio exiſtimatur. Puluis temporis mora odoratior fit, et hac forma vaſe bene clauſo, vt ampulla, diu ſeruari poteſt ſine virtutis iactura, prout per decem annos et diutius ipſa radix intra pyxidem.

Spiritu

Spiritu vini per duas hebdomades digeſta largitur tincturam coloratam et odoram, ac Iris Florentina (MONTET).

Effectus medicos edit eosdem, ac Iris Florentina (MONTET *l. c. p.* 663.). Nec in rebus, quibus ratio odoris habetur, vt puluere cyprio, vllo modo iſti poſtponenda.

531.

Pharm. ACORI PALVSTRIS, vel ACORI VVLGARIS, vel IRIDIS PALVSTRIS, item GLADIOLI LVTEI Ph. Lond. *Radix.*

Iris Pſeud-acorus; corollis imberbibus: petalis interioribus ſtigmate minoribus, foliis enſiformibus LINN. *Spec. pl. p.* 56. Acorus adulterinus C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 494. CURTIS *Fl. Lond.* Pl. perennis, ad foſſarum et ſtagnorum oras vulgaris, placens elegantia florum flauorum.

Deſierunt tempora, quibus confuſio obtinebat huius cum Acoro aromatico, ad quam nomina dicta reſpiciunt, quae ſtirpes vix aliam ſimilitudinem praeterquam foliorum et loci natalis habent; in Pſeud-acorum nullum aroma cadit.

RADIX recens ſubcylindrica, horizontalis rugis annularibus, deorſum fibroſa, ſubcarnoſa; intus rubicunda, externe ſubferruginea. Neque recens neque ſicca odorem habet. Recenti autem ſapor ineſt acris, quem et effectus confirmat. Nempe draſtica vi vix cedit praecedenti niſi potior ſit. Caſu ſingulari hydropis conſummati, febricula delirio et inſultibus epilepticis iuncti, in quo et efficaciſſima cathartica nihil effecerunt, ſuccus eximie profuit; dum primum eius guttae octoginta cum tantillo ſyrupo Rhamni cathartici exhibebantur, omni hora vel bihorio, ſenſim aſcendendo ad drachmas duas omni bihorio vel trihorio, vel ad cochleare vnum cum quarta parte ſyrupi dicti, vnde ingens copia aquae receſſit; ſubiunctis dein roborantibus tam topicis, quam per os datis (RAMSAY in *Med. Eſſays and Obſ. of Edimb. vol.* 5. *P.* 1. *p.* 93. *ſqq.*). Conf. BLAIR's *miſcellaneous Obſervations in the practiſe of Phyſick etc. p.* 78.). Ad dolorem dentium ſedandum confert dentem fricare radice vel eius tantillum maſticare, ſed caute (BUCHAN's *Domeſtic Medicine, p.* 390.). Succus naribus attractus, etiamſi modica quantitate, excitat mox inſignem ardorem in naſo, ore, faucibus, et ciet copioſum ſaliuae et muci

muci ex ore et naſo profluuium, quod aliquando per duas, tres et plures horas perdurat, vnde aliquando dolor dentium et capitis periodicus, aliis multis fruſtra tentatis, ſublatus (ARMSTRONG'S *Account of the diſeaſes moſt incident to children, p.* 146.). Inde occaſio capta contra ſcrophulas infantum huncce ſuccum vſurpandi, quas ipſas diſſipat bis vel ter de die ſollicite inunctus, modo recentes ſint, nec cutis inflammata. Quo craſſior et adultior eſt radix, et quo obſcurior ſuccus expreſſus, eo plus virium praeſtat (ARMSTRONG *l. c. p.* 99. 146.).

Sicca vero radix auſtera eſt, et eo quidem gradu, vt infuſum eius vel decoctum, ferro coti affricto in eodem, Scotis montanis vulgare atramentum exhibeat (*Phil. Tranſ. n.* 117. *p.* 397.), et in quibusdam inſulis Scoticis ad pannos nigro colore imbuendos adhibeatur (LIGHTFOOT *Fl. Scot. vol.* 1. *p.* 86.). — In diarrhoea et dyſenteria adſtringendi ſua vi conducere, notatum (BLAIR *l. c.*).

Vim ſtomachicam ineſſe, certe ex PULVERE STOMACHICO BIRCKMANNI *Ph. W. p.* 159. diiudicari nequit, vt qui efficaciam hanc aliis, quae continet, manifeſtius, quam huic, debet.

ORDO XLVIII.

ORCHIDEAE.

ORCHIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 673. *Gen. pl. p.* 461.

532.

Pharm. Radix SALEP v. SALAP v. SALAB.

Orchis maſcula; bulbis indiuiſis, nectarii labio quadrilobo crenulato: cornu obtuſo, petalis dorſalibus reflexis LINN. *Sp. pl. p.* 1333. JACQ. *Miſc. Auſtr. vol.* 2. *p.* 375. Orchis morio mas, foliis non maculatis C. B. etiam foliis maculatis C. B. Orchis radicibus ſubrotundis petalis lateralibus reflexis, labello trifido, ſegmento medio longiori bifido HALL. *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1283. *tab.* 33. *fig.* 1. Depinxerunt eam quoque *Fl. Dan. tab.* 457. CURTIS *Fl. Lond.* et JACQUIN *Icon. pl. rarior. tab.* 180. Pl. perennis, in variis Europae regionibus, item Aſiae, in ſyluis et pratis frequens.

LINNEUS (*M. m.*) radicem Salep *Orchidi Morioni* ſuae, cuius iconem vide in *Fl. Dan.*

tab.

tab. 253. et HALL. *l. c. tab.* 33. *fig.* 2. adſcribit, inductus forſitan effato BUXBAUMII (*Plant. min. cogn. Cent.* 3. *p.* 5.), in regionibus orientalibus laetius multo quam ſeptentrionalibus creſcere. Potiori tamen iure tribui illam mihi videor O. maſculae L. quoniam comparatione facta vtriusque apud nos haec ipſa radices manifeſte maiores fert. HALLERUS (*l. c.*) etiam ſub eiusdem ſectione de radice Salep agit, et cl. PERCIVAL (*Eſſays med. and experimental, vol.* 2. *p.* 37.) principatum quoque huic tribuit. Praeter vtramque dictam aliae Orchides radicibus ſubrotundis, vt *O. militaris*, *O. coriophora* (SAM. GOTTL. GMELIN *Reiſe durch Rußland. vol.* 4. *p.* 108.), item ſpecies radicibus palmatis, vt *O. latifolia* nominatim (PERCIVAL), egregium Salep ſubminiſtrant. Ipſe aliquoties inter radices ſubrotundas, quae ex Oriente proueniſſe putabantur, aliquot palmatas reperi, etſi numero reliquis multo pauciores. Ita radicem Orchidis bifoliae L. ſubſtitui poſſe Salep Perſico pronunciatur (PALLAS *Reiſe durch Rußl. vol.* 1. *p.* 10.). Sed non dubito, quin et ex reliquis indigenis ſpeciebus Salep parari poſſet. Vnde et conſilium datum (GEOFFROY *Matiere medicale, vol.* 1. *p.* 265.), in commodum officinarum Gallicarum radices colligendi ex qua-

licunque Orchide luberet, modo iſtae eſſent magnae, firmae et ſuccoſae. Et omnes quidem plantae dictae in Europa indigenae ſunt.

Fuerunt tamen olim, qui non radicem putarunt eſſe Salep, ſed fructum orientalis originis et quidem ſpeciem ficuum (Vid. BUISSON in DEGNER. *hiſt. dyſent. bil. cont. p.* 177.), quod facile refellitur praeterquam aliis argumentis rudimento nouae plantae in quouis bulbo conſpicuo. Aeque erroneum eſt effatum Jeſuitae SERICI, eſſe gummi quoddam (*Journ. de Med.* 1759. *p.* 267.). Ita dudum magnis ſumtibus ex orientalibus regionibus, praecipue Perſia, vbi radices magnae adhuc hodie vno ducato aureo veneunt (GMELIN *l. c. p.* 109.), emta ab Europaeis haec radix fuit, donec coniectura, eſſe ex ſpeciebus Orchidis (JOSEPH. MILLER *Botan. offic.* 1722. *p.* 385. SEBA *rer. natural. theſ. tom.* 2. *p.* 83. HEIST. *comp. pract. p.* 286.) naſceretur, confirmata ſcrutinio in loco natali exotici Salep (BUXBAUM *l. c.*); tandem tam obſervationes quam experimenta chemica et practica in Gallia, Suecia, Anglia facta extra dubium ponerent, etiam in noſtris terris ſuppetere radices, neque notis externis neque interna natura nec virtutibus medicis Salep orientali ſecundas.

Nomen

Nomen Salep Turcis et Perſis idem ſignificat, ac apud nos Orchidis (BUXBAUM *l. c.*).

Cultura vero adiuuatur in orientalibus regionibus. Requiritque ſolum ſiccum, nec nimis fertile. Vulgo difficile ſuccedit transpoſitio plantarum orchidearum in hortos, vt tamen in horto noſtro botanico laete viguerint per plures annos Cypripedium, Orchides et Serapiades variae, quas caute radicibus effoſſas reliquis ſtirpibus, prout ordo ferret, interſerui. Germinatio ſeminum adhuc obſtinatior eſt. Optimum tempus colligendi radicem illud eſt, dum ſemina ſeſe formauerunt et caulis marceſcere incipit, tum enim bulbus vnus, qui vnice in vſum trahi poteſt, ad ſummam perfectionem peruenit, altero marceſcente (MOULT in *Phil. Tranſ. vol.* 59. *P.* 1. *p.* 2.).

Salep Perſarum nobis aduehitur radicibus multis longa ſerie filo albo, quantum apparet, goſſypino margaritarum in modum transactis, ſpatio inter ſeſe diremtis, diuerſae magnitudinis, quarum quaedam amygdalam ſuperant, aliae vix ſemine Coffeae maiores, coloris ſtraminei, ſuperficiei ſublacunoſae et aſperae, ſemipellucidis, figura ſemen Cacao vel amygdalam referentibus

S 5 pon-

ponderoſis, duris fere inſtar cornu, vix odoris, ſaporis mucilaginoſi. Eius naturae ſunt ſpecimina a perill. L. B. AB ASCH tanquam vere Perſica mihi miſſa; nec differt deſcriptio, in libris probae notae de optimo Salep data. Scrinia autem officinarum perquirens ſpecimina bene multa inueni ab hacce deſcriptione non parum diſcrepantia; inter ſemipellucida enim exempla, quae optima cenſenda, formae vel ouato-oblongae vel palmatae deprehendi alia multa nigricantia, opaca omnino, varie diſtorta, quaſi ex radicibus marcidis. Quin hisce immixta vidi ſpecimina aliquot iuglandis magnitudinis ſubcompreſſa ſubcordata nigricantia, odoris manifeſte hircini et facilius longe cultro diſcerpenda, quam reliqua. Integrum aliquando monile ex radicibus palmatis conſtans deprehendi. Quum diſrumpatur facile filum, non mirum radices ſeiunctas vulgo in officinis offendi.

De praeparationis radicum modo, quo gentes orientales vtuntur, nihil hactenus conſtitit. Sed ſimiles praeſtare Europaei varii tentarunt, ſucceſſu non ſpernendo. Horum e numero primus cl. GEOFFROY (*Mem. de l'ac. R. des ſciences de Paris* 1740. *p.* 99.) commemorandus, qui radices

dices Orchidum variarum indigenarum cuticula priuauit, dein easdem in aquam frigidam reiectas, poſt aliquot horarum ſpatium in ſufficiente copia aquae coxit et, aqua poſtquam defluxerat, filo tranſegit, vt aëre ſicco et calido ſiccarentur: ſic transparentes duraeque inſtar gummi Tragacanthae euaſerunt. Eandem fere encheiriſin adhibuit cl. RETZIUS (*Vet. Acad. Handl.* 1764. *p.* 245.) in praeparandis radicibus Orchidis Morionis, nec vllum diſcrimen inter hanc et Perſicam radicem inuenit, praeterquam magnitudine (quae tamen et valdopere variat in Perſica). Accuratius praeparationem perſequitur cl. MOULT (*Philoſ. Tranſ. vol.* 59. *a.* 1769. *P.* 1. *p.* 2.) et breuius rem expedit, vſus pro experimento, quantum apparet, Orchide maſcula, militari et latifolia L. Harum nimirum radicibus aqua lotis, cuticula externa vel ope verriculi parui vel poſtquam calidae aquae intinctae fuerant, ope lintei rudioris detergitur; tum radices in patina ſtannea diſperſae in furnum piſtorium per ſex, octo vel decem minuta pr. transferuntur, vnde pelluciditatem quaſi cornu absque decremento magnitudinis adipiſcuntur, poſtea in aliud conclaue transferendae, vt ſiccescant et indureſcant, vel retinendae intra

calorem

calorem mitem per aliquot horas. Plurimum operae efficit ſeparatio cuticulae, vnde et ideo tanto maiori pretio venditur, ea tamen relicta neque ſapori neque ſalubritati aliquid decedere affirmatur (PERCIVAL *l. c. p.* 41.).

Ad modum cl. GEOFFROY paratae radices a cl. CHEVREUSE in Lotharingia loco Salep Perſici venditae ſunt (BUCHOZ *Plantes de la Lorraine vol.* 8. *p.* 155.), prout et in Suecia pharmacopola idem fecit, nec absque ſolito huius effectu ſalutari.

In puluerem contrita radix orientalis maximam partem aqua calida in mucilaginem ſoluitur. Radicis vncia dimidia aquae libras duas med. tam ſpiſſas reddit, vt gelatinam referat. Hac per colum transmiſſa et exſiccata pondus drachmarum trium et granorum triginta quatuor emergit, et pars non ſolubilis intra colum remanens poſt exſiccationem fuſca pondere grana viginti ſex aequat (KEILHORN *Diſſ. de radicibus Senega et Salab, Franc. ad Viadr.* 1765. *p.* 31.). Vapores ex mucilagine ſurgentes et rite excepti aquam ſaporis et odoris nonnihil hircini exhibuere (*l. c.*). Salep ex Orchide Morione in Suecia paratum

citius

citius ſolui ſe paſſum eſt, quam Perſicum, et tam tenacem mucilaginem exhibuit octo eius grana in aquae feruidae vncia vna h. e. radicem in 60plo aquae ſoluendo, vt per pannum linteum non perfecte tranſigi poſſet, ſed affundi inſuper deberet aquae feruidae vncia dimidia, quo auxilio mucilago iſta denſitate aequauit alteram ex Salep Perſico vncia vna aquae elicitam: remanſit vero reſidui ex iſto Suecico Salep granum 1½ et Perſico gr. j. (*Vet. Acad. Handl.* 1764. *p.* 245. *ſq.*).

Aemulatur haecce mucilago illam gummi Arabici vi ſeſe cum oleo amygdalarum combinandi (LUND in *Vet. Acad. Handl.* 1771. *p.* 316.). Si vero additur maior copia aquae, emulſio inde paratur, mora nexu ſuo decedit oleum, vnde ante vſum praecedat agitatio neceſſe eſt (BERGIUS *Handl. cit. p.* 327.). Confert etiam hac radice vti pro reſina ſubigenda (ID. *l. c.*). Recondit ſaporem ſalſum aquae marinae vel ſalis communis aqua ſoluti (PERCIVAL *l. c. p.* 45.). Retardat quoque lactis fermentationem acidam (*l. c. p.* 46.).

Magna

Magna in exiſtimatione Perſis et Mahumedanis aliisque gentibus orientalibus haec radix habetur. Opulentiores Perſae in epulis ſaliarem in morem inſtitutis, radices per noctem in aqua calida maceratas obſoniis miſcellaneis ſuis addunt; item longa itinera acturi easdem ſecum vehunt, quo languentes vires reficiant (*Act. nat. cur. vol.* I. *App. p.* 14.). Sic eam adhibent ad vires vel longo morbo vel ſenectute detritas reſtaurandas (SERICI in *Journ. de Med. vol.* II. *p.* 269.). Hisce etiam crebro ſtimulos venereos ſuſcitare tentant, quae vis vtrum vere radici competat, an potius ab additamentis variis calidis, vt Ambra, Moſcho, Zingibere, Pipere, Caryophyllis, Cinnamomo rel. deriuanda, varie diſputatur. Cenſetur huic fini pariter eſſe idoneus potus ex Salep, Melle et Zingibere calide bibitus (BUXBAUM *l. c.*). Recentiſſima, quam vidi, formula, cui multum fidei in hunc ſcopum tribuunt, haec eſt, quod radicis Salep drachma vna cum eadem quantitate Cinnamomi, Zingiberis et Caryophyllorum aromaticorum in lactis libris tribus cocta vna vice ebibatur (GMELIN *l. c.*). Rariſſime nobis occurrunt radices exoticae, quae ſiccatae ingratum iſtum odorem hircinum ſeruant, quem

recens

recens ſtirps imo et recens radix orchidearum plantarum ſpirat, aliquando tamen, forſitan a relicta cuticula, prout in exemplo, quod coram habeo, maioris ſolito bulbi (V. ſupra *p.* 282.), qui ipſe extus ex cuticula ſuperſtite fuſcus, interne albidus apparet, ſimulque odorem iſtum ingratum manifeſte ſpargit. Ab hocce odore poſſet ſtimulus quidam aphrodiſiacus ſperari, niſi coctione aufugeret. Quidni vero, etiamſi auolet, nutriente, qua pollet, Salep inſigni efficacia ad venerem ſollicitaret, quum ſecretionem ſeminis augeant et veneris deſiderium excitent quaelibet res ſub otio copioſe ingeſtae, nutritiis particulis abundantes, vt paſta ex Cacao, Sagu, carnes ſuccoſae, oua, lac. Non arbitror igitur, Salep hacce laude poſſe defraudari, augeri vero vim propriam ſtimulo calidorum et aromatum addito cenſeo. Nec reiici puto hocce effatum fruſtraneis aliquot experimentis Europaeorum, quum vitio organiſmi partium, vel connato, vel exceſſibus in venere, affectionibus venereis, item peruerſa earum curatione, acquiſito, aliquando riui ſeminalis liquidi plane oblitterentur, ſenſusque virilis omnino tollatur. Ita intelligendam exiſtimo diffidentiam, quam quidam erga Salep hac in re declarant e. c. GARIDEL (*Hiſt.*

des

des Plantes aux environs d'Aix, *p.* 342.) et HALLERUS (*l. c. n.* 1283.), qui principem quendam improlem harum radicum magnam vim ſaccharo conditarum abſumſiſſe, ſed fruſtra, narrat.

Nutriente facultate Salep plerisque reliquis vegetabilibus antecellit, ſi voluminis ratio habeatur, illuſtrante rem exemplo gummi Arabici (Vid. *Appar. med. vol.* 2. *p.* 410.). Hinc in longis peregrinationibus maritimis, oppugnationibus vrbium diuturnis et expeditionibus protractis exercituum, valde commendabile. Et quum hominum valetudo absque animalis eſcae et vegetabilis connubio vix ſubſiſtere queat: puluis radicis Salep et gelatina carnei iuſculi ſicca, ſoluta in aqua, egregium alimentum promittunt (LIND's *Eſſay on diſeaſes incidental to Europeans in hot Climates*, *Append. p.* 338. *ſqq.*). Vncia vtriusque in duabus quartis (quarta = vncias triginta duas) aquae feruentis ſoluta gelatinam craſſam conſtituit, et ſufficit vni viro per diem nutriendo, et vtriusque libris duabus per integrum menſem ille acquieſcere poteſt. Praeferendus hic victus aliis vel ideo eſt, quod nec longa coctione nec multa aqua eget, et vel aquam marinam fert, quum acre ſalis latentis mucila-

cilaginoſa radicis natura obuoluatur; additamento quoque aceti vini palato gratior et ſiti fallendae idoneus euadit.

Non multa, ſi commodum medicum ſpectetur, commemoratione digna diſcimus de radicibus Orchidum variarum ex ore veterum (Vid. DIOSCOR. Ορχις *lib.* 3. *cap.* 141. Ορχις ἕτερος *c.* 142.). Nec iudicium Orientalium gentium de virtute radicis Salep in variis morbis, phthiſi, arthritide, epilepſia, palpitatione cordis, rel. magni momenti eſt, quum adeo vniuerſale remedium illam iactitent.

Qui totam mucilaginoſam eſſe ſecum reputat, inuoluendo acre, demulcendo et incraſſando humores, lubricando, emolliendo ſolida, nutriendo corpus, reficiendo, roborando, in bene multis morbis prodeſſe facile coniiciet. Sed praeſtat nonniſi ad filum verae experientiae pedem proferre. Et eo iam eadem duce peruenimus, vt ſimiles virtutes ab indigeno Salep ac Perſico exſpectare queamus. De O. Morione confirmauit id cl. LUND (*l. c.*).

In dyſenteria eximia praeſtat, quod acrimoniam inuoluit, dolores mitigat et inteſtina

arroſa balſamo quaſi inueſtit. In dyſenteria glioſa numeroſiſſimis exemplis efficaciam ſuam comprobauit DEGNERO (*Hiſt. dyſent. bilioſo-contagioſae, p.* 170. *ſqq.*). Id tamen vitii habet, quod protractiori exhibitione aluum adſtringit (*l. c. p.* 181.), vt ad euacuantia iterum recurrere oporteat (ZIMMERMANN *v. d. Ruhr, p.* 518.). Hoc in cauſa fuit, vt in cholera chronica, vtut eandem leuaret initio, ſeponi deberet (DEGN. *l. c. p* 181.). In diarrhoea variae naturae, nominatim dentientium, moderanda non minus prodeſt (LUND *l. c. p.* 315.). Sic et in colica bilioſa, calculoſa, grauidarum, infantum (ID. *p.* 317.). — Non minus ſubuenit renum et veſicae variis vitiis. — In ſtranguria et dyſuria non cedit aliis eiusdem naturae medicaminibus (ID.). — Salubre alimentum eſt hominibus, calculo vel ſabulo renum laborantibus (PERCIVAL *l. c. p.* 49.). — In ſcorbuto marino acre humorum egregie obtundit blandumque chylum reddit (PERCIVAL *l. c. p.* 48.).

Nec defraudanda ſua in tabe et phthiſi laude, quibus in morbis nutriendi ſua efficacia absque virium concoctricium nimio molimine praecipue proſpicit. Prodeſt nominatim in phthiſi ſputis ſtipata,

ſtipata, ſub tuſſi ſicca et acrimoniae ſignis praeſentibus (FRITZE *Med. Annalen*, *vol.* 1. *p.* 111.), et diarrhoeam colliquatiuam, quantum in deſperato iſto morbi gradu fieri poteſt, coërcet; item in tabe ex profluuiis variis ſanguineis profecta (LUND *l. c. p.* 316.). Non autem modo conducit in reſorptione puris ex vlcere pulmonum, ſed etiam ex vulneribus, vt amputationibus, dum efficaciter demulcet et reſolutioni ſanguinis incraſſandi vi reſiſtit (PERCIVAL *l. c. p.* 48.).

In puluerem ſubtilem conteri ſeſe Salep patitur, ſicque ſubactum aqua vel lacte calido facile ſoluitur, vt pauxillum modo in colo non ſolutum remaneat (V. ſupra). Saporis cauſa ſaccharum item aqua grate aromatica, vt florum Naphae, Roſarum, vel ſyrupus gratus, etiam acidiuſculus, modo menſtruum id ferat, Berberum, Citri rel. addi poteſt. Radicis huius drachmae vni ſi aquae calidae vnciae quatuor infundantur et vtrumque leni calore ſuper igne retinetur, poſt expreſſionem per linteum gelatina emergit, cuius, ſingulis duabus, tribus vel quatuor horis cochleare dimidium vel plus minusue pro neceſſitate ingeritur (DEGNER *l. c. p.* 169.). Gelatinae huius cochleare quoque

aqua ſimplici vel decocto Oryzae vel iuſculo commode ſoluitur. Coqui etiam poteſt vncia eius dimidia lacte per quadrantem horae, dein commiſceri cum pauxillo ſacchari et aqua Aurantiorum, vnde cibus emergit palato gratus et ſalubris omnibus iis affectionibus, quae lac ferunt (ROSENSTEIN *Hus- och Reſe- Apot. p.* 68.). In quibusdam morbis, vt illis viarum lotii, ſcite mucilago huius cum oleo amygdalarum in linctum miſcetur.

533.

Pharm. SATYRII *Radix.*

Orchis bifolia; bulbis indiuiſis nectarii labio lanceolato integerrimo; cornu longiſſimo, petalis patentibus LINN. *Spec. pl. p.* 1331. Orchis alba bifolia minor calcare oblongo C. B. Orchis radicibus oblongis labello lineari HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1285. *tab.* 35. Depicta etiam bene ſiſtitur in *Fl. Dan. tab.* 235. Pl. perennis, in paſcuis apricis creſcens.

LINNEO (*Mat. med.*) auctore Satyrii officinarum radicem huic ſtirpi tribuo, non neſcius tamen, ab aliis quoque Orchidis ſpeciebus paſſim pharmacopolas radices ſub eodem nomine colligere.

CASP.

CASP. HOFFMANNUS (*Medic. officinal. p.* 558.) iam plurium meminit, quibus vti pro electuario perinde eſſet. Et auctores continuationis materiae medicae cl. GEOFFROY, non ſolum fatentur legi promiſcue radices Orchidum vicinarum praecipue bulboſas (*Suite tom.* I. *p.* 261.), ſed ipſi permittunt id, nec excludunt palmatas, modo integrae et ſatis ſuccoſae ſint. Ita radix Satyrii vulgo obuia modo ab Orchide bifolia, modo ex Morione, maculata, latifolia, ſumi fertur (LUND *Vet. Acad. Handl.* 1771. *p.* 311.), et nominatim quae proſtat in pharmacopoliis Stockholmiae venalis, ab Orchide maculata, bifolia et ſambucina, quum non aliae ſpecies in vicinia metropolis ſpontaneae ſint (BERGIUS *l. c. p.* 329.). In *Pharmacopoea Edinburg.* 1783. *p.* 55. adſcribitur Orchidi maſculae.

Quas coram habeo radices ex binis diuerſis pharmacopoliis petitas, valde numeroſas, vel bulbi fuſiformes ſunt in exile acumen deſinentes, vel ouati pariter acuminati, quibus immixtae ſunt pauciſſimae radices maiores apice vel bi- vel quadripartitae ceterum reliquis ſimiles, ita vt ſi cum hisce egregiam iconem ac deſcriptionem radicis,

quam ill. JACQUIN (*Fl. Auſtr. tab.* 108. *p.* 5.) de *Orchide ſambucina* L. praeſtitit, comparem, vix ex hacce petitas eſſe dubitem. Deficere palmatam figuram in bulbo plantae iunioris, imo adultae, in ſeniori autem adeſſe, notauit oculatiſſimus JACQUIN. Ceterum longe minus compacti, quam in Salep, nec pellucidi ſunt hi ipſi bulbi officinarum, albidi quidem plerumque in ſuperficie, ſed vt videtur ex deraſa minus ſollerter cuticula, hinc et ſtriae conſpiciuntur in rugis tranſuerſales luteo-brunae, vel per ampliorem ſuperficiem manifeſte reſiduae cuticulae particulae; imo ſpecimina vidi tecta adhuc integra epidermide luteo-bruna. Guſtatae radices mucilaginem emittunt, ſed parciorem longe, quam Salep, et adhaeret poſtea linguae ſapor ſubacris. — Inter reliquas quoque aliquando inueni radices palmis latis vt ex O. maculata L. vel latifolia L. ſed cuticula ſua bruna amictas. Minor igitur longe ſollertia adhibita in cuticulae huius radicis ſeparatione et in ſiccanda ea videtur. Addi et hoc debet, radices plerumque nonniſi vermibus arroſas in officinis ſeruari.

Valet de hac radice, ac de reliquis Orchidearum duplici bulbo inſtructarum, nonniſi pon-

deroſum

deroſum et ſuccoſum bulbum legendum eſſe, alterum, vtpote effoetum, reiiciendum.

Non ſatis tuto in iſta ſpecierum, quae eliguntur, diuerſitate ab aliis de notis radicis Satyrii et effectibus tradita huc trahi poſſunt. Gelatina radicis in pharmacopoliis Suecicis reperiunda ingratiorem odorem et ſaporem et colorem griſeum habet, quod a relicta cuticula deriuatur (LUND *l. c. p.* 311.).

Tanto difficilius erit determinare, qualis planta Σατυριον veterum fuerit (Vid. DIOSC. *lib.* 3. *cap.* 143.). Huius radix inde ab iſtorum aetate credita fuit in ſtimulis venereis excitandis ſingulari praerogatiua pollere, vt vel in diſpenſatoriis pharmaceuticis formulae adhuc nomen eiusdem in fronte gerentes ſuppetant. Quanta olim laude ornata fuerit hocce reſpectu ab auctoribus bene multis, malo ZORNII (*Botanol. med. p.* 611.) ſollertia, quam mea, intelligi. Memoratu dignum eſt, quod inter tot dubia, quae ſerioribus temporibus contra aphrodiſiacam vim radicis Satyrii mota fuerunt, LINNEUS (*Fl. Suec. p.* 309.) tamen notauerit, tauros tardos a Dalis in venerem radicibus Orchidis bifoliae prouocari. De eadem

 quoque

quoque obſeruat, (*l. c.*) tormina dyſentericorum compeſcere.

Si quid ſua ſponte inſtar aphrodiſiaci efficiat, dubito, an alia virtute, quam ea, de radice Salep a me ſupra (*p.* 286.) tradita. In compoſitis variis alia origo ſtimuli facile cognoſcitur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ELECTVARIVM DIASATYRIVM NICOLAI *Ph. W. p.* 45. Praeter radicem, aromata, ſemina oleoſa, ſtincum marinum cum ſaccharo, continet, vnde analepticam quidem vim exſerere poteſt: ſterilitatem vero tollere poſſe viis oblitteratis, quis iudicio ſanior credet!

CONDITVM SATYRII *Pharm. Edinb. ed. Brem. a* 1758. *p.* 69.

CONSERVA SATYRII *Cod. med. Pariſ. pag.* 57. —Vtrumque, vt tot alia praeparata huius radicis, ſicuti *Extractum ſimplex* et *compoſitum*, *Eſſentia*, in obliuionem hodie damnatum.

EPIDEN-

EPIDENDRVM.

LINN. *Syſt. veg.* p. 680. *Gen. pl.* p. 464.

534.

Pharm. VANILLAE *Siliqua* vel VANILLA.

Epidendrum Vanilla; ſcandens, foliis ouato-oblongis neruoſis ſeſſilibus caulinis, cirrhis ſpiralibus LINN. *Spec. pl.* p. 1347. Volubilis ſiliquoſa, plantaginis folio CATESB. *nat. hiſt. of Carolina vol.* 3. *tab.* 7. Banille MERIAN. *Surin.* 25. *tab.* 25. ſed abſque flore. Conf. l'Epidendrum-Vanille in AUBLET *Hiſt. des plantes de la Guiane Francoiſe, vol.* 2. *App. p.* 78 *ſqq.* Praeter dictas icon: REGNAULT *Botan.* La Vanille. Pl. fruticoſa, ſcandens, paraſitica, arboribus in America auſtrali et inſulis Indiae occidentalis adhaerens, locis montoſis et vmbroſis in Jamaica (BROWNE'S *nat. hiſt. of Jam.* p. 326.) creſcens, vel ad littora ſyluatica maris, vbi exundationes ſaepe fiunt, in Guiana Gallica (AUBLET). Ob lucrum ex ſiliquis autem copioſe colitur.

Primum radicem agit in terra, ſed ſenſim aſcendendo radiculis ex caule protruſis adhaeret

T 5 truncis

truncis vicinis, et ex hiſce dein nutrimentum haurit, etiamſi ſarmenti inferior pars deſtructa fuerit. Propagatio igitur facilis per ſarmenta in partes diſſecta, probe curando, vt quaelibet pars duobus ad minimum nodis inſtruatur, quarum binae vel ternae terrae immerguntur ad baſin arboris, ita vt vnus nodus ſupra ſolum promineat. Cayennae tres varietates ſtirpis exſtant, quarum vna fructum craſſiorem et carnoſum, altera fructum longum gracilem ſiccum, tertia fructum breuem inodorum gerit. Singularum fructus praeparatione acquirunt eundem odorem, et gracileſcunt (AUBLET). Bene maturi colliguntur, tumque ſuſpenſi ad extremum in vmbra ſiccantur, ſiccati oleo obliniuntur (BROWNE); vel, vt Cayennae fit (AUBLET), filo ad poſterius extremum prope pedunculum affixi aheno aqua limpida feruida pleno immerguntur vno momento, vt albeſcant, dein aëri libero ſolique radianti exponuntur per aliquot horas et ſubſequente die oleo inunguntur. Dum ſuſpenſi haerent, copia liquidi viſcoſi per extremum oppoſitum effluit, quod effluuium preſſione digitorum ter de die digitis oleo oblitis promouetur. Sic bruni euadunt, rugoſi et ſemiſicci et minores fiunt, oleoque iterum perunсti ſeruantur.

Olei

Olei adminiſtratio non vnum finem habet; eius enim ope lente ſiccantur, contra inſecta muniuntur, impeditur, ne ſiccando dehiſcant, ne cuticula ſicceſcat, et ne aër externus penetret. Transferuntur ad nos in faſciculos colligati et lamina plumbea tenui obuoluti, ciſtisque ligneis inditi.

Fructus SILIQVA eſt, quae, prout in officinis deprehenditur, recta, compreſſa, fuſco bruna, dodrantalis, ſeſquilineam circiter lata, vtroque extremo anguſtior, obtuſa, et nonnihil incuruata praecipue verſus baſin, fragilis, longitudinales rugas extrinſecus agit et ſuperficiem pinguem habet, aliquando cryſtallulis exiguis ſalinis ſcintillans, et intra parenchyma ſubcoriaceum continet copiam innumeram *ſeminum* minutiſſimorum rotundorum nigrorum ſplendentium. Odor eius fragrans, referens illum balſami Peruuiani vel Styracis vel Ambrae ſ. Fabae Tonca, et diu digitis, quibus contrectata fuit ſiliqua, inhaerens. Sapor vnctuoſus, ſubacidus, blande aromaticus. Semina commanſa inter dentes ſtridorem edunt. Praeferuntur ſiliquae longae et anguſtae. In ſeminibus praecipuam vim latere innuit LINNEUS (*Amoen. acad. vol.* 7. *p.* 258.). Aqua deſtillatae ſiliquae illam

illam odore fragrante imbuunt, ſpiritu vini autem nihil abſtrahitur; digeſtione tamen hic et ſapidum et olidum omnino extrahit (GÉOFFROY *Traité de Matiere medic. tom. 3. p. 183.*).

Rariſſime inſtar medicaminis adhibetur, licet multa ſpondeat in ſyſtemate neruoſo refocillando. Ad venerem ſtimulare efficaciter, omnes vno fere ore de ea depraedicant, et LINNEUS reliquis omnibus, hacce laude ornatis, palmam praeripere pronunciat. Anglos ea vti ad melancholiam diſpellendam, neſcio qua fide perhibetur (GEOFFROY *l. c.*). Decocto eius diſparuit in moniali dolor grauatiuus pertinax ventriculi, per vices infeſtans, inprimis autem ſub prandium, vſu per triginta dies continuato (ZANETTI in *Nov. act. nat. cur. vol. 5. p. 149.*). Succolatae frequentiſſime gratiae cauſa additur. Fraudulenti vero homines illi in hunc finem Styracem ſubſtituunt (DEMACHY *l'art du deſtillateur liquoriſte p. 120.*), vel et tantillum balſami Peruuiani. In Succolata Vanilla mixta, ſtimulans cum nutriente efficaci iungitur, vnde facile credas venereos ſtimulos in largiori vſu concitari. Cauendum, ne additamento modum excedas, quum calidae naturae iſtae ſiliquae ſint. Taceo liquoribus conglaciatis ſubinde ob fragrantiam et gratum ſaporem indi.

ORDO

ORDO XLIX.

TRIPETALOIDEAE.

CALAMVS.

LINN. *Syſt. veg.* p. 279. *Gen. pl.* p. 173.

535.

Pharm. SANGVIS DRACONIS.

Calamus Rotang; LINN. *Spec. pl.* p. 463. et *Syſt. veg.* p. 279. Palmi-iuncus Draco RUMPH. *Herb. Amb.* tom. 5. p. 114. tab. 58. fig. 1. Dſierenang KÄMPF. *Amoen. exot.* p. 552. Arbor Indiae orientalis, in ſyluis prope fluenta creſcens.

Praeter ſignificatam arborem ſunt aliae, quarum truncus vel rami vulnerati ſuccum rubrum reſinoſum fundunt, nomine ſanguinis draconis venientem, ſcilicet:

Pterocarpus Draco; foliis pinnatis LINN. *Syſt. veg.* p. 533. LÖFLING'S *Spanſka Reſa* p. 266. 273. Pterocarpus officinalis JACQU. *ſtirp. Amer. Hiſt.* p. 283. tab. 183. fig. 92. vbi folium modo depingitur; nam nec florem nec fructum vidit. Lingoum RUMPH. *l. c.* tom. 2. p. 205. tab. 70.?

Ipſe

Ipſe LINNEUS *l. c.* iam fatetur, ſe fere credere, orientalem et occidentalem arborem ſpecie discrepare. Arbor alta in America auſtrali creſcens; item (modo RUMPHII arbor ſit eadem) in ſaxoſis et praeruptis littoribus et locis ſyluaticis Indiae orientalis, in inſulis praecipue Aſiae ſubiectis, Jaua, Sumatra.

Hanc ipſam arborem vere ſanguinem ſic dictum draconis ſtillare, teſtes autoptes ill. JACQUIN (*l. c.*) confirmat. Nempe ſubferrugineus cortex transuerſim ſi ſcinditur, breui punctis plurimis ſanguineis variegatur in lacrymam abituris, quae poſt aliquot minuta temporis pr. praecipue feruente ſole indureſcunt et colliguntur. Olim frequenter hic ſuccus Carthagena in Hiſpaniam miſſus fuit, ſed iam negligitur eiusdem collectio ob ſeneſcentem eiusdem in Europa famam. Cortex, lignum et folia ſaporem adſtringentem habent. Cortex trunci et radicis in bacillos palmares ſciſſus ab incolis ad mundandos dentes adhibetur (JACQUIN).

Dracaena Draco; arborea, foliis ſubcarnoſis apice ſpinoſo LINN. *Syſt. nat. ed.* 12. *a.* 1767. *tom.* 2. *p.* 246. *Ed.* 13. *p.* 265. Draco arbor CLUSII *Rar. plant. p.* 1. *cum icone* ramoſae arboris. VAN-

DELLI

DELLI *Monographia c. ic.* 1767. Störkia et Oedera CRANZII *de duabus draconis arboribus* 1768. *c. ic. fig.* 1. 2. BEHRENDS *Diſſ. de dracone arbore Cluſii* 1770. *c. ic. fig.* 1. 2. 3. Inſulae Canariae a pluribus patria huius arboris aſſignantur.

Pauciſſima tantum de modo ſuccum illum rubrum ex hac eruendi traduntur. Certe profluere caniculae aeſtu, teſtis eſt CLUSIUS (*l. c.*). Ferro ſauciatam arborem ſtato anni tempore emittere ſuccum, qui aheno decoctus et defecatus ſanguinis draconis nomen adipiſcatur, ALOISIUS (apud *Eundem*) narrat. Id fieri perforata arbore prope radicem lato et profundo hiatu THEVETUS (apud CLUS. *loc. cit.*).

Dalbergia monetaria LINN. *Suppl. plant. p.* 317. pariter inſtruitur ſucco, iſtum, de quo hic agitur, aemulante; nec non

Pterocarpus ſantolinus LINN. *Suppl. p.* 318.

Quin plurima ligna Indica rubra per rimas corticis trunci ſuccum ſanguineum exſudant, indureſcentem in reſinam rubram. Sunt et ſpecies variae Crotonis, ſimilem ſuccum fundentes (LINN. *Suppl. p.* 319.). Omitto alias ſtirpes, ex quibus progigni hinc inde legitur, non ſatis definitas, quarum recenſum praeſtat cel. CRANZ (*l. c. inde a*

pag.

pag. 13.). Harum numero accenſenda arbor iſta in Botany bay in littore orientali noui Belgii a viris cll. BANKS et SOLANDER a. 1770. reperta (V. HAWKESWORTH'S *collection, vol.* 3. *p.* 498 *et* 505.), Quercum referens, et lignum valde durum graueque coloris profundi habens, quae ſpeciem ſanguinis draconis exhibet. Eiusdem arboris meminerunt etiam alii ABEL JANSAN TASMAN (1642 in DALRYMPLE'S *collect. vol.* 2. *p.* 68.) WILHELMUS DE VLAMING (1696. in NIC. WITSEN *Noord en Ooſt Tartarye, vol.* 1. *p.* 180. *ed.* 2.), in nouo Belgio ſed diuerſis locis viſae. In hac ipſa arbore peregrinatores animaduerterunt gradus quosdam, diſtantia trium vel quinque pedum inciſos, quorum ratio detegi non potuit.

Sed, quantum capio, *Calamus Rotang* illa arbor eſt, ex qua maxime vulgaris collectio ſucci fit. An ſit eadem ſpecies calami ac illa, de qua ſanguinem draconis copioſe in peninſula Malacca colligi cl. KÖNIG (in RETZ. *Obſ. botan. faſc.* 4. *p.* 5.) refert, non dixerim. Ad Chinam fere omnis hic transmittitur, vbi cum lucro maximo venditur. Dubitat ille, ſanguinem draconis Soccotrinenſem ab eadem ſtirpe legi. Malaccenſis ſaepe gummi Damar, quod Animes ſpecies eſt, corrumpitur.

C. Ro-

C. Rotang fructum fert in racemo ex ouato rotundum, magnitudinis nuce auellana maioris, ſquamulis tenuibus phoeniceis tectum, ſub quibus membrana carnoſa globulum pulpoſum valde adſtringentem inuoluit (KÄMPF. *l. c. p.* 556.). Scatet hic ipſe fructus ſucco iſto rubro, de quo hic ſermo eſt, quem vt eliciant nigritae Orientis, Malayi Javanique, ſupra vas amplum fictile, quod aquam ad ſui dimidium continet, collocant; quo facto vas leuiter operculatum prunis imponunt, vt vapores aquae bullientis aſſurgentes emolliant fructus et ſuccum illum euoluant. Hic tum bacillo abraditur et in folliculos reconditur ex folio arundinaceo complicatos, filo mox in moniliformem ſeriem ligandos, et tam diu libera aura ſuſpendendos, donec indita reſina exaruerit. Alii ſimplici coctione cum aqua eam eruunt, et vlterius dein reiecto fructu eam coquendo inſpiſſantes folliculis pariter includunt (KÄMPF. *l. c. p.* 553.). Imo ſuperficies externa maturi fructus in Palimbana plerumque obtecta reſina iſta cernitur. Fructus hoſce colligunt ibidem eosque in ſacco quodam commouent et agitant, donec exterior rubra cruſta decidat, quae ad ſolem calefacta liqueſcit, et manibus in globulos paruos formata, foliis ſiccis dicto modo

reconditur. Haec ſanguinis draconis ſpecies puriſſima eſt, et in ipſa India caro pretio venit. Reliqui dein fructus ſucco iſto turgidi contunduntur, et vel ad ſolem vel ſuper igne parum coquuntur. Ex ſupernatante ſubſtantia placentulae formantur tres quatuorue digitos latae, quae ſpecies probitate proxime venit ad priorem. Vilior vero eſt iſta, quae ex reliqua craſſiori ſubſtantia commixta emergit, dum in magnas et rotundas glebas ſpithamam vel pedem latas, et vltra pollicem craſſas redigitur, quae ipſa vulgarem ſanguinem draconis, in Europam transuehi ſolitum, conſtituit. In hisce placentis ſaepe fructuum laminae conſpiciuntur. Imo nonnunquam aliquid pedunculorum vel ipſius ſtipitis admiſcetur, qui pariter aliquid rubri ſucci continet, ſimulque vna cum fructu excoquitur. Fraus quoque edocuit aliena varia ponderis augendi cauſa admiſcere, vt Oryzae furfures, lignorum ramenta aliaque (RUMPH *l. c. p.* 115 *ſq.* Conf. cum hisce *vol.* 2. *p.* 252.).

Iam ſatis intelligitur, quanam in re differat ſanguis draconis *in guttis* ſiue *lacrymis*, h. e. inuolucris foliaceis incluſa ab iſto *in placentis*; qua duplici forma et in Europaeis officinis occurrit, in quas plerum-

plerumque ex India orientali per Natoliam transfertur. Adſunt in officinis glebae magnitudinis nucis Juglandis, mox magis mox minus oblongae, ſolitario tegmine ex folio palmae vel arundinis indutae; aliae, Auellanam mediocrem aequantes, inter ſeſe deſcripto modo iunctae. Non videntur hae differre probitatis nota. Homogeneam maſſam et veſiculis notatam intus conſtituunt, colorem obſcure rubrum prae ſe ferunt, qui vero, ſi teritur ſuccus, in cinnabarinum mutatur. Fragiles ſunt, vt inter digitos conteri ſeſe patiantur, odoris et ſaporis expertes. Flammae admotae flagrant et inflantur, relicta cinerum terreorum portione, ſparguntque odorem ſtyracinum. Maſſas praeter hasce ſeruant officinae grandes palmaris ſupraque craſſitiei, coloris rubicundioris, aſperae ſuperficiei, et, dum franguntur, albas particulas peregrinae miſcelae repraeſentantes; pretio itaque inferiores eſſe conſtat. Probus ſanguis draconis vix aqua afficitur, ſed ſpiritu vini rectificato in integrum fere ſoluitur. Huius magnam quantitatem imbuit rubedine ſaturata. Pari modo ab oleis expreſſis ſubigitur. Aqua calida eundem emollit. Sic igitur licet plurimam partem reſinoſus ſit, tantillum tamen gummi ſimul continere videtur. Multiplex

 adulte-

adulterandi illum ratio eſt per gummi Arabicum, Sorbos contuſos, bolum, ſanguinem animantium aliaque (Conf. JO. BAUH. *Hiſt. pl. tom.* I. *p.* 402 *ſq.*). In factitium modo cadit, ſolutum iri aqua, admotum candelae non ardere, ſed cum ſtrepitu deflagrare. An Cinnabaris DIOSCORIDIS ſit, quod quidam (V. CLUSII *Hiſt. pl. rar. p.* 2. JO. BAUH. *l. c.*) exiſtimarunt, vix dirimi vnquam poterit: memorabile tamen, quosdam eius tempore duplici hocce nomine (Κινναβαρι, αιμα δρακοντος) eandem rem deſignaſſe. Quoad vires, comparat Cinnabarin ſuam cum haematite, magisque eo adſtringere et ſanguinem cohibere refert (DIOSC. *lib.* 5. *cap.* 109.). Haec quidem in veram Cinnabarin mineralem non quadrant. Sed non tutius ad ſanguinem ipſum draconis applicantur, licet auctores tantum non omnes, veterum ſine dubio effatis adducti, ſtipticum et ad profluuia ſanguinea et aluina ſiſtenda commodum pronuncient, idque ad drachmam dimidiam maiusque pondus datum, et praeterea vlceribus ſiccandis et vulneribus conſolidandis conſecrent. Potuit id aliquando adulterato adſtringentibus ſucco contigiſſe. Species corruptelae quoque eſt, quae reſina communi fit (FERBER's *neue Beyträge zur Mineralgeſch. vol.* I. *p.* 366.). Ad

gingiuas

gingiuas firmandas in puluere vel electuario ſubinde adhuc a medicis in aliorum miſcela praecipitur. Priſtinas autem laudes formulae quaedam diſpenſatoriorum etiamnum ſeruant.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PULVIS STIPTICUS *Ph. Ed. p.* 74. Ex alumine et ſanguine draconis.

BALSAMUM LOCATELLI *Ph. Ed. p.* 95. EMPLASTRUM STICTICUM *Ph. Wurt. p.* 72. EMPL. PRO HERNIOSIS *l. c. p.* 65. EMPL. ROBORANS *Ph. Lond. p.* 110.

ORDO L.

CALAMARIAE.

CAREX.

LINN. *Syſt. veg. p.* 703. *Gen. pl. p.* 482.

536.

Pharm. SARSAPARILLAE GERMANICAE *Radix.*

Carex arenaria; ſpica compoſita ſpiculis androgynis: inferioribus remotioribus foliolo longiori inſtructis, culmo triquetro LINN. *Spec. pl. p.* 1381. *Fl. Suec. p.* 325. excluſo ſynonymo Scheuchzeri. Carex maritima humilis radice repente &c. MICHELI *N. gen. plant. p.* 67. *tab.* 33. *fig.* 4. Stirps perennis in arena mobili ſteriliſſima, quam egregie firmat, creſcens, et quidem in Suecia, Dania, Anglia, Belgio, Marchia Brandenburgica, Holſatia aliisque Germaniae regionibus.

Vbi iſta deeſt, iubentur ſubſtitui

Carex diſticha; ſpica compoſita ſubdiſticha, ſpiculis ouatis ſubimbricatis androgynis, foliolo longiori inſtructis, culmo triquetro HUDS. *Fl. Angl. p.* 403. Icon: LEERS *Fl. Herborn. tab.* 14. *fig.*

fig. 2. ſub falſo Caricis arenariae L. nomine *p.* 195. cum qua et HALLERUS (*Hiſt. ſt. Helv. n.* 1362.) perperam eam confudit. Etenim Carex arenaria L. vera Gottingae non creſcit, ſed C. diſticha HUDS. In pratis humidis frequens, nunquam in arena ſicca, perennis.

Carex hirta; ſpicis remotis: maſculis pluribus, foemineis ſubpedunculatis erectis, capſulis hirtis LINN. *Spec. pl. p.* 1389. Icon: *Fl. Dan. tab.* 379. LEERS *Fl. Herborn. tab.* 16. *fig.* 3. *p.* 206. Perennat in arenoſis, item ad foſſas, aggeres, ſepes.

Quoniam radix Sarſaparillae officinarum tam ex variis ſpeciebus Smilacis, quam ex Aralia nudicauli L. deſumitur, et praeterea ſaepe vetuſtate vel alio vitio corrupta exſtat, pretio etiam eminet: in Marchia Brandenburgica anno circiter quinquageſimo huius ſeculi Caricis arenariae radix, quae viſa fuit illi analoga, ſubſtituta eſt (GLEDITSCH *Verzeichniß d. gewöhnl. Arzneygewächſe p.* 55); dein pharmacopolia aliarum quarundam prouinciarum Germaniae intrauit; item in exercitu Regis Boruſſiae loco exoticae iſtius radicis recepta eſt (REUSS in *Nov. act. nat. curioſ. tom.* 7. *p.* 10.). Ne vero vel radicis C. arenariae locis, vbi arena mo-

bilis deeſt, penuria fieret, binae poſterius dictae Carices inſtar ſuccedanei commendatae ſunt (MERZ *Diſſ. de Caricibus quibusdam medicinalibus Sarſaparillae ſuccedaneis, Erlang.* 1784. *p.* 9 *ſqq.*), quarum ſimilis virtus ex odoris, ſaporis, formae et analyſeos chemicae conuenientia probabili argumento colligitur. In Franconia tamen vere Carex diſticha HUDS. vices C. arenariae, dum haec deficit, optimo ſucceſſu agit.

Multum ad commendationem Caricis arenariae in re medica contulit b. GLEDITSCH, qui variis ſcriptis ſuis (praeter librum cit. V. EJUSD. *Einleit. in d. Wiſſenſch. d. rohen u. einf. Arzneym. tom.* 2. *ſect.* 2. *p.* 405 *ſqq.* item *Mem. de l'acad. R. des ſc. de Berlin* 1768. *p.* 29 *ſq.*) honorificam eius mentionem fecit. Subſiſtam iam vnice in huius Caricis commemoratione.

RADIX eius longa eſt, recta, vix ramoſa, articulata, extrinſecus bruna, interne alba, craſſitie pennae columbinae. Odor eius recentis non fortis, ſed grata et ſubtili acrimonia nares vellicans, quem GLEDITSCHIUS comparat cum odore Pini (*Verzeichn. d. gewöhnl. Arzneyg. l. c.*). Sapore inſtruitur farinaceo dulceſcente, ſimul balſamico.

Quo

Quo profundius ſolo natali radix deliteſcit, eo efficacior cenſenda (GLEDITSCH). Saporis odorisque eadem in C. diſticha eſt ratio, vterque tantum paullo debilior. Radix vero C. hirtae inodora et inſipida (MERZ *l. c. p.* 12.). Vnde equidem non adeo commode reliquis virtute aequiparari arbitror.

In analyſi chemica radicis Caricis arenariae deſudarunt cll. HARTMANN (*Diſſ. de Carice arenaria officin. ſ. Sarſaparilla Germanica, Traiecti ad Viadrum*, quam ſcriptionem non vidi), GLEDITSCH (*Wiſſenſch. d. Arzneym. l. c.*), REUSS (*l. c.*) et MERZ (*l. c.*). Subſiſtam tamen potiſſimum in nouiſſima proxime dicti cl. viri.

Contuſione et maceratione eius cum aqua frigida obtinetur amyli ſ. foeculae albicantis $\frac{1}{16}$. Materia ſaccharina, niſi omnino deſit huic radici, aegre tamen ſeparatur (MERZ § 3. 4. 6. *Exp.* 3.). Eſt qui aquam balſamici odoris et ſaporis non ingrati deſtillando eam cum aqua ſimplici eruit (HARTMANN *l. c.* apud GLEDITSCH), alius nihil odori vel ſapidi in aqua ſenſit (MERZ § 5.). Vncia radicis vna extracti aquoſi, dulcis, leuiſſime adſtringentis, drachmam vnam ſemis et grana quinde-

cim erogat (REUSS *l. c. p.* 9.); alio experimento paulo minus elicitum, ſcilicet ex vnciis radicis quatuor, extracti huius drachmae ſex cum dimidia (MERZ *l. c. p.* 16.). Extracti vero ſpirituoſi primi drachma dimidia cum granis ſeptendecim ex vncia radicis euocata (REUSS *l. c. p.* 9.); vel paullo minus, ſcilicet extracti huius drachmae duae et ſcrupulus vnus ex vnciis radicis quatuor (MERZ *l. c. p.* 18.). Extracta haecce dulcedinem cum miti adſtrictionis ſenſu linguae imprimunt, ſpirituoſum inſuper amaritiem leuem, vtrumque autem odorem guaiacinum ſpirat. In comparatione cum reliquis binis Caricis ſpeciebus, quoad extracta, non magna diuerſitas (Vid. *tab.* in MERZ *Diſſ. cit.* § 9.). Non vrgeo multum Caricis arenariae conuenientiam cum Sarſaparillae radice, analyſi chemicae ſuperſtructam, in qua omnino diſparitas (Conf. REUSS *l. c.*). Manifeſte Sarſaparilla plus mucilaginis ac terrearum partium continet hiſce Caricibus. Nec ſi hae ipſae natura proxime ad Guaiacum (GLEDITSCH, REUSS, MERZ.) accedere dicendae ſint, cuius conuenientiae hactenus nullum aliud argumentum, quam a ſapore (REUSS.) vel odore (MERZ) guaiacino extractorum petitum deprehendo, apte ſatis Sarſaparillae aequiparari poſſunt.

Magis

Magis fauent virtutum cum Sarſaparilla conſpirationi ſaponaceae indolis radicis Caricis arenariae indicia, cuius ſcilicet decoctum pariter maculas pinguedinoſas ſub ſpuma multa eluit (MERZ § 10.). Reliqua nonniſi experimentis in aegro corpore repetitis certo euinci poſſunt, quorum per partes enucleata parciora hactenus exſtant quam in votis eſt. Laudatur nominatim C. arenariae explorata vis in pituita aſperam arteriam grauante, in affectionibus rheumaticis et arthriticis (MERZ *l. c.* § 15.), in purpura chronica (GLEDITSCH *Wiſſ. d. roh. Arzn. vol.* 2. *p.* 409.), vt inde quidem inuoluendo, reſoluendo, demulcendo non infimum locum tueri probabile. Accedit largior ſudoris et lotii excretio, quae vſum comitari ſolet (GLEDITSCH *l. c.*).

Commodiſſime in decocto ingeritur. Nec tamen extracta ſpernenda ſunt.

CYPERVS.

CYPERVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 82. *Gen. pl. p.* 29.

537.

Pharm. CYPERI LONGI *Radix.*

Cyperus longus; culmo triquetro folioſo, vmbella folioſa ſupradecompoſita, pedunculis nudis, ſpicis alternis LINN. *Spec. pl. p.* 67. Cyperus odoratus radice longa ſ. Cyperus officinarum C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* Le Sonchet. Stirps perennis, creſcens in locis paludoſis Angliae, Scotiae (Conf. HUDSON. *Fl. Angl. p.* 17.), item Galliae, Italiae, ex quibus duabus regionibus radices pro pharmacopoliis vulgo petuntur.

RADIX ſicca eſt ramoſa, geniculata, teres, calamum anſerinum craſſa, annulis inaequalis diſtantiae transuerſim cincta, tenax cortice profunde bruno, fragili, parenchymate ligneo in fila diſcerpendo ex flauo rufo. Odor ſubfragrans non ingratus, ſapor amaricans et ſubadſtringens, aromaticus, calore modico os imbuens. Deſtillationis ope odorae partes aqua excipiuntur, nihil vero olei aetherei, niſi radicis magna copia adhibeatur, elicitur. Infuſa tam aquoſum quam ſpirituoſum imprae-

impraegnantur dotibus iam dictis, prout et extracta inde parata eo modo diſcrimine, quod ſpirituoſum alteri antiſtet amaritie et caloris ſenſu. Proportionem vtriusque non attinet de radice iam exoleti vſus indicare.

Virtute cum ſubſequente Cypero in plerisque conuenit.

538.

Pharm. CYPERI ROTVNDI *Radix.*

Cyperus rotundus; culmo triquetro ſubnudo, vmbella decompoſita: ſpicis alternis linearibus LINN. *Spec. pl.* p. 67. *Fl. zeyl.* p. 15. Cyperus Hodveg ALPIN. *pl. Aegypti* p. 112 *et* 113. Perennis, in aquoſis Nili, Indiae, Japoniae.

Κυπειρος DIOSCORIDIS (*M. m. lib.* 1. *cap.* 4.), vt vulgo putatur.

RADICIS nomine ſeruantur tubera ouata, oliuae circiter magnitudinis, annulis cincta vndique parallelis, transuerſalibus, cortice pallidius bruno, tenui, parenchymate albido, friabili. Adhaeret ſubinde extremis tuberum fibra calami frumenti craſſitie, iners, qua tubera olim iuncta fuerant. Odor ſubfragrans, ſapor amarior et calidior, quam

in

in praecedente et ſub prima guſtatione camphoraceus. Non igitur dubito, quin efficacior haecce radix ſit praecedente.

Extracti aquoſi maius pondus huic radici ineſt, quam iſti, ceterum nec hoc nec ſpirituoſum differt ad iudicium ſenſuum multo ab extractis Cyperi longi (Conf. CARTHEUS. *M. m. vol.* 2. *p.* 68.).

Vſitatior Cyperus rotundus olim in praxi medica fuit longo. Pauca valde a DIOSCORIDE et ALPINO de virtutibus C. rotundi in medium prolata ſcrutinio caſtae ſcientiae medicae minus reſpondent, vixque aliud docent, quam quod in Graecia et Aegypto magna in exiſtimatione fuerit. Rectius tribuuntur vtrique Cypero virtutes, quas amara cum aromate iuncta praeſtare ſolent, vt tamen agnoſcas neutram vim eſſe tantam, quin ſuperentur a multis aliis. Stomachicis iure annumerantur. Corroborandi Cyperi longi efficacia videtur adſtrictionis vi augeri.

Nomino modo adhuc duo compoſita, quorum inter multam aliam farraginem radix C. rotundi continetur. Sunt haec

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI *Ph. W. p.* 60.

SPECIES CEPHALICAE PRO CUCUPHIS *l. c. p.* 182.

ORDO

ORDO LI.

GRAMINA.

TRITICVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 108. *Gen. pl. p.* 40.

539.

Pharm. TRITICVM vel TRITICI *Semen.*

Triticum hybernum; calycibus quadrifloris ventricoſis laeuibus imbricatis ſubmuticis LINN. *Sp. pl. p.* 126. Triticum hybernum, ariſtis carens C. B. Triticum β, locuſtis quadrifloris glabris, baſi ſubhirſutis glumis ſubmuticis HALL. in *Comm. ſoc. ſc. Gotting.* 1774. *p.* 7. Icon: TOURN. *Inſtit. rei herb. tab.* 292. HALL. *l. c. tab.* 1. *fig.* 2. vbi ſpica modo partialis depingitur. Annuum. Procerius, perfectius. Pluribus culmis emergit floribus plerisque fertilibus.

Triticum aeſtiuum; calycibus quadrifloris ventricoſis glabris imbricatis ariſtatis LINN. *Spec. pl. p.* 126. Triticum aeſtiuum C. B. Triticum α. locuſtis quadrifloris baſi ſubhirſutis, glumis exterioribus floralibus ariſtatis HALL. *Comm. ſoc. ſc. Gotting.*

Gotting. 1774. *p.* 5. Icon: TOURN. *Inſt. rei herb. tab.* 293. HALL. *loc. cit. fig.* 1. vbi modo ſpicula. Annuum. Macilentum et debilius praecedente eſt. Culmos fert pauciores et flores pauciores perficit.

Ad HALLERI iudicium varietate modo, non ſpecie, differt inter ſe vtrumque, vt ex dictis intelligitur. Nempe ariſtae non omni tempore, nec omni loco in ſpica adſunt et longitudine vario gradu diſcrepant. Solum macrius, negligentior cultus, et ſatio ſeminum valde recentium prouentui ariſtarum fauere ſolet. Praeter culmorum et ariſtarum dictum reſpectum, magnitudo ſpicularum et granorum, color culmorum, glumarum et granorum, hirſuties ſpicularum rel. in Triticis varietates efformant multiplices; vnde ingens diuerſorum nominum vis, a loco culturae praeprimis deſumta. Ratio horum diſcriminum in ſolo et climate quaerenda videtur. De varietatum Tritici diſcrimine multiplici cum fructu leguntur obſeruationes MANETTI (*Delle Specie diverſe di Frumento et di Pane p.* 34 *ſqq.*) et HALLERI (*l. c.*). Omitto alias Linneanas ſpecies, vtique hinc inde oeconomis acceptas, nec reiiciendas, dum ſuppetunt, ex foro medico

medico, vt Triticum turgidum, monococcum, Speltam, quae proxime dicta vna cum T. hyberno et aeſtiuo prae reliquis cultu et vſu frequentatur.

Accidit Tritico, quod aliis iamiam ſuetiſſimis cerealibus, imo bene multis plantis culinaribus, quod inter quotidiana, quae indulgent hominibus commoda, et propagandi perficiendi et in ampliores vſus illa transferendi molimina, originis primae ſiue patriae memoria interciderit. Eruere iſtam ex veterum monimentis ſub iſta nominum, quibus frumenta inſigniuere, inconſtantia et a noſtris diſſimilitudine et characterum neglectu vix certe vacat. Triticum Πυρος Graecorum eſſe creditur. In Babylonia ſiue terra inter Tigrim et Euphratem ſita Triticum et Hordeum ſponte prouenire BEROSI fragmentum (ex ALEXANDRO POLYHISTORE deſcriptum a SYNCELLO *Chronograph. p.* 28.) memoriae prodidit, quod effatum ill. HEYNE (*Progr. de frugum et panificii initiis* in *Opuſc. vol.* I. *p.* 341. 377.) multis ſpecioſis argumentis ornauit. DIODORUS (*l.* 14.) vtrumque cereale tanquam ſpontaneum ad Aegyptum longe minus probabili fulcro innixus refert. Noſtro demum tempore omnium mentes mirifice perculit, quod LINNEUS (*Amoen.*

acad. vol. 7. p. 453.) ex HEINZELMANNI, tam hiſtorici quam botanici, pugillaribus Florae Samarienſis narraret, iſtum in Sibiria auſtrali ſiue campis Baſchkirrorum Triticum aeſtiuum et Hordeum diſtichum inter ſponte creſcentes ſtirpes reperiſſe, et quod ipſe LINNEUS huic narrationi robur variis argumentis addere tentaret. Nuperrime adeo Triticum et Hordeum ſpontaneum in Tauria variis locis montoſis praecipue inter Caraſſubazare et Allmetſchet, item ad originem fluuii Buryltſch inuentum fertur (*Deſcription phyſique de la Contrée de la Tauride, p.*190.). Nihil vero prohibet, quin ſuſpicemur, vtraque in terra proueniſſe frumenta iſta ex ſemine poſt culturam vel breuiori vel longiori interuallo antea ibidem adminiſtratam, dein vero neglectam, ſuperſtite et ſponte ſua poſtliminio ſeſe propagante (Conf. PALLAS *n. nord. Beytr. zur — Naturg. vol.* 2. *p.* 357.). Nam cerealia, qualia iam comparent, ſub vilioris et vulgaris graminis larua delituiſſe, formam autem cultus, ſenſim per aetates magis perfecti, adiumento mutaſſe veriſimilitudine omni caret. Id quum de ſpeciebus diuerſis valet, tum vel maxime cadit ridicula hypotheſis ante triginta et quod excedit annos recocta, fertilitate ſoli et coeli beneficio vilius frumentum

mentum in nobilius poſſe transmutari, e. c. Secale in Triticum, Auenam in Secale, macriori autem ſolo et inclementiori coelo praeſtantius frumentum in vilius degeneraſcere e. c. Secale in Hordeum, Hordeum in Lolium vel Bromum, quod ſi verum eſſet, vnum genus plantarum transmutaretur in alterum neceſſe foret, quae tamen quantum forma praecipue floris fructusque partim modo quo flores inſeruntur, differant, quilibet attentior perſpicit (Cf. LINN. *Diſſ. de transmut. frument.* in *Amoen. acad. vol.* 5. *p.* 106.). Ratio contra ea alienae ſegetis ea eſt, quod vel agro antea inhaeſerit vel admixta frumento iam ſerendo exſtiterit.

Triticum ex Sicilia in reliquas terras occidentales primo translatum eſſe, iuſta ſuſpicio eſt (HEYNE *l. c. p.* 355.). Colitur iam in omni Europa tam calidiori, vt Luſitania, quam frigidiori, vt Suecia, Ruſſia. Viget quoque in Perſia, terra Yemen, aliisque regionibus fertilibus, in Aegypto in Tingitanam terram vsque, Graecia, item America ſeptentrionali et in Chili et Peruuia. Molliora grana ſunt frigidiorum regionum, duriora et lapidea fere calidiorum, quae et optimum Triticum exhibent.

Saepe Triticum morbis quibusdam corrumpitur, in quorum natura expiſcanda et praeſidiis eosdem praecauendi et tollendi eruendis recentiores egregie deſudarunt, praecipue cll. TILLET (*Diſſ. ſur la cauſe qui corrompt les grains de bled dans les epis*) et TESSIER (*Traité des maladies des grains, p.* 199 *ſqq.* Conf. et IDEM in *Hiſt. de la Soc. R. de Med. de Paris, vol.* 4. *p.* 364 *ſqq.* vbi enucleatos morbos cerealium enumerat). Et horum quidem vnus puluere rubiginoſo foliis, culmo et glumis infeſtus eſt, ſenſim in granum ipſum ſaeuiente, Rubigo dici ſolet, (Gallis la Rouille, cuius effigies conſpicitur in TESSIER *Traité l. c. tab.* ad *p.* 215.). Reliqui, ſcilicet Caries, quae dignoſcitur granis griſeis puluere nigro repletis (la Carie, *l. c. tab.* ad *p.* 294.), et Vſtilago, quae loco granorum glebas fuliginoſas cum paucis glumarum albidis reliquiis in ſpicis gerit (Le Charbon *l. c. tab.* ad *p.* 299. Conf. egregias de hac obſeruationes cl. BJERKANDER in *K. Vet. Ac. Handl.* 1775. *p.* 317 *ſqq.*), quibus et a cl. TILLET Rachitis addita, granum ipſum praecipue perdunt. Hinc non ſolum inſigne decrementum lucrum ex granis et culmis Tritici patitur, ſed farina panisque in valetudinis damnum vitiatur, ita vt haec mala fermentationi panis aduerſa ſint,

et

et vſtilago cephalaeas, diarrhoeam, conuulſiones creauerit.

Sunt et varia inſecta, quae Tritico cladem, dum in agris verſatur, laruarum forma afferunt. Etenim quaedam depaſcunt virentem eius herbam, vt Tipula oleracea (BJERKANDER *Vet. Acad. Handl.* 1779. *p.* 161.), Elater ſegetis (ID. *l. c. p.* 285.), quae et alia frumenta eodem modo deſtruunt; alia excauant grana Tritici, vt Ichneumon culpatorius et Phalaena Tritici (ID. *l. c.* 1778. *p.* 335.). Collecta vero ſegetum grana ſaepe bonam partem Curculioni granario et Phalaenae granellae (*Faun. Suec. p.* 363.) in praedam cedunt (LINN. in *Vet. Acad. Handl.* 1750. *p.* 180. WILCKE *l. c.* 1776. *p.* 274 *ſqq.*). Farina tandem conſumitur Acaro farinae (MODEER in *Vet. Acad. Handl.* 1774. *p.* 68 *ſqq.*), Tenebrione Molitore, Phalaena farinali. Quin ne panis quidem ab hisce infeſtis hoſpitibus tutus eſt, quippe cui idem Tenebrio, Ptinus Fur, et hinc inde Blatta orientalis inſidias ſtruit. Hisce ſi addimus morbos frumentorum; errores agriculturae, qui multis locis obtinent; iniurias frumentis in agris allatas tempeſtatis inclementia, quadrupedum variorum, vt glirium, talparum, cricetorum, cuniculis vel voracitate, item auium, li-

 macum,

macum, gryllorum ſubinde depraedatione; damna porro, quae ex luxurie ſtirpium aduentitiarum exſurgunt, quorſum pertinent Agroſtema Githago, Chryſanthemum ſegetum, Sinapis aruenſis, Papauer Rhoeas, Conuoluulus aruenſis, Melampyrum arvenſe, Farfara, Vicia Cracca, Lolium temulentum, Triticum repens, Bromus aruenſis, Auena fatua, Equiſetum aruenſe, rel.; iacturam granorum ſub ipſa meſſe contingentem; rapinas glirium in granariis; communionem lucri, quam ipſi pagani, molitores, piſtores fraude ſibi vindicant; facilem granorum et farinae corruptelam a ſitu; tributum denique principi ſoluendum: nae adſtupendum eſt mirae naturae fertilitati, quae ſub tam inſigni tamque multiplicis generis iactura tamen hominibus tantum erogat, vt frumenta omnium reliquorum alimentorum valore cenſeantur viliſſimum, eorumque ad pretium reliquarum rerum pretia plerumque ſeſe accommodent.

SEMEN ouato oblongum eſt, longitudine ſeſquilineae, ſurſum gibboſum, deorſum ſulco longitudinali exaratum, antice cicatrice obliqua, poſtice villo exiguo diſtinctum, cortice flaueſcente, intra quem medulla ſ. farina albiſſima. — Colligitur

gitur vt quodlibet aliud cereale; ſcilicet ſectis falce culmis et in faſces colligatis hi in horreum transferuntur, vbi, quod ſuetiſſimum, per flagella, vel et calcando per iumenta, vel molendini ope excutiuntur grana ex ſuis ſpicis, dein agitantur vel molis ventoſis vibrantur, vt a glumis et peregrinis ſeminibus, vel iuſto leuioribus granis liberentur.

Duplicis eſt naturae farina triticea, vna eius pars accedit ad indolem animalem, glutinoſa dicenda; altera ad vegetabilem, amylacea. Glutinoſa pars collam glutinandi vi refert, aqua non ſoluitur, putredine correpta foetet inſtar caſei antiqui vel cadaueris, multum alcali volatilis continet. Quod cl. BECCARII inuentum iam a. 1728. factum (Vid. *Inſtit. Bonon. Comment. tom.* 2. *P.* 1. *p.* 122 *ſq.*), confirmatum ſerius a multis aliis, cll. MODEL (*Fortſ. ſein. chym. Nebenſtund. p.* 62.), KESSELMEYER (*Quorundam veget. princip. nutriens, Argent.* 1759.), PARMENTIER (*Experiences et reflexions relatives à l'analyſe du Bled, p.* 59 *ſqq.*) aliisque. Huius vnciae duae cum quinque drachmis in libris duabus farinae triticeae continentur, et obtinetur lavando farinam ope aquae tepidae, affuſae per vices,

 donec

donec non amplius lacteſcat; reliquum eſt gluten ſubelaſticum pallide brunum (MODEL *l. c.*). Altera pars ſiue amylacea poſt fermentationem aceſcit, cum alcali efferueſcit et rufat tincturam Violarum, aquam modo lacteam reddit niſi cum ea coquatur, quo ipſo in pultem viſcidam abit. Facile haec a priori ſegregatur maceratione granorum integrorum vel rudius comminutorum in aqua ad emollitionem vsque. Qua facta ſacculo linteo maſſa includitur et calcatione pedum intra lacum ligneum aqua repletum et infra epiſtomiis ſuis inſtructum et defuſa affuſaque per vices aqua exprimitur amylum, donec aqua defluens non amplius lacteſcat. Aqua amylo foeta et alio vaſe excepta intra nychthemerum ſubſidere ſinit amylum et poſtquam clara euaſerit, per laterales canaliculos demittitur, amylum autem ter vel quater iterum eluitur noua aqua affuſa, vt odor ingratus pereat. Tandem ſeparata ſuperiori amyli parte, quae griſea eſt, reliqua vel expreſſione repetita lintei rudioris pluries conduplicati vel ſuper cribri ſpecie paullum exſiccatur, vt in portiones quadratas diſſecari queat, dein vlterius ſolis vel aëris perflantis vel concluuis calefacti vi, ſiccandas, tum diffringitur (Conf. *Fabrique de l'amidon par* DUHAMEL DE MON-

CEAU

CEAU 1772.). Foecula ſimilis ex Spelta eruitur; quam Hordeum largitur flauida eſt; obtinetur et ex ſeminibus Fagopyri, Hippocaſtani, ſtirpium leguminoſarum rel. item radicibus variis, vt Ari, Bryoniae, Tritici repentis, Filipendulae, Lathyri tuberoſi, Colchici, Solani tuberoſi rel.

Amylum oeconomicis potius vſibus, quam medicis, inſeruit. Ad lintea enim poſt lotionem, item texta varia ex goſſypio vel lino teneriori parata, firmanda, ad conglutinandos libros et chartas luſorias, ad fercula varia culinarum et panes piſtorum dulciariorum, adhibetur. Contritum in tenuiſſimum puluerem capillis peſſimo luxu inſpergitur, nec ſine omni valetudinis offenſa, tum praecipue ſi variis additamentis coloris vel odoris cauſa factis, vt ceruſſa, calce, oleis odoris, corrupta fuerit (REUSS *Unterſuch. der Eigenſchaften und Wirkungen eines ächten und verfälſchten Puders,* 1781.). Nominatim nocet iis, qui achoribus capitis laborant, vt qui intempeſtiue inde exſiccantur. Vulgo et contra intertriginem puſionum inguinibus vel axillis applicatur; ſed conſuetudine haud laudanda, quum inde ſaepe ſcabies exorta fuerit (LINN. *Amoen. vol.* 5. *p.* 95.). Clyſmate exceptum

innoluendo diarrhoeas et dyſenterias lenit. Recipiunt illud ſpecies diatragacanthae frigidae et inſpergitur paſtis in officinis ne modulis agglutinentur, exemplo paſtae Glycyrrhizae, Althaeae. Nebulae (Oblaten) quoque inde parantur, quarum vtilitas ad obſignandas litteras huius quidem non loci eſt, ſed iſta omnino, qua pulueres palato diſplicentes obuoluunt, quo ſine non ſufficit eas emollire aqua, ſed vt tanto facilius bolus degluatiatur, nec crepans ſtimulo ingratiſſimo offendat, gelatina vel Robe grato eam oblinire antea conuenit. — Furfures et aqua acidiuſcula poſt praeparationem amyli reſidua ſaginandis ſuibus et bobus valet.

In polline, in quem molendini ope grana rediguntur, reiectis furfuribus vtraque modo dicta et glutinoſa et amylacea pars iungitur. Huius farinae pro pane ſumma dignitas eſt. Quo autem glutinoſa viſcidaque pars attenuetur, haec cum altera intime ſeſe commiſceat, et vtraque facile tam a ventriculo digeratur, quam humoribus noſtris recipiatur et melius nutriat, nec flatulentia generetur: fermentatione praeuia farinae aqua humectatae beneque ſubactae opus eſt. Hinc qui Triticum crudum auidius comedunt infarcto et

tumido

tumido abdomine languent et hydropem contrahunt (VAN SWIETEN *Comment. vol.* 4. *p.* 108.). Panis azymus, h. e. ſine fermentatione paratus, aluum adſtringit. Fermentationem adiuuat fermentum, quo ſine heic fex cereuiſiae commoda. Succedat tempeſtiue, ne vltra limitem iuſtum reſoluatur farina, coctio, ſub qua panis poroſus euadit. In auſtralioribus regionibus panis triticeus vulgatiſſimus, in frigidioribus ſecalinus. Nec rara farinae triticeae et ſecalinae pro pane parando ſub varia proportione miſcela, pro cuius diuerſitate color vel albidior vel magis griſeus, qui in mere triticeo omnino albus eſt. Magis nutrit triticeus, quam vllus alius, ob lentorem vero, qui ineſt, aluum in debilioribus ſtipat, et acres in primis viis vel profundius haerentes ſtimulos blande obuoluit; hinc in profluuiis aluinis magis, quam reliquae ſpecies panis, conducit. Acidum quoque ob alcalinam naturam frangendo hypochondriacis et hyſtericis ſalubrior eſt pane ſecalino. Panis bis coctus omni humiditate priuatus eſt, hinc diutius ſeruari absque corruptela poteſt, et, quoniam in arctius volumen nutrientem partem contractam continet, reliquis panis ſpeciebus nutriendi potentia antiſtat. Tam vero facile concoquitur a ventriculo,

triculo, vt et infantibus recens natis nutrimentum ſalutare loco lactis nutricis praeſtet, modo bene aqua coctus per cribrum vel linteum ſubtile tranſigatur; liquidum, quod tranſit, frigore in gelatinam denſatur, tepore autem deliqueſcit, huiusque cochlearia duo vel tria cum cochleari vno lactis et tantillo ſacchari mixta infanti per portiones cochleari paruo ingeritur (*Zürch. med. Magaz. ann.* 2. *p.* 569.). Maxime vero nocent hisce pultes iſtae ex farina coctae acore, in quem degenerant, glutinoſa natura ſua, quibus vitiis grauant ventriculum, glandulas meſenterii obſtruunt, ſub intumeſcentia abdominis flatulenta maciem reliqui corporis cient, et rachitidi opportunitatem praebent. Ex pane biscocto iuſcula quoque parantur in febribus commoda, acore et ſaccharo gratiora, et, dum vires refocillandae, vini tantillo permiſcenda.

Pane ex frumentis etiamſi quotidie vtamur, faſtidium tamen non parit. Et vix aliud alimenti genus exſtat, quod hocce ſalubritate aequet, ſiue animalis ſiue vegetabilis cenſus ſit; quicquid cl. LINGUET (in *Annales politiques civiles et litteraires du dixhuitieme Siecle, tom.* 5. *n.* 39. *p.* 429. cum qua diſputatione confer reſponſionem cl. TISSOT, *Lettre à Mr.*

à Mr. HIRZEL *ſur le bled et le pain* 1779) ingenii potius ludibrio, quam veri filo ductus contradixerit. Facillime bene coctus digeritur, egregie et cum ſtabilitate nutrit, nec niſi vitio frumenti ipſius vel panificii vel copia nimia vel calide ingeſtus nocet. Nec conducit eius vnice vſu acquieſcere; nam ſolo pane veſci in connubio aquae per plures dies poenae loco eſſe conſtat. Studio deditaque opera cum pane vel ſolo cum aqua ingeſto, vel cum parca alius cibi quantitate in ſemet ipſe inſtituit multa experimenta cl. STARK (*Works conſiſting of clinical and anatomical Obſervations, Lond.* 1788. cuius libri verſio German. modo coram eſt, *Klin. u. anatom. Bemerkungen nebſt diätetiſchen Verſuchen* 1789.), vt eiusdem in valetudinem vis pateſceret, horumque ſingulis plures continuos dies inſumſit. Pane ſolo largius cum aqua capto (*l. c. p.* 136 *ſqq.*), opus fuit integram diei deſtinatam quantitatem vnciarum viginti, triginta vel triginta octo, in plures portiones diuiſam edere, quum alias ructus ſubinde, flatus, nauſea, appetitus defectus incideret, opus quoque fuit copioſo potu, ne ſitis moleſta eſſet. Peius res ceſſit iuncto ſacchari largiori connubio, quod ipſum neque cibi cupiditatem ſedauit, ſed famem potius inſignem excita-

excitauit, vlcuſcula oris generauit, gingiuas inflammauit et intumeſcere fecit, variaque reſoluti ſanguinis indicia produxit (*l. c. p.* 141.). Similia varia ex melle contigerunt (*l. c. p.* 208 *ſqq. p.* 216). Inter prandia vtiliter iungitur panis vel interſeritur ferculis pinguibus, vt cuius ope ob mucilaginoſam naturam pinguedinis cum aquoſis miſcela adiuuatur; aromatum quoque vim frangit, et corruptelam ex victu animali nimis copioſo oriundam temperat. In regionibus, quibus noſtra frumenta deſunt, indigentiae prouidit benefica natura aliis prouentibus vegetabilibus, Oryza, Zea, Milio, Sorgho, Artocarpo, Sagu, radicibus eſculentis, Solani tuberoſi, Dioſcoreae, Iatrophae Manihot, Lichene Iſlandico &c. Quibus dirius fatum contigit vel ſitu regionum nimis ſeptentrionali vel annonae charitate, hos confugere coëgit dura neceſſitas ad cerealium partes minus nutritias, vt id, quod poſt cereuiſiae coctionem reſiduum, vel ſpicas granis maturis caſſas vel culmos, quibus contritis admiſcetur pauxillum probae farinae frumentaceae, item ad magis adhuc a noſtra natura aliena, vti medullam Scirpi lacuſtris, ſemina Elymi arenarii, radices Menyanthis trifoliatae, Callae paluſtris, cortices varias arborum, Pini ſylueſtris, Betulae

albae

albae &c. Saltim Fennones ſubinde hisce alere vitam coguntur (Vid. HELLENII Diſſ. *om Finſka Allmogens Nödbröd, Åbo* 1782.).

Non huius loci eſt percenſere omnia panis ex Tritico vel aliis cerealibus cocti nomina ex forma, farinae ſubtilitate diuerſa, additamento vel tractatione varia petita. Taceo quoque Italorum artificia varia, quae et in Germania nominatim Norimbergenſes probe imitati ſunt, tractandi farinam triticeam cum aqua ſubactam, vt inde paſtas varias, quas Vermicelli (Nudeln), Macaroni, Taglioni, Feſtuciae, Andarini &c. vocant, condant; quae ipſa poſt exſiccationem diu ſeruari poſſunt, et ad varia fercula extemporanea commoda ſunt (De hisce cf. cl. MALOUIN *Deſcription et details des arts du Meunier du Vermicellier et du Boulanger.*).

Farinae triticeae inſuper vſum multiplicem in culinis pro placentis, iuſculis &c. quis ignorat? Farina rudius molae ope comminuta Alica (Germ. Gries) vocatur. Sunt et huius plures ſpecies teneriores et rudiores, optima iſta, quae ex parte corculo proxima elicitur. In ſpecie, quam coram habeo, quasdam particulas vndique albiſſimas, deprehendo, in aliis veſtigia corticis conſpiciuntur.

Farina

Farina eximia inde parari poteſt, item in culinis puls, iuſcula, placentae. — Supra ſpeciei Sagu, quam Mauri ex farina Tritici parant, memini (*Appar. med. vol.* 5. *p.* 19.).

Vt aliae farinae haec ipſa ſiccata probe extus ſcopo diſcutiendi tumoribus oedematoſis et eryſipelatoſis applicatur. Cocta in cataplaſma emollit et ſuppurationem ciet. Domeſticum quoque eſt ad maturationem abſceſſuum accelerandam, ſicut in emplaſtro ex farina cum melle ſubacta.

Mica panis triticei ſiue pulpa mollis, ex cruſta enucleata, ſcite acria quaedam medicamina excipiuntur, quorum vis lente modo euolui debet. Exemplum praebent pilulae ſic dictae magnae HOFFMANNI, quae mercurium ſublimatum corroſiuum aqua ſolutum comprehendunt, quod vehiculum auertit multa incommoda a ſolutione liquida per os capta alias emergentia; item cataplaſma a cl. DUNCAN (*Medical Caſes, ed.* 3. *p.* 198.) in tinea capitis tentatum, cui pariter ineſt acre iſtud mercuriale praeparatum. Vſitatius eſt, micam panis lacte in cataplaſma coctam maturandis abſceſſibus tepide applicare, quod ipſum longe praeferendum emplaſtris ad hunc finem alias commendatis. Si ſtimulo

ſtimulo opus eſt, addi iſti poteſt Crocus, Mel, Gummi Ammoniacum, Cepa et ſimilia. — *Decoctum album* SYDENHAMI, quod auctori in dyſenteria (nam aliud etiam vſurpabat) placebat, vna cum cornu cerui micam panis albiſſimi recipiebat.

Furfures calide applicati oedemata pedum diſſipant. Addi ſolent pediluuiis calidis emolliendi ſcopo. Cocti cum aqua emolliendo in clyſmate laxant.

Supereſt, vt de Tritici ad cereuiſiam vſu moneam, cui multis locis indulgent. Quum vero cereuiſia hordeacea longe vulgatior ſit: aptius, quae ad cereuiſiae generalia pro inſtituti ratione ſpectant, capite Hordei commemorabuntur. Coquitur ex Tritico vel ſolo vel in connubio Hordei cereuiſia, vel addito Lupulo vel eo omiſſo. Bene quidem triticea cereuiſia nutrit, ſed facile flatus generat magisque, quam cereuiſia ex Hordeo, in acidum inclinat, lotium pellit efficacius minusque calida eſt, quam hordeacea ſaltim lupulata. In Germania inter triticeas cereuiſias clarent iſta Breyhan dicta, Goſa Goſlarienſium, Duckſtein Brunſuicenſium aliaeque; Angli quoque cereuiſiam Ale inde parant.

540.

Pharm. GRAMINIS *Radix.*

Triticum repens; calycibus quadrifloris ſubulatis acuminatis, foliis planis LINN. *Syſt. veg. p.* 109. Triticum repens, glumis mucronatis ariſtatisue, ariſtis ſpicula breuioribus SCHREB. *Beſchr. u. Abbild. d. Gräſer, p.* 24. Gramen caninum aruenſe ſ. Gramen Dioſcoridis C. B. Gramen loliaceum radice repente, ſ. gramen officinarum MONTI *Catal. ſtirp. Bonon. prodr. p.* 41. Mox *α, muticum:* MONTI *icon* 25. vbi ſiſtitur modo ſpicula ſolitaria; mox *β, ariſtatum*, cuius icon in *Fl. Dan. tab.* 748. Vtrumque cum aliis multis varietatibus intermediis deſcribit et depingit SCHREBER *l. c. tab.* 26. Gramen perenne ad ſepes crebrum, peſtis quoque vulgaris agrorum et hortorum, vtpote quum vicinas plantas radicum luxurie ſuffocet, vt fieri a ſtirpibus radice repente ſolet.

Incaute confundunt illud, nominatim muticum, cum Lolio perenni L. ſed in hoc proxime dicto calyx monophyllus nec diphyllus eſt, et ſpiculae latus, non ſuperficiem, rachi intermediae obuertunt. Non vbiuis radix Graminis officinarum

rum a dicto Tritico colligitur, certe hoc fit multis Germaniae locis, item in Suecia. Alibi Panicum dactylon L. ſ. Panicum dactylon radice repente ſ. officinarum SCHEUCHZ. loco prioris in vſum vertitur; vt in Italia (teſte SEGUIERO apud LINN. *Diſſ. Obſ. mat. med. p.* 6.), in Gallia, ſi fides iconi cl. REGNAULT in *Botanique*, item in Marchia Brandenburgica (LÖSECKE *auserl. Arzn. ed.* 4. *p.* 50.). Craſſior adeo et dulcior eſt haecce radix, quam altera (*l. c.*). Sed nec defraudanda altera ſuo pretio eſt.

RADIX ſubramoſa, vndique ſeſe horizontaliter diſpergens, filiformis, culmum frumenti, dum recens eſt, craſſitie aequans, longiſſima, glabra, geniculata, geniculis fibroſis, ex flauo alba. Sapor tam recentis quam ſiccae ſubdulcis.

Libra vna harum radicum circiter vncias quinque ſucci expreſſi erogat, qui facile fermentationem ſubit, qua finita liquor vinoſus dulcis, non tamen palato placens emergit. Continuata fermentatione et fermento addito aceſcit (HOFFMANN in CRELLS *Beytr. zu den chym. Ann. vol.* 3. *p.* 124.). Conciſa et contuſa radix cocta et fermento miſta ſpiritum vini exhibet, ſpiritui vini non cedens. Cereuiſiae pariter ſpecies inde redundat (IDEM). —

Foecula inde emergens ſoluitur aqua bulliente, quae dum refrixerit gelatinoſam ſubſtantiam exhibet (PARMENTIER *ſur les vegetaux à ſuppleer en temps de diſette*). Succus elicitus dulcem quidem ſaporem prae ſe fert, ſed in ſolidum ſaccharum non concreſcit (MARCGRAF *chym. Schriſt. vol.* 2. *p.* 85.). Acido nitri tractatus acidum ſacchari ſuppeditat (HOFFM. *l. c. p.* 126.). Saccharinis pariter ac nutrientibus particulis inſtrui hancce radicem dicta declarant.

Ad alenda pecora, boues praecipue, radicem aptam eſſe experientia conſtitit, quum contra ea oeconomi incurii nonniſi comburere ex agris euulſam ſciant. Abluenda ſcilicet radix, ſiccanda, dein conciſa poſtquam fuerit, aqua calida humectanda, vel cum ſtramine conciſo vel furfuribus vel aliis commiſcenda eſt. Pro pane quoque hominibus ſub annonae caritate commendata radix ſiccata, mola contrita et farinae pauxillo combinata (LINN. *Skånſka reſa p.* 35. BERGIUS *Rön om Spanmåls briſtens ärſättning medelſt Quickrot, Stockh.* 1757. 4.). Hinc vtut infeſtum gramen hoc locis alienis creſcens, tam foeni cauſa, quod bis ſecari per annum poteſt, quam radicis, ſolo molliori et fertiliori

fertiliori vt cultura adiuuetur, etiam atque etiam ſuadendum (BENGT BERGIUS *Tal om Svenſka Angſkötſeln, p.* 65.). Et haec conciſa recente radice facile ſuccedit (*l. c.* item BLOM in *Vet. Acad. Handl.* 1782. *p.* 244.).

Sed vi blande reſoluente, aperiente et demulcente iam dudum in re medica inclaruit. Hinc ptiſana inde parata pro potu ordinario in febribus acutis familiaris, inprimis apud Gallos eſt. In obſtructionibus viſcerum reſerandis haud mediocre remedium eſt, et nominatim in ea hepatis magni eam fecit BOERHAAVIUS (HALL. in *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1426.). Nec deſunt recentiorum de efficacia hocce in morbo praeconia (KNIPHOF *Diſſ. de Gramine leuidenſi et praecellentiſſimo, p.* 16.). In ictero periodico a calculis felleis profuit decoctum, etſi non ſine aliorum commodorum connubio, ſecedentibus deiectionibus virideſcentibus et lapillis quaſi comminutis (SEIP Diſſ. *Sylloge Obſſ.* in TOD. *Bibl. vol.* 9. *p.* 478.). Eundem effectum in ſoluendo calculo biliario expertus eſt LÖSECKE (*l. c. p.* 251.). Intermittentibus febribus Hafniae vigentibus egregie decoctum ſubuenit vi ſua digeſtiua (TODE *Bibl. tom.* 5. *p.* 186.). Ita ſanauit deco-

ctum ſale polychreſto et foliis Sennae ſtimulatum virum habitus mali et alui torpidae, iam per annum quartana contra corticem Peruuianum rebelli laborantem (ID. in *Bibl.* ſed excidit locus). Nec minus in pituita, pulmones grauante et tuſſim et aſthma excitante, prodeſt. Praeter decocti ſaturati formam, hodie quam maxime placet

EXTRACTVM ſ. MELLIGO GRAMINIS. Paratur inſpiſſatione ſucci expreſſi. In hunc finem non conducunt vaſa cuprea vel ferrea, quum inde ſemper aliquid ſoluatur, ſed inſpiſſatio fieri debet in vaſe vitreo. Si haec continuatur ad craſſitiem mellis, mel magnopere refert, et extractum in ampullis vitreis ſeruatum deponit poſt aliquot hebdomades materiem grumoſam ſaccharinam aqua facile ſolubilem (HERMBSTÄDT in cl. SELLE *Beitr. z. Natur- u. Arzneywiſſ. vol. 3. p. 30 ſq.*).

Recipiunt porro hanc radicem RADICES QUINQUE APERIENTES MINORES, item inter tot alia SYRUPUS ALTHAEAE FERNELII.

SECALE.

S E C A L E.

LINN. *Syſt. veg. p.* 107. *Gen. pl. p.* 39.

541.

Pharm. SECALE v. SECALIS *Semen.*

Secale cereale; glumarum ciliis ſcabris LINN. *Spec. pl. p.* 124. *α.* Secale hybernum vel maius C. B. *β.* Secale vernum ſ. minus ID. Diſcrimen vtriusque varietatis in ſtatura diuerſa conſiſtit, poſterius quoque ſtrigoſius eſt. Icon: REGNAULT *Botan.* Le Seigle. Gramen annuum. Altiſſimum et firmiſſimum inter cerealia, vt ſex ad decem pedes aliquando attingat.

Coniecturas de patria Secalis, agens de Tritico, iam in medium protuli. In Creta ſpontaneum eſſe, vno verbo in *Syſtemate veg.* (*l. c.*) LINNEUS adiecit. Paſſim, ſed rarius in deſerto Cumanico ſolo pingui nec non inter fluuios Don et Wolga, vbi nunquam aratro vſi ſunt, ſubinde Secale offenditur; ſed ex raritate et ſitu probabile ſit, emerſiſſe illud ex granis caſu delapſis (PALLAS *N. nord. Beyträg. z.* — *Naturgeſch. u. Oekon. vol.* 2. *p.* 359.).

Cultura huius exercetur abundantiſſime regionibus praecipue Europae frigidioribus, parcius in calidioribus. Subinde mixtim cum Tritico ſeritur, vnde imbecilliores Tritici culmi ſuſtinentur, et panis materies tanto praeſtantior meſſe colligitur.

Secale, cuius PLINIUS (*Hiſt. nat. lib.* 18. *cap.* 16.) meminit, videtur frumentum a noſtro diuerſum eſſe; etenim deſcribit illud nigrum amarum, ad arcendam modo famem vtile et, etiamſi farre mixtum, ventri ingratiſſimum.

Praeter Rubiginem (Rouille; TESSIER *Traité des maladies des graines*, *p.* 19.), quam cum aliis frumentis communem habet, Secale pernicioſo valde alio morbo tentatur, Clauo ſecalino, Secali corniculato ſ. cornuto, Secali luxuriante, (Gall. Ergot, Blé cornu, Germ. Mutterkorn, Kornzapfen, Blekingis in Suecia Mjöldrufvor, aliis ibidem Mjöldryor, item Mjöldrygor, Mjölökor v. Bockhorn). In hoc excreſcentia vna, ſaepe plures ad ſex vel duodecim ſupraque vsque, in eadem ſpica conſpicitur, ſubteres medio nonnihil craſſior, aliquantum recuruata apice mox obtuſo mox acuto, ſolidioris frumento compagis, ſaepe interne cauis exiguis pertuſa, extus profunde violacea, intrinſe-

cus

cus alba, magnitudinis ſubinde minoris, quam in grano ſecalino ipſo, ſubinde vero longitudinis pollicis vnius ad ſeſquialterum, latitudinis vnius vel duarum linearum. Facile dignoſcitur effigie (in TESSIER *l. c. tab.* ad *p.* 188. et alia ab eo praeſtita in *Mem. de la Soc. med. de Paris, tom.* I. *tab.* 4.). Nonnunquam et alia gramina eodem infeſtantur, vt Phalaris Canarienſis, Auena elatior, Feſtuca fluitans, Lolium temulentum, Triticum repens, Phleum pratenſe et alia plura, imo Hordeum et Auena, quin Triticum (TESSIER *l. c. p.* 29.), ſed praecipue huic labi Secale obnoxium eſt. Quo humidior tempeſtas, eo vberior eius prouentus. De eius origine inſigne ſententiarum diuortium. MONETA (in TISSOTI *Epiſtolis medico-pract. edit.* 2. *p.* 486.) iudice nihil eſt, quam luxurians granum ſ. giganteum. OTTONI A MÜNCHHAUSEN veroſimile viſum, fungi ſpeciem ſeu Clauariam eſſe. Sunt alii, qui ex punctura inſecti congeſtionem humorum ibidem contigiſſe arbitrantur, e. c. DAN. GOTTFR. SCHREBER (*Samml. öconomiſcher Schriften, P.* 12. *p.* 481. *P.* 14. *p.* 354.), TILLET, READ, vt taceam alias explicationes. Hactenus vera originis ratio nondum euicta. Numero maiori collecti hi claui, praecipue recentes, ſpirant odorem viroſum, imo

ipſe puluis. Sapor modice linguam pungit. Panis coloris ſaturate violacei eſt, odoris ſaporisque ingrati, nec tam auide abſorbet aquam farina hocce vitio inquinata, quam alia, quae eo deſtituitur (TESSIER). Infuſione horum clauorum cum aqua ſuperficies eius tegitur cuticula pingui odoris foetidi (TESSIER *p.* 56.). Puluis aqua humectatus nihil glutinoſi prodit in paſta, qua in re cl. TESSIER cum cl. MODEL (*Fortſ. der chym. Nebenſtund.* *p.* 56.) in multiplici circa alia analyſeos momenta diſſenſu conuenit. Tingens eorum pars partim aqua partim alcali fixo cauſtico extrahitur. Vt paucis diſcrimen inter clauorum ſecalinorum et ſecalis naturam pateat: ſic habeto. Claui iſti nuper deſcripti (non alii infra dicendi) continent principium odorum valde foetidum, aërem fixum, aërem inflammabilem, magnam quantitatem olei dulcis, exiguam portionem materiae extractiuae gummoſae, quae mutationi valde obnoxia eſt, et facile in alcali volatile degenerat, exiguum terrae; Secale autem multum mucilaginis ſub analyſi exhibet, pauxillum modo olei, ſpiritum acidum, et ad finem deſtillationis aperto igne factae, exiguum alcali volatilis, ſed longe plus alcali fixi ex cineribus eruendi (TESSIER *p.* 58.).

Vitio

Vitio huic Secalis multi medici miſeriis iſtum plenum morbum, ſpaſmodicum epidemicum, adſcripſerunt, quin ſphaceloſam labem artuum, imo naſi, epidemicam, quae poſterior aliquando nullum cum priori morbo nexum habuit. Huius malignitatis clauos ſecalinos reos fecere SCRINCI, morbum ſpaſmodicum in Bohemia graſſantem deſcribens (*Med. Sileſ. Satyr. ſpec.* 4. *Obſ.* 5. *p.* 54.), SALERNE (*Mem. preſ. à l'ac. R. d. ſc. vol.* 2. *p.* 155.) de ſphacelo illo vnice agens, TISSOTUS (*Epiſt. medico-pract. p.* 490.), qui vtrumque morbum ad clauos iſtos refert, aliique. Nolo ad vetuſtiores iudices regredi: ſed memorandum quicquid dubii ſerius ſententiarum diuortium excitare potuerit, ex eodem fonte morbum conuulſiuum epidemicum nuper adhuc deriuaſſe cll. LINDVALL et BERGIUM (*Veckoſkrift för Läkare och Naturforſkare, vol.* 7. *p.* 61. 65.). Ad dirimendam litem, quum difficilius experimenta in hominibus ex inſtituto capi poſſint: crederet aliquis, alia in brutis facta ſubſtitui horum in locum non male poſſe. Sed ambiguos nos reddit diuerſitas inſignis euentus notati, quum ſint, qui ab vtraque parte militent. Liberat ab hacce accuſatione clauos ſecalinos cl. MODEL (*l. c. p.* 54 *ſqq.*), quum illos cum alio frumento commiſtos impune

columbis

columbis proiecerit, nec ſub hoc connubio in panem ſubacti et cocti nocuerint. Cl. SCHLEGER (*Progr. clauos ſecalinos perperam a nonnullis venenum morbique rigidi cauſam nominari, Caſſellis* 1772.), experimentis in muſcis, canibus, gallinis, in ſue, oue et carpionibus factis, item ex applicatione ad vulnus recens in digito hominis facta, innocuos declarat, etſi non negat ex maſticatione ſenſum punctionis percipi, et puluerem naribus attractum easdem inſtar Tabaci fortis vellicare, et monet, ſi quid noxae haberet, exiguam iſtam futuram, quum tam parua quantitate cum frumento mixta eſſet, plurimam enim partem vel in agro decidere vel in horreo. Cl. PARMENTIER (*Obſervations et additions aux Recreations chimiques de Mr.* MODEL *p.* 425 *ſqq.*) experimenta in brutis quibusdam inſtituit, ſcilicet in columba, gallina, cane, quae omnia nihil mali paſſa ſunt ex connubio clauorum ſecalinorum cum aliis alimentis, vel dum contriti cum farina in panem verſi fuerant. Alii nullum aliud malum acceſſiſſe animalibus ex eſu experti ſunt, quam conſtipationem alui, et inde exortam inflationem ventris. Hancce moleſtiam obſeruauit in duobus canibus cl. SCHLEGER (*l. c.*). Quod vnicum incommodum quoque in Suecia notauit cl.

WÅHLIN

WÂHLIN (*Vet. Acad. Handl.* 1771. *p.* 39.) — Propius ad diiudicandam vim clauorum omnino accedit exploratio eiusdem in ipſo humano corpore. Memorabile igitur, quod cl. PARMENTIER (*l. c. p.* 427.) narrat, ſe ipſum per hebdomadem mane ieiunum dimidiam drachmam eorum, item carnem columbae et gallinae ſupra dictarum impune ingeſſiſſe. Memini quoque me legiſſe (locus excidit), duos mendicos per octo dies pane clauis hisce impraegnato ea quantitate vſos eſſe, vt quotidie vncia vna cum tribus drachmis clauorum caperentur, idque ſine damno, non excluſo tamen alio cibo. Ita cl. SCHREBER (*Samml. öcon. Schriften, P.* 14. *p.* 362.) ſine noxa pluries vitioſa haecce grana per agros inambulando deglutiuit.

Sed quam contrarii hactenus dictis ii euentus, qui aliis ſub experimentis apud bruta obuiam venerunt. Clmo. SCRINCI (*l. c. p.* 55.) narrante, canis pane deuorato ex Secali corniculato cocto inter horrendos ſpaſmos periit, quod idem accidit porcis, anſeribus, gallinis ex eadem dape. Sus, quam cl. SALERNE (*l. c. p.* 156.) Hordeo cum parte tertia clauorum ſecalinorum mixto ſaginandam curauerat, ſub inflationis ventris et gangraenae

variis

variis partium internarum veſtigiis, mutato etſi poſtea pabulo ob defectum clauorum, interiit. Ita ex peregrina communicatione pulli gallinacei duo necati et ſus, praeuia iactura pedum et aurium, ſimili pabulo. Eadem de alia ſue a cl. READ (apud TESSIER *l. c. p.* 91.) memoriae prodita, qui et decoctum ſaturatum melle mixtum illico muſcis necem attuliſſe exponit. Sine dubio longe maiorem accurationem adhibuit ſub experimentis ſuis, quae et reliqua numero ſuperant et momentorum varietate, ſubiuncta anatome, cl. TESSIER (*l. c. p.* 105 *ſqq.* Cfr. et *Mem. de la Soc. de Medec. de Paris, tom.* 2. *p.* 587. vbi recuſa exſtant experimenta eius, quae ſpectant ad damnum animalibus allatum aliaque, quae eorum taedium aduerſus eſum Secalis corniculati demonſtrant.). Cum alio frumento commiſti hi claui anates duas, meleagridem et duas ſues iuniores, gangraena praeuia exſtinxerunt. Alia animalia panem inde cum farina paratum omnino repudiarunt, nec fame quidem ad illum deuorandum cogi potuerunt. Vt ne vero exiſtimaretur eam nocendi vim vnice recenti Secali corniculato competere, aliis experimentis in anatibus et gallinis ab eo captis conſtitit.

Difficile

Difficile valde eſt conciliare duo tam diuerſa de clauis ſecalinis poteſtate effata, et errores ex alterutra parte in experimentis commiſſos detegere. Si qua concluſio ad ſimilem apud homines labem inde deducenda ſit, fateor ſymptomata maligna apud animalia percepta potius aliquam de origine epidemiae iſtius gangraenoſae lucem accendere, quam de origine morbi conuulſiui epidemici, qui ſua natura differre videtur. Sed quidni credamus ipſos illos clauos alio tempore eſſe funeſtos, alio innocuos, Nempe in ditione Cellenſi iis in locis, vbi morbus viguit, claui iſti interne coeruleo griſei, tenaces cum odore nauſeoſo mucido et ſapore cauſtico exſtiterunt; alibi vero praecedentibus annis collecti albi, farinoſi, inſipidi fuerunt (TAUBE *Geſchichte d. Kriebel-Krankheit, p.* 163.). Et curne ſuſpicemur, eandem deleteriam cauſam, quae ipſa grana Secalis cerealis vitiat, et farinam iis impertit coeruleo-griſeam tenacem, odorem mucidum, ſaporemque acrem, eadem germinandi potentia priuat (Vid. *loc. cit.*), etiam Secali cornuto labem adſpergere. Virus clauorum corruptorum additamento ſani frumenti omnino infringitur, prout aqua nequitiam ipſius Mercurii ſublimati, et Arſenici minuit: attamen protractiori vſu lenti

veneni

veneni inſtar conſiderandum arbitror. Nec paganorum diſpendium nullum hoc eſt, etiamſi liberes clauos hosce a veneni acris, conuulſiones excitantis, infamia, quod in ſpicis locum granorum ſecalinorum occupent; nempe in Solonia (Sologne) Galliae aliquando quartam vel tertiam partem meſſis effecerunt (TESSIER *l. c. p.* 179.). Et, quum in horum miſcela panis nec poroſus euadat, nec ob defectum mucilaginis in Secali cornuto rite nutriat: intelligitur omnis generis clauos ſecalinos cribro vel vanno eſſe ſedulo ſeparandos, ne valetudini vis inferatur. — Praeter clauos ſecalinos, impalleſcentiam ſpicarum (Svecis Hvitax) ex defectu nutrimenti, quod intercipiunt quaedam inſecta in herba, et pumilam ſtaturam culmorum ex eodem vitio, tanquam morbos Secalis, nomino.

Inſignis enim inſectorum varietas Secale ſub varia eius aetate deuaſtat, dum adhuc laruae forma vtuntur. Quaedam radicem ipſam conſumunt, vt larua Scarabaei ſolſtitialis, aliaque inſecti adhuc ignoti (OSBECK in *Vet. Ac. Handl.* 1776. *p.* 303 *ſq.*). — Aliae praecidunt culmum prope radicem, vel nidulantur in ipſo culmo eumque erodunt, vt

Elater

Elater ſegetis (BJERKANDER in *Vet. Ac. Handl.* 1779. *p.* 284.), Muſca ſecalis et calamitoſa aliaeque muſcae (ID. *l. c.* 1777. *p.* 29 *ſq.*), Phalaena turca, Tipula oleracea et Tipula ſecalis (ID. *l. c.* 1779. *p.* 161.). Phalaena ſecalis (ROLANDER *l. c.* 1752. *p.* 62. BJERKANDER *l. c.* 1778. *p.* 289.), item Ichneumon extenſor (*l. c. p.* 293.). Muſca pumilionis ſi oua deponit in culmos, hi pumilam modo ſtaturam aſſequuntur, idque tanta interdum frequentia, vt culmi huius indolis octo ad quatuordecim ſpatio duorum pedum quadratorum reperiantur (BJERKANDER *l. c.* 1778. *p.* 240.). Noctu larua Phalaenae conſpicillaris autumno praemordet tenellum ſecale (BJERKAND. *l. c.* 1783. *p.* 152. *ſq.*). — Grana vero Secalis, dum adhuc ſpicis inſunt, in agris excauat Ichneumon culpatorius, quin ſenſim conſumit (BJERKANDER *l. c.* 1778. *p.* 334.); et Thrips Phyſapus (DE GEER *Vet. Acad. Handl.* 1744. *p.* 6.) in cauſa eſt, vt Secalis ſpicae plane ſaepe abortiant. — Phalaena granella (DE GEER *Vet. Acad. Handl.* 1746. *p.* 49 *ſqq.*) et Curculio granarius autem in promptuariis ipſis ſtrages ſuas exercent (WILCKE *l. c. p.* 283.). — Nociuis iſtis animalculis addi debet Limax agreſtis, qui ſaepe Secalis herbam emergentem conſumit.

SEMEN ipſum Secalis eſt ſubcylindricum, vno extremo obtuſum, altero, cui corculum oblique inſidet, acutum, ſulco vno longitudinali, cineraſcens, ſemipellucidum.

Farina ſecalina magis nigra eſt, quam iſta Tritici et ſubdulcis. Facile aqua calida macerata fermentatione aceſcit. Sic laminas ferreas, quae illi immerguntur, arrodit, vt ſtannum facilius ſeſe adfigat (RINMAN *Järnets Hiſtoria. vol.* I. *p.* 40.). Farina ſicca calefacta inflammationes reſoluit in ſuperficie corporis obuias; in cataplaſmate emollit et maturat. Puls, ex farina hacce aqua et butyro inſulſo cocta, vel ſola vel lacte caprino comeſta mane per plures hebdomades vel menſes in phthiſeos initio iuuat, in inueterata malum mitigat (LANGE *miſc. verit. med. p.* 34.). Iuſculum ſecalinum pariter profuit pluries, ſcilicet paratum ex farinae ſecalis ſubtilioris vncia dimidia cocta cum aquae libra vna, et omni mane bibitum; ſubinde conduxit, mane pulte ex Muſco Iſlandico vti, et veſperi iuſculo ſecalino (BANG *Prax. med. p.* 539).

Primarius autem vſus Secalis pro pane eſt. Panis praecipue in regionibus ſeptentrioni propioribus placet, vt Germania, et adhuc frigidioribus. Glutinoſo iſto Tritici deſtituitur, probe tamen alit

alit gratique ſaporis eſt. In iis, qui ad acidum primarum viarum inclinant, panis ſecalinus moleſtam ſodam et ructus acidos ciëre ſolet, quod ipſe comperi, magis autem triticeo conuenit iis, qui aluum tardam experiuntur. Non tam facile exareſcit, vt panis ex alio frumento coctus. Supra iam dixi, varia proportione miſceri hinc inde Secale cum Tritico pro pane, vnde albidior fit. Si furfures paſtam reliquam intrant, rudior omnino euadit, nomenque panis militaris obtinet. De panificio generalius ſupra ſub Tritico (*p. 330. ſq.*) praecipua expoſui. Sed nec hic attinet indicaſſe nomina panis ſecalini ſingula, a forma, coquendi artificio, miſcela, duritie varia &c. petita. Durior vt iſte, quo ruſtici et famulitium in Suecia vtuntur, forma diſci et foramine medio inſtructus, quo per ſeries perticis appendi poſſit, bonam partem rationem in ſe continet albedinis dentium, qua hocce hominum genus fruitur, licet non diffitear acorem ipſum panis aliquid adhuc ad id conferre poſſe. Panis ſegmentum leuiter toſtum ſi aquae immergitur, potulentum in acutis reficiens et ſalubre ob acorem ſubminiſtrat, quod longe ſerius taedium parit, quam reliqua fere omnia potulenta; poteſt illi quoque ſuccus Citri et ſaccha-

 rum

rum pro arbitrio addi. Durior, quin in molliori pane ſecalino, cruſta externa ſolet eſſe quam in alio. Calidus autem, diſſectus et aqua Hungarica vel ſpiritu vini camphorato humectatus et abdomini impoſitus, ſudore excitato aliquando febrem intermittentem ſanat (ROSENSTEIN *om Barns Sjukd. p.* 315.). Spargit quoque panis calidus praecipue ſecalinus halitus analepticos, naribus ſubiectus, exemplo notiſſimo DEMOCRITI, qui ſenex decrepitus et morti proximus vitam per aliquot dies ad celebrandas nuptias dilectae ſororis ſuſtentauit, olfaciendo continuo panem calidum vino humectatum. Iidem tamen halitus panis, intra conclaue arctum abundantius noctu praecipue retenti, inſtar fermenteſcentis muſti vel vini in cella clauſa necem afferunt. Mica panis nigri recentis, digitis tractata et applicata, dolores in clauis pedum tollit, et eosdem exſtirpat, experimento monachorum Franciſcanorum et Capucinorum (SINGEISEN *Diſſ. de ophthalmia, Erlang.* 1786. *p.* 25.). Mica contrita in connubio ſalis veſci et ſeminum Carui contuſorum cephalalgiam capiti per linteum applicata leuat. Furfures toſti, donec colorem Coffeae contritae adſciſcant et linteo inuoluti ſponte ignem concipiunt (*Zürch. med. Magaz.* 1773. *p.* 238.).

Secale

Secale quoque ad SPIRITUM FRUMENTI obtinendum impenditur. Quin in Germania et ſeptentrionalibus regionibus praecipuum eius fontem conſtituit. Saepe tamen illi aliud frumentum, vt Hordeum vel Triticum, vel vtrumque varia proportione admiſcetur. Et in hunc finem vel germinatione praegreſſa, vel ea omiſſa, rudius contuſum frumentum maceratur rite aqua calida, dein fece cereuiſiae adiecta fermentatio ſuſcitatur, qua ad finem tendente maſſa in vaſa deſtillationi accommodata transfertur et deſtillatio poſt aliquam moram incipitur, et continuatur quam diu liquor ſpirituoſam naturam et ſaporem ſeruat. Quoniam autem tranſiens liquidum nimis debile eſt et ingratum, iterata deſtillatione fortius redditur. Alcohol adeo, puluerem pyrium accendens, inde parari poteſt (quomodo, declarat cl. LICHTENSTEIN in CRELLS *Annal.* 1786. *P.* 2. *p.* 306.). Non huius loci eſt omnes encheireſes exponere, ad ſpiritum frumenti eliciendum idoneas (Practica momenta bene perſequutus eſt CHRIST in *Regeln vom Fruchtbrandwein-Brennen*, 1785. 8.). Studio quoque praetereo artificia varia, quibus empyreumatico odore, turbido habitu aliisque vitiis, priuetur. A ſpiritu vini probae notae requiritur, vt pelluci-

dus omnino ſit, nec odore nec ſapore aduentitio diſpliceat, accenſus paucum modo aquae relinquat, bullulas agitatus generet, oleum expreſſum, ſi infunditur, ad fundum vaſis transmittat. Exploratur quoque virtus experimentis hydroſtaticis (V. FAGGOT in *Vet. Acad. Handl.* 1766. *p.* 249. Compara inſtrumentum a cl. PAULIN propoſitum in *Hiſt. de la Soc. à Montpellier, vol.* 2. *p.* 485. *ſq.*). Gratior et fortior eſt ſpiritus vini frumentaceo. Ingratus ſapor ſpiritus frumenti dependet ab oleo, quod deſtillatione ſimul elicitur. Nam ſi hoc, hiemali frigore inſtar ſedimenti albi fundum in ſpiritu iſto petens, in cochleari liquatur, pinguedinem refert, et ſpiritu vini gallico ſolutum, iſtum eodem ingrato ſapore impertit (SCHEELE in CRELLS *Annal.* 1785. *P.* 1. *p.* 61.). Crebro tamen pro extractionibus, eſſentiis, tincturis &c. adhibetur. Quae de vſu diaetetico inflammabilium ſpirituum ſectione de ſpiritu vini egi (*Appar. med. vol.* 1. *p.* 320.), transferri ad hunc quoque poſſunt. Quod remanet poſt deſtillationem ſaginandis et pinguefaciendis pecoribus conducit.

Nec ſilentio plane praeterire hic licet Secalis toſti, loco Coffeae, vſum (Vid. *Appar. med. vol.* 1. *p.* 393.).

p. 393.). Non proximis modo hiſce annis huic fini par viſum eſt, ſed iam a. 1714. DILLENIUS (*Ephem. nat. curioſ. cent.* 3. 4. *Obſ.* 150. *p.* 345.) iſtum potum commendauit, et, ne oleoſum Coffeae deficeret, addidit pro toſtione amygdalarum portionem. Secale toſtum vero eam ſpem iniecit, vt ne, ſicut a Coffea vera, aeſtus, peruigilium, tremor ſubſequerentur, tum demum pecuniae pro merce exotica parcendum eſſe crediderunt. Sed praeſtaret omnino abſtinere a potu, qui inter multa bona verae Coffeae, quae iſti deſunt, id mali ſemper ſecum vehit, quod calide potetur, et ob vile pretium ad potandum tanto auidius pauperiores inuitet.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Ad huncce articulum refero AQUAM PANIS *Ph. W. p.* 21. cuius vis analeptica potius a vino et aromatibus additis repetenda; item et EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS *Ph. W. p.* 61. ad cuius ſtomachicam vim panis vix aliquid confert, ſed gummi reſinae et aromatica, quae intrant. Hinc nec panis genus, ex quo cruſta deſumta in formulis memoratur. Vtrumque hodie exoleuit.

HORDEVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 107. *Gen. pl. p.* 39.

542.

Pharm. HORDEVM ſ. HORDEI *Semen.*

Hordeum vulgare; floſculis omnibus hermaphroditis ariſtatis, ordinibus duobus erectioribus LINN. *Spec. pl. p.* 125. Hordeum polyſtichon hybernum C. B. Hordeum (polyſtichon) floſculis omnibus fertilibus, ordinibus indiſtinctis HALLER in *Comm. ſoc. ſc. Gotting.* 1775. *p.* 5. *tab.* 2. *fig.* 18. Wintergerſte Germanis. Icon: REGNAULT *Botan.* L'Orge. Gramen annuum ignotae patriae. Varietas eius exſtat *β*, Hordeum *coeleſte*, ſeminibus decorticatis, h. e. gluma florali exteriori, quae in altera varietate firmiter adhaeret, denudatis; vnde nackte Gerſte a Germanis vocatur; ipſa maturitate ariſtas perdit. — Haec ſpecies vulgo verſus hiemem ſeritur, rarius vere; vnde nomen Germanicum dictum.

Hordeum diſtichon; floſculis lateralibus maſculis muticis, ſeminibus angularibus imbricatis LINN. *Spec. pl. p.* 125. Hordeum diſtichon C. B. Hordeum (aeſtiuum) ſpicis explanatis, floſculorum duobus ordini-

ordinibus fertilibus, intermediis quaternis ſterilibus HALL. in *Comm. ſoc. ſc. Gotting.* 1775. *p.* 6. *tab.* 3. *fig.* 24. Gramen annuum, de cuius patria LINNEUS in *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 107. ſcripſit, habitare ad Samaram Tatariae fluuium; circa quod argumentum ponderanda ea, quae alibi (ſupra *p.* 321.) dicta ſunt. Et huius varietas exſtat *β*, Hordeum *nudum*, ſeminibus decorticatis. — Haec ſpecies tempore verno ſeritur et exeunte aeſtate matureſcit; vnde Sommergerſte Germanis.

Hiſce duabus ſpeciebus Hordei vulgo acquieſci ſolet, etſi hinc inde et Hordeum hexaſtichon L. quae ditiſſimae meſſis ſpem excitat, item Hordeum zeocriton L. quoque ſeritur. Praerogatiua tamen tribuitur Hordeo vulgari L. quod H. hexaſticho ſimillimum eſt. Granum minus tenerum praebet diſticho.

Hordeum, Κριθή, antiquiſſimum omnium frumentorum habetur et Atticum ſolum tanquam patria conceditur, licet ars colendi illud aliunde acceſſiſſe videatur (HEYNE *Opuſc. vol.* I. *pag.* 353.). Spontaneum vna cum Auena in Sicilia creſcere et copioſiſſime quidem circa Marzamemi ſibi cum fiducia perſuadet ill. RIEDESEL (*Reiſe durch Sicilien u.*

Z 5 *Groß-*

Groſsgriechenland, p. 79.). In regionibus orientalibus quoque colitur. Per totam Europam ad Lapponiam vsque familiare, ſeptentrionalibus gentibus praecipue placet, quum intra breue tempus matureſcat, Hordeum aeſtiuum adeo intra 55 vel 58 dies, et minus reliquis cerealibus frigoris impatiens ſit meſſemque vberiorem ſuppeditet. Saepe iunctim cum alio frumento, Auena adeo, ſeritur ſub ſpe maioris lucri.

Vſtilagine (Orge charbonné, Vid. TESSIER *Traité des maladies des grains, tab. ad pag.* 305. *fig.* 2. 3. 4.) ſaepe infeſtatur, quae gluma abdi ſolet, ſuperſtitibus ariſtis, vnde non tam facile vento et pluuia diſpergitur. Cauſa videtur in ipſa radice quaerenda, nempe nunquam culmi ex eadem radice emergentes ſpicas ſanas aliasque vſtilagine vitiatas producunt, et vix niſi duae modo ſpicae emergunt. Profundior iuſto ſatio accuſari ſolet.

Inter inſecta, quae vim Hordeo inferunt, praecipue memoranda ſunt Tipula oleracea, quae praecidit culmum prope terrae ſuperficiem, et Muſca Frit LINN. in *Vet. Acad. Handl.* 1750. *p.* 184. *Faun. Suec. p.* 456.), quae, licet modo pulicis magnitudine, granum decimum quoduis deſtruit,

et

et eius atrophiam facit (Svecis Slökorn). Aliquando et accedit Chryſomela Polygoni inſtar infeſti hoſpitis.

SEMEN Hordei (cortice inſtructi) oblongum, medio craſſius, vtrinque attenuatum, glabrum, coloris ſtraminei, apice terminatum ariſta lineari ſaepe diffracta, ventre longitudinaliter per medium ſulcato, dorſo et lateribus angulatis, medulla farinacea farctum.

Semen integrum, prout ex horreo colligitur, Hordeum *crudum* vocari ſolet; quod cortice autem per molendinam exutum eſt, *mundatum* (Gallis Orge grué); et quod mola in formam ſphaericam redactum eſt, *perlatum* (Svec. Perlgryn, Germ. Perlengraupen) dicitur.

Hordeum antiquis tam cibi varia genera, quam potulenta varia ſuppeditabat accepta. Polentam (Αλφιτον) nominabant Hordeum aqua per noctem perfuſum, ſiccatum frixum, dein commolitum. Ex hac aqua, lacte, vino, vel melle ſubacta panis ſpeciem parabant. Maza ab iis nuncupatam. Cortice priuato Hordeo Ptiſanae nomen indiderunt, quod tamen et tribuebant decocto ex hocce parato, vulgari in morbis acutis HIPPOCRATIS

tempore

tempore potulento; vnde et ptiſanae nomen ad alia decocta medicata tranſiit. Cremor (*Πτισσανης χυλος*, Gerſtenſchleim Germ.) aqua ex Hordeo viſcida dictus.

Nosmet, imitantes veteres in potu per febres acutas eligendo, hordeacea ptiſana eaque tenuiori et tepida pariter creberrime vtimur. Pro pauperioribus ſufficit coquere Hordei crudi e. c. vncias octo cum aqua pura, donec crepet, vt menſurae quatuor ſuperſint; menſurae cuilibet mellis vncia vna vel duae adduntur, et aegris valde aeſtuantibus ſub ſiccitate vel tarditate alui cremoris tartari vel nitri drachma vna vel duae; huius potus menſura vna ad tres ſupraque per diem ingeritur (DE HAEN *Rat. med. P.* 1. *p.* 6.). Ditioribus confert decoctum ex Hordeo perlato tam tenue, vt lacteſcentem modo colorem prae ſe ferat, cui quidem ſucco Citri et ſaccharo, vel Robis variis ſpeciebus acidiuſculis, vt Berberum, Rubi idaei, Ceraſorum, gratia et refrigerans vis impertitur. Ita mucilagine abdita longior mora conceditur aquae in corpore noſtro, colluuies primarum viarum emollitur et mobilis fit, acre, quod ibidem ad nauſeam vomitum vel diarrhoeam vellicat, inuoluitur

et

et diluitur, ipſe ſanguis attenuatur et demulcetur, vaſa flexiliora euadunt, ſecretiones et excretionos quaelibet melius ſuccedunt, ſitis leuatur, aeſtus temperatur.

Loco Auenae in Hiſpania aliisque calidis regionibus Hordeum equis proiicitur.

Hordeum aqua frigida in tabulatis, vel quod praeſtat receptaculis commodis emollitum, dein per ſtrata loco, quem aër bene perflat, diſtributum, ſpeciem fermentationis ſubit et germina vtrinque protrudit; quod ne vltra iuſtam limitem fiat, mox ſiccatur aëre (Luftmalz Germ.), vel torretur (Darrmalz Germ.) ſuper furnis commodis. AËTIUS Βυνην appellauit; MALTUM (Malz Germ.) hoc recentiores vocant, *Hordeum toſtum* non omnino recte dicitur. Scopus huius germinationis eſt, vt lentor farinae vincatur, et oleoſum cum acido in perfectam dulcedinem combinetur, quo aqua illam cum attenuata farinoſa parte recipere queat. Proximum eſt, vt in rudiores partes mola frangatur (Malzſchrot Germ.). Et haec quidem prima cereuiſiae initia ſunt, cui potiſſimum parandae haecce encheireſis deſtinabatur. — Sed noſtra aetate infuſum ſ. muſtum Malti Hordei (Wort, vel Infuſion of

Malt

Malt Anglis) medicina magni nominis euaſit, quod ipſum extemporaneo labore, mox exponendo, paratur. Cl. DAVIDIS MACBRIDE (*Experimental Eſſays, p.* 172 *ſq.*) meritum eſt, quod illud primus attentioni et experientiae medicorum commendauerit. Etenim perpendens curationem ſcorbuti marini plurimam partem a fermenteſcente vi plantarum recentium dependere, ingenioſe coniecit, ad eundem ſcopum poſſe perueniri alio vegetabili licet non recenti huic tamen mutationi opportuno; et iam optio Malti facta eſt. Haec dum ſcriberet, neque ex propria experientia nec aliena virtutem confirmare potuit. Quam vere autem rem coniectauerit, ſatis poſtea fida et pluries inſtituta eius in ſcorbuto dicto et putridis febribus adminiſtratione conſtitit. Conſilium vero eius hoc fuit, vt Malti librae duae ciuiles ruditer comminutae triplo aquae feruentis perfundantur, et poſt ſollicitam motitationem per tres vel quatuor horas vaſe probe clauſo digerantur, ſubſequa decantatione. Renouare autem conuenit hocce potulentum quotidie. Quam praedixerat antiſcorbuticam efficaciam ille, huius paucos annos poſt capto in duplici naui experimento tam eius frater quam chirurgi ex longis itineribus maritimis reduces fidem fecerunt,

runt, datis infuſi Malti duabus vel tribus imo ſex libris per diem; quibusdam tamen diarrhoeam creavit, vt ſedare illam aliis commodis oporteret (MACBRIDE'S *hiſtorical account of a new method of treating the Scurvy at Sea*, 1767. 8. item *Appendix* ad auctoris *Introduction to the theory and practice of Phyſic*, 1772. *p.* 639. *ſqq.*). Sed iuſto lentius in re noua maximi ponderis experimentis trutinanda proceſſerunt ii, quibus in profectionibus maritimis longis maxima opportunitas ſuppetebat, chirurgi nimirum in regiis claſſibus merentes, etiamſi collegium rei nauali regiae praefectum (Lords of the Admiralty) id fieri iuberet. Quin HUXHAMI aduerſum iudicium initio obſtitit, claſſiariorum in portu querelis inanibus aberrans. Defuit in breuiori itinere occaſio iuſta, et in longiori verum inueſtigandi ſtudium. Tandem plures chirurgi Anglici in Indiam orientalem diuerſis nauibus profecti optimo ſucceſſu hocce infuſum tentarunt, horumque obſeruata publici iuris facta (a cl. BADENOCH in *Med. Obſervutions and Inquir. vol.* 5. *p.* 61. *ſqq.*). Vix vero euidentius vllum documentum praeclarae eius in ſcorbuto praecauendo et curando efficaciae deſiderari poteſt, quam hoc, quod in itinere celeberrimi nauigatoris COOK circa orbem terrarum in comitatu centum

et

et nouendecim hominum facto praeſtitit, quorum vnus modo ante itineris initium vita deceſſit, reliqui omnes huius infuſi potiſſimum auxilio, quod pro medicina fuit, ſeruati; vt tamen et reliquorum praeſidiorum ſagaciſſimi viri ſua ſtet dignitas (Cfr. *Appar. med. vol. 2. p. 332.*). Adeo vero efficax in arcendo morbo in hoc itinere fuit, vt rarior occaſio adeſſet tentandi, quid ſanando iam praeſente valeret. Sed nec praeſentibus manifeſtis ſymptomatibus ſcorbuti iners fuit (Vid. de hiſce PRINGLE's *Diſcourſe upon ſome late improvements of the means for preſerving the health of mariners*, recuſ. in opere poſthumo: *Six Diſcourſes, p. 163. ſqq.*). Infuſum vero in hoc itinere paratum eſt ex Malti comminuti pinta vna et aquae feruentis pintis duabus vel tribus, cuius qui ſibi de ſcorbuto metuebant quotidie pintam vnam ad duas calide duabus vel tribus horis ante et poſt paſtum biberunt, magis infeſtati quartas tres pluresue (FORSTER's *Obſervations made in a voyage round the world, p. 633.*). Aliud ſimile maxime memorabile exemplum virtutis exſtitit in expeditione nuperrima ad Botany bay, in qua ex ducentis et duodecim hominibus ſtipendia merentibus vnus modo, ex ſeptingentis ſeptuaginta quinque autem, delicti cauſa ex Anglia illuc translatis, viginti

viginti quatuor modo, in itinere a Portu magno (Portsmouth) per triginta ſex hebdomades, perierunt, reliquis contra ſcorbutum nonniſi infuſo iſto, etſi parcius ſubminiſtrato, ſeruatis (TENCH's *Narrative of expedition to Botany bay, p.46.*). Si per linteum colatur liquidum, colorem pallidum dulceſcentem et gratum obtinet, per viginti quatuor horas ſub calore gr. 74 Fahrenh. ſeruat ſuam integritatem; ſed intra horas triginta ſex vappidum fit, aceſcit et ſpumam emittit in ſuperficiem. Maltum coctum liquorem praebet ſaturatiorem, grauiorem, viſcoſum, nec tam cito fermenteſcentem (BADENOCH in MACBRIDE's *Append. l. c. p.* 651.). Coqui etiam poteſt infuſum hocce cum pane bis cocto, et ſaccharo edulcari, quod pariter cl. MACBRIDE commendauit. Scite coniungitur externa infuſi et granorum calidorum poſt infuſionem remanentium applicatio ad loca affecta (*Med. Obſ. and Inquir. vol.* 5. *p.* 67. FORSTER *l. c.*). Epithemata ex infuſo Malti etiam depraedicat cl. LIND (in HUNCZOVSKY *Beob. p.* 58.). Ratio virtutis facile cognoſcitur ex ſimili effectu, quem alia frumenta praeſtant, fermentationem dum ſubeunt, vt placentae ex comminuto Malto Hordei et farina ſecalina coctae et aqua calida perfuſae, vnde fermentatione intra 24 horas potus, Ruſſis vſita-

vſitatus, *Quas* emergit; ex vſu ſalutari pomacei, cereuiſiae aliorumque liquorum vinoſo acidulorum, fructuum horaeorum et recentium vegetabilium cuiuscunque generis, quae omnia aëris fixi euolutione putridam diatheſin, quae cauſa ſcorbuti eſt, corrigunt. Ne quis vero credat in auertendo ſcorbuto modo valere, memorandi ſunt aegri, quorum gingiuae ſpongioſae, tumidae, doloroſae, ſanguinem fundentes, halitus oris foetidus, femora vel crura tumida, cutis maculis exanthematibus vel vlceribus foedata, reſpiratio difficilis, artus dolentes, habitus corporis leucophlegmaticus, diarrhoea continua, lotium foetidum (Conf. caſus in MACBRIDE'S *Appendix* in *Method. introduction* et *Med. Obſ. and Inquir. l. c.* FORSTER'S *Obſerv. cit.*). Effectus inſuper mirifice celer eſt, vt ſint qui intra triduum vel quatriduum doloribus ſcorbuticis et eruptionibus cutaneis liberantur. Solutio aluina ſub vſu adiuuat efficaciam (Conf. MACBRIDE *l. c. p.* 650. 659. GAIRDNER in *Med. Obſ. et Inquir. l. c. p.* 64.).

Non facile ſub tanta teſtium varietate conuelli haecce infuſi Malti laus aduerſo cl. CLARK (*Obſervations on the Diſeaſes in long voyages to hot countries, p.* 182 *ſq.*) effato poteſt, qui eo neque

tollere

tollere malum, neque incrementum eius cohibere valuit. Perdere Maltum queritur poſt aliquot hebdomadum moram in mari ſaporem ſuum ſaccharinum, licet facile fermenteſcat, et addito ſaccharo aemuletur muſtum Hordei recens. Sed aliorum obſeruatione per duodecim menſes (*Med. Obſerv. et Inquir. l. c. p.* 65.) Maltum ſuam integritatem ſeruauit, imo per duos annos (COOK apud PRINGLE *Diſcourſe l. c. p.* 173.); tertio quidem licet manifeſte labem contraxiſſet: infuſum tamen virtute ſua non caſſum exſtitit, modo plus ſolito Malti ſumeretur (Chir. PATTEN apud PRINGLE *l. c.*). Limitat quoque cel. AASKOW (in *Soc. med. Havn. collectan. vol.* I. *p.* 60.) praeſtantiam eius in ſcorbuto, ſub initium morbi quidem iuuiſſe narrans praeſertim accedente diarrhoea, et augmentum coërcuiſſe, in conſummato autem ſcorbuto aluinum profluuium auxiſſe, ſolo infuſo nullum conualuiſſe; cereuiſiae autem probae manifeſtius auxilium tribuit: aſt dolendum non facile ſuppetere illam in nauigiis per longius iter. — Mota et alibi querela eſt, quod in quibusdam nautis ſcorbuticis inde vehementes alui deiectiones ſubſequutae fuerint (DESBOUT in *Hiſt. de la Societé R. de Medecine, tom.* 6. *p.* 273.).

Dicta hactenus ad vim antiſcorbuticam infuſi Malti ſpectant, quam vero confirmans nouis exemplis cl. COLLIN, eandem (*Obſerv. circa morbos, P.* 4. *p.* 133.) ſimul ad febrem putridam bilioſam variasque bilioſas affectiones, vomitione vel diarrhoea ſtipatas, item exulcerationes extendit, et ex centenis caſibus, quorum viginti nobiscum communicauit, colligit, vt propria eius verba ferunt, infuſum hocce eſſe egregium antemeticum, antiputredinoſum, antiſcorbuticum, digeſtionem ciborum iuuare et corrigere, ſitim cito ſedare et bonum nutrimentum afferre. Iſte vero Malti Hordei vncias ſex cum aquae menſura vna per quadrantem horae coctas commiſcuit cum ſeminum Foeniculi ſcrupulis quatuor, Glycyrrhizae drachmis duabus vel tribus, et poſt digeſtionem per quatuor horas, liquidum colandum curauit; huiusque librae duae vel tres quotidie per diem exhibitae ſunt (*loc. cit. p.* 173.). — In vlceribus obſtinatis aliis, praeterquam ſcorbuticis, quoque in Anglia ſuppetias ſub interno vſu tulit, quorſum ſpectat caſus foeminae, quae infectione venerea eiusmodi contraxerat Mercurium eludentia, aliusque foeminae, poſt puerperium vlcere ſuper oſſe ileo rebelli afflictae (RUSH in *Med. Obſerv. and Inquir. vol.* 4. *p.* 367.). — Et

clari

clari nominis vir (PERCIVAL in ſuis *Eſſays med. and experim. vol. 2. p.* 79.) in ſcrophuloſis affectionibus aliisque malis; in quibus acrimonia vniuerſalis obtinet et morboſa ſanguinis tenuitas, ab eo praeſtans auxilium exſpectat, ipſeque vibices intra paucos dies eo diſparuiſſe expertus eſt.

Idem Hordeum poſt germinationem leuiorem toſtum vel ſiccatum demum pinſitum, ſ. Maltum ruditer comminutum, *Cereuiſiae* materies eſt maxime vulgaris. Inter multa alia nomina huic potulento antiquitus tributa, quorſum Ζυθος, Βρυτον, Κουρμι, Πινος, eminet ob ſcitam rei diiudicationem Οινος κριθινος (vinum hordeaceum) ATHENAEI (*Deipnoſoph. lib.* 10. *cap.* 13 *ad fin.*). Potus ex hoc aliisue frumentis pro ſiti fallenda paratus nec Graecos nec Aegyptios olim latuit, antiquis quoque Germanis notus ſatis fuit (docente TACITO *de morib. German.* ed. GRONOV. *p.* 407.), etſi omnino confitendum, variare hodie artem cereuiſiam coquendi, granorum praeparatione, fermentatione, additamento vario. Maltum hodie in hunc finem ſub variis vaſorum mutationibus et infuſionibus aquae coquitur, et coctio tam diu continuatur, donec decoctum ſaturate dulce et clarum obtineatur (Mu-

ſtum Hordei, Wört Svec., Würze Germ.). Additur tum Lupulus, vel, quod praeſtat, aqua antea decoctus, vel cum muſto decoquendus, idque fit tam ad mitigandam dulcedinem quam ad auertendum acorem. Quibus factis fermentationi liquidum committitur, accelerandae fermento adiecto ſiue fece cereuiſiae, et ante fermentationem omnino ceſſantem in dolia transfertur, quo ibidem abſolui omnino poſſit. Inter innumera ſcripta, quae de arte cereuiſiaria prodierunt, notanda HAGENS *Abhandl. chem. u. phyſ. Inhalts, n.* 3. 1778. *Königsb.* SIMONS *Kunſt d. Bierbrauens nach richtigen Grundſätzen d. Chymie u. Oeconomie, Dresd.* 1781. RICHARDSON'S *Hints on an improved practice of brewing malt liquors* 1781. Ad hydroſtatica autem experimenta, quae virtutem cereuiſiae determinant, ſpectant RICHARDSON'S *ſtatical eſtimate of the materials of brewing* 1784 et BAVERSTOCK'S *hydrometrical Obſervations and Experiments in the brewery, Lond.* 1786. Sunt et cereviſiae vel pauxillo modo Lupuli impraegnatae, vel illo omnino deſtitutae: *albae* hae poſteriores vocantur, licet tamen et albedo a Malto, aëre tantum ſiccato vel leniter toſto, vel Tritico ad partem vel omnino adhibito deriuanda, prout et *brunae* colorem vel toſtioni maiori vel Lupulo colorem debent.

Ita

Ita euoluuntur partim coctione, partim fermentatione duplici, ſpiritus et mucilaginoſae partes, quae Hordeo inſunt, et quum haec multis aquoſis diluta in cereuiſia exſtent, facile per corporis humani vaſa diſtribuuntur. Difficile quatuor iſta bonae cereuiſiae requiſita, Maltum, Lupulus, fermentum et aqua, in ſumma ſua integritate combinantur, nec ars coquendi illam et tractandi, poſtquam domum translata fuerit, vbiuis aequali notitia exercetur. Non mirum igitur cereuiſiam pluribus vitiis multis in locis laborare. Secundaria cereuiſia (Coſent) tenuis iſta eſt, quae obtinetur noua portione aquae Malto iam excocto ſuperinfuſa, et cum reſiduo Lupuli cocta. Quicquid vel hocce liquido effuſo remanet, ſaginandis pecoribus ob nutritias particulas ſuperſtites inſeruit. Praeter Triticum et Hordeum, quibusdam in locis ex Auena item ex Secale, cereuiſia coquitur, in Indiis ex Oryza, in America ex Zea Mays. Impraegnatur et ſubinde iſta variis aromaticis ſub ipſa fermentatione vel coctione admiſtis vel in ſacculo ſuſpenſis. Quae in America ſeptentrionali ex ramulis foliiferis conciſis Pini Canadenſis LINN. (White Spruce Fir) et alius ſpeciei Pini, quae Abies Mariana, foliis linearibus acutis, conis minimis MILL.

 (Black

(Black Spruce Fir) paratur cereuiſia, vix hocce nomen meretur, quum modo ex decocto ramulorum cum aqua fermentatione ope fecis ſuſcitata paretur, addito ad bituminoſum ſaporem vincendum ſaccharo, licet et ſubinde tantillum frumenti in nigredinem toſti, vel et placentulae ex frumento, vt et nutriendi vim habeat, addantur. Eiusdem naturae eſt cereuiſia e baccis Juniperi in Svecia parata (Vid. *Appar. med. vol.* 1. *p.* 36.). De cereuiſia Gill-ale Anglorum alibi dixi (*Appar. med. vol.* 2. *p.* 175.). Vituperanda quaelibet additamenta, quae inebriant et caput obnubilant, vt amara olim varia, ſub defectu Lupuli vſitata, aliaque, Abſynthium, Gale, Millefolium. Cereuiſia hordeacea iis praecipue locis, in quibus vinum deficit, in deliciis eſt. Bonae notae cereuiſia eſſe debet non acida, ſed amareſcens, ſpumam modice agens dum effunditur, ſine qua aërem fixum aufugiſſe iudicatur. Nocet vero iſta, cuius fermentatio ſuppreſſa, quae non ſolum ampullas diſplodit, ſed colicam flatulentam, ſtranguriam, inflammationes ventriculi et inteſtinorum creat; nocet et male cocta, vel nimis recens, vel fece inquinata, flatus torminaque excitando. Diſplicet, quae vel ex defectu neceſſarii fermentationis gradus vel

acceſſu

acceſſu aëris ad vaſa, quibus ſeruatur, Gas ſuo deſtituitur, et inde vappidum ſaporem contrahit. Salubrem ceteroquin cereuiſia potum conſtituit, vt qui ſanguinem diluit, probe nutrit, praecipue fortior (Doppeltbier), amaritie ventriculum roborat, neruos refocillat, ſitim ſedat, aëre fixo, quem continet, niſum ad putredinem humorum infringit (V. ſupra *p.* 337.), lotio praeſertim ſabulum eliminat. Cereuiſia probae notae ob fixum aërem, quem continet, calculi vrinarii praeſeruatiuum habetur, imo leuare eos, qui vere calculi moleſtias ſentiunt, creditur. Inter 1400 homines, in quibus CYPRIANUS, vir olim clarus, lithotomiam exercuit, plures vino delectati fuerant, verum ne vnus quidem cereuiſiae deditus (ALLEN *Synopſ. med. pract. Ed. Francof. p.* 270.). Limitat tamen cl. DOBSON (*Med. Comment. on fixed air, p.* 136.) hanc a cereviſia ſperandam immunitatem a calculo. Prout ipſa cereuiſia ſcorbuti haud mediocre remedium eſt: ita et in hunc morbum tanto magis valet, ſi ſtirpes aliquot antiſcorbuticae eodem dolio excipiuntur (V. *Appar. med. vol.* 2. *p.* 245.).

Cereuiſia bruna ex libra vna in vncias duas coctione concentrata, ita vt ſyrupum referat, cor-

pora reſinoſo gummoſa efficaciter trituratione ſolvit (BUCHHOLZ in *Nov. act. nat. curioſ. tom. 5. p. 46.*), vt Gummi ammoniacum (*Exper.* 7.), Bdellium (*Exp.* 13.), Myrrham quoad partem (*Exp.* 34.), Opopanacem (*Exp.* 38.).

Extrinſecus pudendis muliebribus, poſt partum difficiliorem inflammatis et tumidis, commode cereuiſia cum Saluia cocta et butyro non ſalito mixta applicatur; nec minus cereuiſia, in qua butyrum liquatum, egregie diſſipat tumores mammarum ex lacte coagulato (PLENCK *Mat. Chir. p.* 541.).

Iuſcula culinari arte varia parantur ex cereuiſia, quae exponere huius loci non eſt. Sed ſerum lactis ex lacte, cui ſub coctionem cereuiſia additur (öhloſtvaſſla Svecis), memorari hic debet, quum vulgarem gratum et ſalubrem in febribus acutis potum in Svecia ſuppeditet, qui taedium non tam facile parit ac alia potulenta. Dilui poſtea poteſt aqua calida addita, vt ſitim tanto melius fallat. Sanis in Suecia caſeoſae lactis partes, Cinnamomo conſperſae, vna cum ſero iſto ſaturatiori gratum ferculum exiſtunt.

Ex inſigni iſto numero cereuiſiarum hordeacearum ob medicatam vim ſpeciatim *Mumma* Brunſuicenſis

ſuicenſis dicenda eſt. Haec clara eſt, ſpiſſitudinem ſyrupi habet, coloris ſaturatius bruni et ſaporis grate dulcis. Transfertur in Indiam orientalem vsque illaeſa, quin vectione per mare praeſtantior fit. Medicamenti vero potius loco eſt, quam potui vulgari idonea; imbecilli enim ventriculo ſubuenit, neruos refocillat, et eximie nutrit. Rachiticis vnciam vnam Mummae cum pane bis cocto ter de die propinare confert (SWIETEN *Comment. vol.* 5. *p.* 618.). — Ad foetorem vlcerum cancroſorum tollendum valet praecipue Mumma in ſpiſſitudinem vnguenti denſata, nimirum linteo illita et applicata; ſuppuratio inde promouetur vixque cuti adhaeret, nec dolorem relinquit (*Bemerk. üb. Gegenſtände der Wundarzn. P.*2. *p.*97.).

Acetum cereuiſiae obtinetur ſi, omiſſo Lupulo, liquidum cereuiſiae deſtinatum limitem ſpirituoſae fermentationis transgreditur, et in alteram ſiue acidam tranſit. Promouetur haec calore conclauis et addito fermento, cuius magna varietas artificibus placet. Rarius ex cereuiſia iam parata acetum produci ſolet (Conf. WALLERII *Chem. phyſ. vol.* I. *p.* 273 *ſqq.*). Generaliora momenta circa acetorum originem alibi dicta ſunt, quum ſermo de aceto vini inci-

incideret (*Appar. med. vol.* 1. *p.* 321.). Pellucidum eſſe decet, et acore inſigni, quem et olfactus percipit, diſtingui. Debilius longe eſt aceto vini, attamen non ſpernendum vſu culinari et medico, quo ipſo pauperioribus in febribus ad ſitim exſtinguendam, febrem moderandam, putredinem refraenandam, ſubuenimus (Conf. *Appar. med. l. c.*).

Fex cereuiſiae in pilulas redacta aluum mouet (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 68.).

Hordeum amylum exhibet albido cineraſcens, quod aqua coctum in gelatinam tranſit eiusdem coloris, tenacem. Ex vnciis tribus Hordei eruitur Amyli vncia vna cum drachmis ſex (SCHEELE in BERG. *Mat. med. p.* 57.). Nihil vero glutinoſi alcaleſcentis ineſt. — Cataplaſma aqua coctum inde paratur, ad ſuppurationem mouendam commodum.

Panis hordeaceus ſubniger et grati ſaporis eſt, breui vero ſicceſcit. Poenae loco Romani militibus delinquentibus in officio illum praebebant. Attamen ruſtici in Suecia eodem crebro veſcuntur, prout olim alpicolis in Heluetia familiaris fuit (HALL. *l. c. p.* 9.).

Ex

Ex *Ariſtis* in faſciculum colligatis xyſtra ſua fecit de WOOLHOUSEN, quibus in ophthalmia interiorem palpebrarum tunicam radebat, ſanguinis ex ſauciatis vaſis effluuium tepida aqua et vaporibus aquae calidae alens (PLATNERI *Chirurg.* § 298, qui quidem ex glumis Secalis xyſtra iſta facta indicat). Sed haecce ophthalmoxyſis id vitii habet, quod ſpinae laterales ariſtae diuulſae facile palpebris infigantur.

Hordeum viride pluries deſecari ſe patitur, vt pabulum pecori gratum ſuppetat.

PRAEPARATA.

SACCHARUM HORDEATVM *Ph. Brunſv. p.* 312. Ex ſaccharo albo ſoluto in decocto Hordei et in iuſtam denſitatem inſpiſſato, addito Croci tantillo; maſſa tandem, dum adhuc calet, diſciſſa in bacillos contorquetur vel in tabulas formatur. In *Ph. Dan. p.* 224. et SPIELM. *Pharm. gener. p.* 285. omittitur Crocus. Additur pulueribus ſalinis ad ſaporem corrigendum; item pro mitiganda tuſſi adhibetur.

SYRUPUS HORDEATUS *Cod. med. Pariſ. p.* 35. Ex Amygdalis vtriusque generis contuſis cum de-

cocto Hordei, addito ſaccharo et poſt inſpiſſationem aqua Naphae. Vi non multum differt a SYRUPO AMYGDALINO *Ph. Dan. p.* 251. vel, vt vulgo vocatur, EMULSIVO, ſed menſtruum diuerſum. Gratum additamentum mixturarum, ex quibus acidum exulat. Vis ceteroquin a natura Amygdalarum diiudicanda.

AQUA HORDEATA *Pharm. Lond.* 1761. *p.* 60. DECOCTVM HORDEI *Ph. Lond. Specim.* 2. *p.* 64. Ex Hordeo perlato cum aqua cocto, poſt abiectam primam aquam additur noua et iteratur coctio. Ptiſana in morbis acutis eximia.

AVENA

AVENA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 104. *Gen. pl. p.* 37.

543.

Pharm. AVENA ſ. AVENAE *Semen.*

Auena ſatiua; paniculata, calycibus diſpermis, ſeminibus laeuibus, altero ariſtato LINN. *Syſt. veg. l. c.* α. Auena nigra; β. Auena alba C. B. Auena panicula vndiquaque ſparſa, calycibus flore maioribus, gluma maiori cartilaginea HALLER in *Comm. ſoc. ſcient. tom.* 6. *p.* 16. Βρῶμος Graecis. Icon: MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* REGNAULT *Botan.* L'Avoine. Gramen annuum. In inſula Juan Fernandez ſponte procreſcere ANSON innuit, item in Sicilia idque in Marzamemi ill. DE RIEDESEL (*Reiſe durch Sicilien, p.* 79.); an a ſeminibus caſu delapſis?

Varietatibus et haecce ludit pluribus, ſpiculis vnifloris, bifloris, trifloris, floribus mox omnino mox ad partem modo ariſtatis, mox muticis &c. Color quoque ſeminum pallide luteus vel niger vel albus vel fuſco-fuluus eſt (Vid. HALL. *l. c.*). Tanquam peculiarem ſpeciem merito proponit HALLERUS Auenam panicula *heteromalla*, calyce flore maiori,

maiori, locuſtis bifloris, gluma maiori cartilaginea (*l. c. p.* 181. *tab.* 4.), quae eſt Auena orientalis SCHREB. *Spicileg. flor. Lipſ. p.* 52, cuius duplicem varietatem hortus botanicus alit, proceriorem et humiliorem, proportione reliquarum partium eadem. Quae ſpecies quibusdam lucroſior cenſetur et ſola Rupe, dum HALLERUS ibidem degebat, ſata, item in Germania (SCHREB.). Etiam *Auena nuda* LINN. cuius ſemina decorticata decidunt hinc inde ſeritur e. c. in Suecia in montoſis. Praefertur ex Auena ſatiua Var. alba vel pallide lutea nigrae. Omnibus vero praeſtantiſſimum eſt Auena alba Anglicana dicta, quum granum maximum et farina repletiſſimum item ponderoſiſſimum contineat. Haec et autumno ſeri poteſt et hiemem fert, vnde et Winterhaber Germanis dicitur, licet non diffitendum, Auenam ſatiuam ſem. nigro, ſero autumno et paullo profundius ſatam, hiemem quoque tolerare; culmis praeterea inſtruitur maioribus et craſſioribus et numeroſioribus. Vt igitur ruricolis lucroſiſſimum ſit. Seritur Auena copioſe per totam Europam ob inſigne commodum et oeconomicum et medicum, locisque montoſis et macilentioribus bene viget.

Vſtila-

Vſtilagine (Charbon. Vid. *Fig.* in TESSIER *Traité des maladies des grains,* ad *p.* 336.) Auena prae omnibus frumentis maxime infeſtatur. Non in ſola panicula latere cauſam, ſed profundius, ex lento culmorum incremento et gracilitate et pauco eorum numero, item culmorum maculis nigro brunis, perſpicitur. Puluis iſte nigricans non aufugit ante meſſem, ſed adhaerens paniculis ad partem in horreum transfertur. Animalium valetudini vim tamen inferre non videtur, aſt non parum aduerſus eſt lucro vberiori Auenae, et ipſum ſtramen ſic vitiatae Auenae pecori diſplicet (TESSIER, BJERKANDER in *Vet. Acad. Handl.* 1775. *p.* 319.).

Quas Tritici et Secalis grana in agris exedere laruas Ichneumonis culpatorii dixi, hae Auenae grana etiam conſumunt miſere (BJERKANDER in *Vet. Acad. Handl.* 1778. *p.* 334.). Muſca Auenae autem culmos eius praecidit, vnde paniculae marceſcunt, et albedinem contrahunt (BJERKANDER *l. c.* 1781. *p.* 171.). Taceo reliqua inſecta Auenae inſidiantia.

Ingrata Auenae ſatiuae hoſpes Auena fatua L. (Vid. SCHREB. *v. d. Gräſern, tab.* 15.) eſt, agrum eneruans, maiorem adhuc noxam allatura connu-

 bio

bio granorum, niſi iſta citius grana maturans, quam A. ſatiua, eadem plerumque in ipſum agrum dimitteret.

SEMEN oblongum, vtrinque extenuatum, altero extremo latiori, ſulco vno medio longitudinali diſtinctum, cortice ſubangulato, nucleo villoſo.

Amylum, quod Auenae ineſt, dimidiam eius partem conſtituit (SCHEELE in BERG. *Mat. med. p.* 58.), cineraſcentis coloris. Aqua coctum in gelatinam commutatur cineream bene compingentem. Gluten nullum in ea detegitur (KESSELMEIER *Diſſert. quorundam vegetabilium principium nutriens, p.* 23.).

Auenae vſus iam antiquiori tempore cognitus. Nam PLINIUS (*Hiſt. natur. lib.* 18. *cap.* 17.) notat Germaniae populos eam ſerere, neque alia pulte viuere. Praemittit, vitium frumenti eſſe et Hordeum in eam degenerare. Non deeſt igitur errori noſtro tempore de frumentorum transmutatione intonanti auctoritas, modo error adeo exueretur ſua labe, quod multi et maiores adeo noſtri eum colant.

Multis in locis equorum vnice cauſa colitur. Stramen vero conciſum Auenae addere conuenit,

quo

quo eam dentibus comminuant, quum alias indigeſta plurimam partem aluo exoneretur. Eundem finem aſſequimur Auena ruditer commolita, vel eiusdem farina cum ſecalina mixta et in panem cocta, quod parſimoniae quoque valde gratificatur. Anſerum et ſuum quoque ſaginam Auena conſtituit.

Sed hominibus ipſis quoque in multa emolumenta cedit. Grana integra, cum aqua ad crepaturam vsque cocta, potum in acutis idoneum, prout de Hordeo ſupra dictum eſt, ſuggerunt. Et haec quidem etiam intrant celebratiſſimum olim potum auenaceum LOWERI, de quo paullo poſt vberius.

Quibusdam in locis cereuiſia ex Auena coquitur, quo fine confert praeprimis Auena alba Anglicana vti. Amara eſt haecce cereuiſia ſponte, vt parci poſſit Lupuli quantitati (WILLEMOT in *Vet. Acad. Handl.* 1751. *p.* 233.).

Auena excorticata ſ. *Grutum*, pro cibo ſanorum vulgaris eſt ad iuſcula ſpiſſiora, aqua vel lacte, additis paſſulis paneque cum butyro aſſato, parata, item ad pultes lacte vel vino comedendas. Bene et ſalubriter nutrit. Hinc et febrientibus pro cibo

conceditur. Cocta cum copioſiori aqua potus conſueti loco in febribus eſſe poteſt, coniungens ea beneficia, quae ſupra de ptiſana (*Appar. med. vol.* 5. *p.* 364.) expoſui. Ob multum mucilaginis clysmatis inſtar domeſtici eſt ſub vulgari olei vnguinoſi et ſalis communis connubio. Puls aqua facta et tepide applicata ad emolliendos et maturandos tumores egregie valet, e. c. in tumoribus mammarum a lacte coagulato, quae ipſa efficacius et tutius ſecretionem lactis apud puerperas promouet, quam ſolitae iſtae antliae.

Farina vaſi ligneo indita et aqua calida perfuſa, donec aceſcat, h. e. fermentationem ſubeat, potum ſuppeditat in ſcorbuto coërcendo proficuum. Nempe aqua decantatur et ad ſpiſſitatem gelatinae denſatur, quae ſaccharo et vino gratior fit (Conf. PRINGLE'S *Diſcourſes, p.* 170.). Ratio efficaciae ex dictis ſupra de Malto Hordei explicari poteſt. — Farina toſta in eryſipelatoſis aliisque mitioribus tumoribus aliquando diſcutiendi fine applicatur.

Panis auenaceus nigricantem colorem habet et amaricantem ſaporem. A pauperioribus ruricolis in iis prouinciis Sueciae, in quibus non bene ſuccedunt alia frumenta, editur, item in Noruegia.

Ita

Ita quoque fit in montanis Freyburgi et Annaebergi a fodinarum operariis (SCHREBER *Sammlung, P.* 5. *p.* 138.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SPECIES PRO DECOCTO AVENAE ſ. BROMIO *Ph. W. p.* 182. continet Auenam, Lignum Santalum rubrum et radicem Cichorei, quibus rite cum aqua coctis poſt colationem Nitrum antimoniatum et Saccharum additur. Inuentum RICHARDI LOWER, qui ſingulari libro *Bromographia Amſtel.* 1669. illud commendauit. Serius inclaruit FRANCI, qui librum Germanice vertit, praeconio; praecipue autem FRIDERICI HOFFMANNI (*Diſſ. de cura auenacea;* item *Med. rat. ſyſtem. tom.* 4. *P.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 13. *p.* 568. variaque alia loca, item paſſim in EJUSD. *Medic. conſultatoria*) applauſu. In febribus lentis et hecticis praecipue placuit. Quum praeterea arthritidem, nephritidem, malum hypochondriacum, ſcorbutum multasque alias labes ſanare perhiberetur, expertus eſt hic potus fatum, quod tot alia, vltra modum laudata, vt contemtui et obliuioni traderetur. Libra vero eius dimidia ad integram quotidie per aliquot hebdomades bis ingerenda erat.

SACCHARVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 88. *Gen. pl. p.* 32.

544.

Pharm. SACCHARVM; TAFFIA.

Saccharum officinarum; floribus paniculatis, foliis planis LINN. *Syſt. veg. l. c.* Conf. SLOANE'S *Nat. Hiſt. of Jam. tom.* I. *p.*108. *tab.*66., quae vero paniculam modo ſiſtit; RUMPH. *Herb. Amb. tom.*5. *p.* 186. *tab.* 74. *fig.* I. HUGHES'S *Nat. Hiſt. of Barbados, p.* 244. *tab.* 23. *fig.* I. Saccharum geniculatum et ſucculentum panicula ſpatioſa BROWNE'S *nat. Hiſt. of Jam. p.* 129. Depingitur quoque in REGNAULT *Botan.* Le Sucre et a cl. CAZAUD in *Philoſ. Tranſ. vol.* 69. *P.* I. *tab.* 3. vbi praeter integram ſtirpem ſurculi variae aetatis repraeſentantur. Gramen perenne, ſponte in Africa et Aſiae inferiori parte, vt India orientali et Arabia felici, creſcens. Quod ad Americam attinet, ſunt, qui ante Europaeorum aduentum negant ibi fuiſſe ſpontaneum. Aſt hodie maioris lucri cauſa plantationes ſedulo ibidem praecipue fiunt inter circulos tropicos, vt in noua Hiſpania, Braſilia, Guadelupa, Martinica, Domingo et

et omnibus fere terris ſitus commodi, quae in poſſeſſione Europaeorum ſunt. Pro cultu ſolum plerumque aquoſum et fertile et calida ſatis ſtatio eligitur, ſed ſubinde in ſiccis quoque; imo arena, laete creſcit (AUBLET). Europaeorum clima non fert: in Gallia fruſtranea experimenta pro eo ſub dio alendo facta ſunt, feliciora in Hiſpania et Luſitania, ſed non in vſum oeconomicum continuata. in Sicilia colit.

Non probabile eſt, Saccharum noſtrum in Graecorum et Latinorum cognitionem veniſſe. Nomine Σακχαρον, σακχαρ, σακχαρι (DIOSC. *lib.* 2. *cap.* 104. GALEN. *de ſimpl. med. facult. lib.* 7. *cap.* 9. ed. CHART. *vol.* 13. *p.* 207.), vel Saccaron (PLIN. *Hiſt. nat. lib.* 12. *cap.* 8. *p.* 565. *ed.* DALECH.), vtuntur, ſed eo intelligebant concrementum quoddam, ob dulcedinem cum melle ab iſtis comparatum, ſali quoad aſpectum ſimile, item fragile, in arundine quadam vel circa eius culmos ſponte collectum, non eiusmodi, quod nos arte varia elicimus, nec niſi ad ſcopum medicum ſuum Saccharum adhibebant. Melle autem cibis ſuis dulcedinem impertierunt, imo et medicamentis, quibus nosmet ſaccharum deſtinamus. Recentiorum nemo

eſt fide dignior, qui Saccharum in Arundine ſaccharifera notiſſima dicto modo concreuiſſe animaduerterit, quod tamen ſub climate calidiori vel aetate maiori fieri forſitan poteſt. De Arundine Bambo L. autem conſtat, ſuccum ſtolonum iuniorum dulcem eſſe, adultiorem vero ſtirpem liquorem exſudare, qui iuxta internodia vi ſolis concreſcit et inſtar pumicis albi indureſcit, quod dum fit, natiua ſua ſuauitate exui fertur; quo leuius albidius et glabrius hoc concrementum eſt, eo praeſtantius cenſetur, quo magis inaequale atque cinereum, eo vilius; Saccar Mambu indigenae vocant, apud ſcriptores Arabes Tabaxir, quae vox Perſicae originis, ſ. Tabarzad nomine venit (Cfr. PISON. *Mant. aromat. p* 186. et GARCIAE AB HORTO *aromat. Hiſt.* in CLUS. *Exot. p.* 164.). Memorabile, GALENUM ſuum Saccharum mellis quidem ſpeciem vocare, ſed minus certe dulce vulgari vel, vt eius voce vtar, "noſtrate." Eo refelli poterit dubitatio, ne ex Arundine Bambo prouenerit, quod concrementum hocce dulcedine eſſet inferius. Attamen lubens dabo pluribus adhuc argumentis opus eſſe ad euincendam hanc Sacchari veterum originem.

Iisdem tenebris obnubilamur, in Arundinis ſacchariferae verae prima initia inquiſituri. Sunt, qui

qui primum in inſulis Canariis procreuiſſe exiſtimant, ſed diu Europaeis ignotum fuiſſe, donec Hiſpani et Luſitani circa littora Africae commercia alere inciperent, et ad haſce inprimis inſulas appellerent. Vnde ſtirpem primum in Hiſpaniam et Luſitaniam reportarunt et ibidem non minus quam peregrinis ſuis regionibus coluerunt. Parcus tamen ex hiſce aliisque locis, vt inſula Madera, Scti Thomae, prouentus in vſum Europaeorum fuit, donec America detegeretur, vbi ſtudioſiſſime inde ab iſto tempore locis ſupra iam a me ſignificatis ſtirps culta fuit. Parem quoque ſollertiam in littoribus Indiae et Africae adhibuiſſe creduntur (BROWNE *l. c. p.* 130.). Alii ex Aſia ad Cyprum indeque ad Siciliam tum denique ad inſulas Canarias et Maderam transmigraſſe arbitrantur.

Ex radice nodoſa culmus enaſcitur indiuiſus, ſed foliatus, octo, decem, duodecim pedum, rarius octodecim ſupraque; ad binos pollices craſſus, articulatus, articulis ad ſummum 46, diuerſae longitudinis (CAZAUD in *Philoſ. Tranſ. l. c. p.* 252.), terminans ſeſe in apicem longum enodem, attenuatum, panicula coronatum.

Propagatio ſtirpis fit ope culmorum foliis denudatorum, qui ipſi in partes quindecim vel octodecim pollices longas, diſſecti terrae molli leui, poſtquam ſulci ſex vel ſeptem pollices profundi in ea facti fuerint, diſtantia aliquot pedum immittuntur. Singulis vero ſulcis duo culmorum ſegmenta prout deſcripſi, oblique inſiguntur, vt pars ad extrema ſulci promineat. Ex gemmis articulorum tum erumpunt ſtolones, qui quatuordecim, ſedecim vel octodecim, menſium ſpatium pro maturatione, quae ipſa cognoſcitur colore luteo, requirunt. Non vltra hocce tempus differri meſſis debet, ne culmus ſicceſcat et indureſcat, et ſuccum deterioris notae, qui concretionem reſpuit, exhibeat. In colendi ſtirpem modo explicando euagari latius hic non vacat: curatius eundem perſequuti ſunt PISO (*Ind. vtriusque res natur. et med. p.* 108 *ſqq.*), LABAT (*Nouv. Voyage aux Isles de l'Amerique, tom.* I. *p.* 224 *ſqq.*), BROWNE (*l. c.*), HUGHES, CAZAUD (*lcc. ctt.*).

Magnas ſtrages in plantationibus excitat Formica ſacchariuora (LINN. *Syſt. veg. p.* 963.), nidos ſuos in culmis ipſis parans. Conſumit ſuccum et marcorem in culmis efficit. Migrationibus longis ex

vna

vna terra in aliam ſeſe transferunt hae formicae; in Martinica autem triſte nequitiae humanae exemplum exſtitit, quum in vindictam aliquis mercaturae prohibitae conuictus in plantationem iudicis ſui, Galli, transferret formicas hasce intra ampullam collectas, hic vero hoſpites hosce nociuos detegens fundum aſtute mercatoribus duobus Londinenſibus venderet (MAC INTOSH'S *Travels in Europa Aſia and Africa, vol.* 1. *p.* 286.). Aliud inſecti genus quoque memoratur, nondum ſatis determinatum, morbum excitans, quem Angli Yellow Blaſt vocant, deſtruens folia tenella, vnde ſtirps marceſcit peritque. Generantur et in morboſae ſtirpis foliis tubercula vermiculis albis repleta et maculae ſubbruni coloris (HUGHES *l. c. p.* 245.). Ipſae vulgatiſſimae formicae appetitu mirabili in ſaccharum quo vtimur, feruntur (De quo leg. narratio cl. GENTIL in *Voyage dans les mers de l'Inde, tom.* 1. *p.* 679. *ſq.* ingenioſe ornata in *Götting. Taſchencal.* 1786. *p.* 180.).

Culmis Arundinis ſacchariferae iuſtam maturitatem aſſequutis, hi ipſi prope ſoli ſuperficiem praeciduntur, trunci cum radicis adnatae parte auferuntur, vt ex reliquiis radicis noua poſt annum circiter culmorum meſſis fieri queat. Perennat vero ſtirps per viginti pluresque annos.

Folia

Folia tum vna cum panicula ſeparantur et culmi in faſciculos vinciuntur. Hi ipſi mox in molendinum transferuntur, vt circumactis per equos, boues, ventum vel vi illabentis aquae, cylindris ferreis, per quorum interſtitia tranſiguntur, conquaſſentur, et ſuccum effundant (Le veſſou Gall.), qui ciſterna colligitur, vel, quod frequentius, mox per canalem in ahenum deriuatur. Coquitur hic addita calce viua vel eius aqua vel lixiuio ſaponariorum vel cineribus puris et deſpumatur. Horum aliquo opus eſt, vt ſuperfluum acidum eo combinetur et ſaccharum in ſolidam compagem redigi poſſit. Transfertur poſtea ſuccus in alia ahena, vnum poſt alterum, numero quatuor, ſenſim minora pro varia ſpiſſitudine et claritate, ſubiuncta in quolibet noua deſpumatione et additamento nouo dictorum, donec inter digitos receptus illos quaſi conglutinet, tumque refrigeſcat in vaſis magnis (Canots) ligneis non admodum profundis. Vna huius pars ſicceſcit, altera liquida manet. Hinc opus indere vtramque vna vaſis (Bariques) infra duabus vel tribus aperturis perforatis, primum infra ſtupa clauſis, dein aperiendis, vt per foramina in ciſternas ſuppoſitas defluere ſyrupus poſſit, qui *Melaſſus* dicitur. Altera pars ſicca

ſicca arenam refert, magnisque doliis nominatim ex inſulis Americanis transfertur in Europam ſub nomine *Sacchari crudi, thomaei*, rubri (*Ph. Lond.*), vel Moſcouade (Courſe Sugar Anglis, Sucre brut Gallis). Optimum hoc eſt, quod conſtat ex maioribus granis iisque claris et albidis, et ſiccum beneque a ſyrupo liberatum eſt; deſtitui et debet acore et empyreumatico odore. Ex eiusmodi Saccharo crudo Sacchari albi $\frac{2}{5}$ parari poſſunt (DU HAMEL). Hinc cognoſcitur crudum iſtud, quod transfertur, mox peioris mox melioris notae eſſe pro depurationis vario labore; ſaepe arenam rubram refert, qui color vilioris naturae eſſe indicat.

Depurandi illud in varios gradus artificium ſ. Rafinationem ample diſcutere hic non licet, ne prolixitate nimia peccetur, tanto minus, quum defectu terminorum aptorum, quo laborat Latinum idioma, obſcuritatem remanſuram praeuideam. Ad vlteriorem cognitionem ſuppetias praeprimis attulit cl. DU HAMEL (*Art de rafiner le Sucre, Paris* 1764. *fol.*). Libram vero pro determinando inſpiſſationis gradu commodam cl. DE MORVEAU deſcripſit in *Nouv. Mem. de l'acad. de Dijon; ſec. ſem.* 1783. *p.* 52 *ſqq.* Depuratum hocce Saccharum

varias

varias formas habet, quarum vero vſitatiſſima conica eſt, vnde *Saccharum pyramidale* dicitur; in hac primum perſequenda commorabor. Coquitur nimirum Saccharum crudum aheno cupreo in connubio aquae calcis, quo acidum nudum Sacchari abſorbeatur, vel in connubio ſanguinis bovilli vel albuminis ouorum, quo oleoſis et mucilaginoſis partibus exuatur; ſub continua motitatione et deſpumatione. Transmittitur tum per pannum laneum intra corbem et poſt nouam coctionem transfertur in refrigeratorium vas, et ex hoc poſt refrigerationem in modulos argillaceos non vitreatos conicos apice perforato deorſum verſo, primum linteo conuoluto et aqua humectato obturando, dein, vt ſyrupo exitus paretur, aperiendo. Iactura per ſyrupi effluxum reſarcitur Saccharo contuſo. Quo vero omni colore alieno Saccharum priuetur, oportet operire illud ad baſin coni argilla macra pura aqua humectata, quod iteratur ad albedinem Sacchari iuſtam. Invertitur tandem conus, ſeparantur ſordes cultris et verriculo, et ſiccatur ope caloris omnino in hypocauſto probe calefacto, quibus factis obuoluitur charta craſſiori alba vel coerulea et funiculis obligatur. Multa nomina ſortiuntur panes iſti conici inter

commer-

commercia pro gradu depurationis vario, quorum vulgatiſſima ſecundum puritatis ordinem haec ſunt: Caſſonade, quod Saccharum impurum adhuc manifeſte eſt, Melis, Refinade, Saccharum Canarienſe, quod fere idem eſt, ac finiſſimum (Sucre Royal). In medicum vſum Canarienſe praecipimus. Quo durius compactius magisque album eſt Saccharum, eo purius; ſolui quoque probae notae Saccharum omnino in aqua debet, nec mutare colorem et pelluciditatem ſolutionis aquoſae mercurii ſublimati, nec tritum ſale ammoniaco odorem volatilem ſpargere.

Alia depurati Sacchari ſpecies eſt *tabulatum*, quod incruſtat ahena, quibus ſaccharum coquitur. — Alia *Saccharum candum* vel canti. — *Saccharum farinaceum* (Puderzucker) venale vel eſt crudum illud ſollertius loco natali depuratum, vel ſaccharum antea ſolidum rudius contuſum.

Saccharum candum obtinetur, dum ſaccharum depuratum ſed non nimis inſpiſſatum vaſis cupreis ad latera perforatis, vt fila tenſa tranſigi poſſint, dein papyro extus ad claudenda foramina veſtitis, inditur. Haecce dum hypocauſto primum frigido dein valde calefacto retinentur, circa fila cryſtalli gene-

generantur, quarum color variat pro diuerſa puritate, ita vt Saccharum candum album et vario gradu brunum proſtet. Piſtores dulciarii loco filorum ſubinde bacillis ex Cinnamomo aliisque vtuntur et Saccharum ornatus cauſa variis coloribus imbuunt.

Syrupus, qui ſub varia depuratione Sacchari ex modulis defluxit, gradu pariter puritatis differt, et nominibus diuerſis diſtinguitur.

Saccharina materie inſigni liberalitate natura hominibus proſpexit, vt quae per regnum vegetabile ample diſtribuitur. Eam ex Boraſſo flabelliformi colligunt Jauani, ex Coco nucifera Indoſtani. Magno cum lucro in hunc finem ſuccus Aceris ſaccharini elicitur terebrando in America ſeptentrionali, nempe librae huius viginti libram vnam Sacchari bonae notae ſuggerunt (Vid. praeter cl. KALM in *Kongl. Vet. Acad. Handl.* 1751. *p.* 147. A WANGENHEIM *Beytrag zur Forſtwiſſenſchaft*, *p.* 26. *Mem. d' agriculture de Paris* 1787. *Printems p.* 49. SCHÖPF *Reiſe durch N. Amerika*, *vol.*1. *p.*417. LOSKIEL *Geſchichte d. Miſſion der evangel. Brüder unter d. Indianern in Nordamerika*, *p.* 92.), prout et aliae Aceris ſpecies Saccharum etſi altero peius ſuppeditant.

Clarent

Clarent vel hoc nomine quaedam Juglandes et Betulae. Nouae Hiſpaniae incolae ex Aloës cuiusdam ſpecie, ſine dubio Agaue americana, Saccharum parant. Eidem ſcopo inſeruit ſuccus florum Aſclepiadis Syriacae Canadenſibus; item Zeae Mays. Imo nec boreales gentes deſtitui hocce oblectamento voluit benefica natura; docet id Heracleum Sphondylium, Kamſchadalenſibus gratum, et Fucus ſaccharinus, Iſlandorum delicium. Paſſim iam in hoc ipſo libro commemoratae ſunt radices Saccharo foetae, vt Betae rubrae, Ciclae, Siſari; item fructus multi, vt Caricae, Paſſulae, Pruna, Juiubae, Siliqua dulcis, Dactyli; nec non Manna, vt taceam alia exempla vegetabilium, quae alibi (*Opuſc. med. vol.* 1. *p.* 160 *ſqq.*) cum ampliori recenſitorum expoſitione propoſui, et hic deſcribendi negotium fugiens repetere dubito. Sacchari praeſentia in regno animali in melle et lacte ſeſe manifeſtat, niſi et hic vegetabilem originem arguas, vt morboſas opportunitates non attingam, prout in diabete. Addo, olea vnguinoſa, butyrum, axungiam porcinam adeo, Sacchari ſpeciem continere, ſed variis notis a Saccharo Arundinis noſtrae et melle diuerſam (SCHEELE in *Vet. Acad. Handl.* 1783. *p.* 324. *ſqq.*).

Aſt maximo lucro Saccharum ex Arundine ſaccharifera elicitur illudque praeſtantiſſimum. Eo quoque inuento mellis, qui antea increbuerat, vſus, mirifice tam in oeconomia quam in medicina decreuit. Reliquis ſtirpibus vel multo parcius ineſt Saccharum, vel aliis partibus nimis irretitum.

Saccharum illud purum, quod panis conici forma venditur, ſal eſſentiale eſt, albi coloris, durum, ſed friabile, dulciſſimi ſaporis. Particulae micantes, in fragmentis comparentes, cryſtalli ſunt; apertius harum figura conſpicitur in Saccharo cando, vt quae tetraëdrae lateribus parallelis duobus oppoſitis latioribus, vtroque extremo cuneatis. Soluitur cito aqua, praecipue tepida vel calida; difficilius autem et tardius ſpiritu vini, et ſponte poſt aliquot dies in eo in cryſtallos iterum frigore coit. Igne liquatur, accenſum carbone candente autem ardet flamma coerulea, fumum haud ingratum ſpargente, intumeſcit, ſpumam agit relictis carbonibus. Iungit quaedam corpora alias non miſcibilia, vt oleum deſtillatum cum aqua, et coagulum lactis impedit. Fermentationem vinoſam item acidam aqua ſolutum calore adiuuante vel fermento facile ſubit.

Per

Per ſe in vaſe retorto vitreo capaci deſtillatum leni ſub initium igne, dein aucto, primo phlegma pallide flaueſcens odoris imbecillis et nullius fere ſaporis, parum aut nihil aciduli, edit; quod excipit ſpiritus flauus ex oleo admixto, dein flauo rubicundus, acidus mobiliſſimus, qui olfactus inſtar Armoraciae nares pungit et lacrymas proritat; ſequitur pauxillum olei bruno nigricantis; remanente in vaſe retorto maſſa nigra inerte (NEUMANNS *Chymie ed.* KESSEL *vol.* 2. *P.* 4. *p.* 143. *ſq.* CARTHEUS. *Mat. med. tom.* 1. *p.* 413. SCHRICKEL *Diſſ. cit.* §. 19-25.). Haec calcareae terrae pauxillum includit (V. SCHRICKEL *de ſalibus ſaccharinis, p.* 30. et praecipue HJELM in *Vet. Acad. Handl.* 1783. *p.* 227.). Quo impurius Saccharum, eo plus calcareae terrae continet (HJELM).

Acidi praeſentia non obſcure ex pluribus hactenus recenſitis indiciis eluceſcit, aſt combinatum adeo ante eſt cum aliis partibus, praecipue oleoſo ſ. pingui, vt vera eius natura inde cognoſci nequeat. Diuellendi acidum a reliquis compedibus artem edocuit ill. BERGMAN (*Diſſ. de acido ſacchari* 1776. recuſ. in *Opuſc. phyſ. et chem. vol.* 1. *p.* 251 *ſqq. Act. nov. Vpſal. vol.* 2. *p.* 211.). Ad pingue,

 quo

quo copulatur, deſtruendum, acido nitri opus eſt. Coquuntur nimirum leniter acidi nitri fortis ſex ad octo partes cum Sacchari albi in puluerem redacti parte vna in vaſe retorto vitreo. Dum acidum nitri aggreditur phlogiſton Sacchari, erumpunt vapores rubri, quibus euaneſcentibus liquidum ſuperſtes in vas aliud amplum transfuſum cryſtallos priſmaticas quadrilateras graciles acidiſſimas refrigeratione format. Lixiuio ſi iterum duae ad quatuor partes acidi nitroſi adfunduntur, nouae cryſtalli generantur. Et hoc iterum artificium repeti poteſt ad nouum acidi Sacchari prouentum. Cryſtalli hae iterata ſolutione et cryſtalliſatione depurantur, quod praecipue in cryſtallis ſerioris collectionis fieri neceſſe eſt. Valde vero parca quantitate eliciuntur, ita vt, ad comparandam vnam partem ſalis huius, requirantur Sacchari tres et acidi nitri fortis triginta partes. Ineſt hisce ſapor acerrimus, adeo vt earum grana viginti integrum aquae congium notabili acore inſtruant, grato tamen linguae, modo diluatur. Habet hoc acidum multa cum aliis acidis communia, multa tamen etiam diuerſa, quae huius loci non eſt exponere. Addo modo illud calcem prae omnibus aliis corporibus appetere, vnde neceſſitas aquae calcis in depurando

Saccha-

Saccharo cognoſcitur. Hinc et nihil efficacius eſt ad detegendam calcem aquis ſolutam acido ſacchari, nam ſoluti eius vel minima portiuncula mox in calcem reconditam fertur, et haec puluerem album indiſſolubilem cum eo efficiens fundum petit (BERGMAN *Diſſ. de analyſi aquarum* in *Opuſc. chem. et phyſ. tom.* I. *p.* 98.).

Sacchari acidum, quod cl. SCHRICKEL ſicca deſtillatione prouocat, ſubiuncta rectificatione per argillam et concentratione per frigus, vt tenuior pars in glaciem vertatur (V. SCHRICKEL *Diſſ. cit.*), multis notis differt a priori, nam hoc poſterius, quod fluidum eſt, ſyrupum Violarum non rufat, cum alcali volatili in cryſtallos non redigitur, praeter alia. Dubitari nequit hoc longe plus olei ſuperſtitis continere. Eo tamen aurum ſoluere ope caloris valuit (*l. c.* §. 31.). Phlogiſto magis depuratur, ſi digeritur hocce acidum carbonibus antea bene ignitis per aliquot temporis minuta pr. (PIEPENBRING in CRELLS *Chem. Ann.* 1787. *vol.* I. *p.* 157.). — Obiectioni acidum Sacchari Bergmanianum nihil eſſe, niſi acidum nitri phlogiſto mutatum, iam obuiam iuit cl. BERGMAN (*Opuſc. cit. p.* 274.). Argumenta, quibus nihilominus tamen eandem defendit cl. WIEGLEB (in

CRELLS *chem. Annal.* 1784. *B.* 2. *p.* 12. *ſqq.* *p.* 100. *ſqq.*) obtudit cl. WESTRUMB (*Kleine phyſikal. chem. Abhandl. vol.* 1. *p.* 1. *ſqq.*).

Idem acidum praeterquam ſaccharo multis aliis vegetabilibus partibus ineſt, vt ſucco citri, ribeſiorum, berberum, ceraſorum, aceto, tamarindis, acido tartari, oleis vnguinoſis, item variis aethereis, ſpiritui vini, radici Salep, Taraxaci, amylo, gummi variis &c. Quin ex multis animalibus partibus elici poteſt, vt ſerico, lana, pilis, cute, tendinibus, albumine ouorum, ſanguine coagulato, item etſi minori quantitate ex fibris muſcularibus, glutine, ſero coagulato, vitello oui, ichthyocolla, pinguedine, ſaccharo lactis rel. (BERTHOLLET in *Mem. de l'acad. R. des ſc. de Paris* 1780. *p.* 120. *ſqq.* SCHEELE in *Vet. Acad. Handl.* 1785. *p.* 23. *ſqq.* item *p.* 26. *ſqq.*). Occurrit et in calculo vrinario (BERGMAN. *Opuſc. vol.* 1. *p.* 254. SCOPOLI in CRELLS *Beyträg. zu d. Annal. vol.* 2. *p.* 261.). Ex acido aceti, aëre puro et phlogiſto conflari probabile viſum eſt (WESTRUMB *l. c. p.* 48.). Nec differt acidum Sacchari ab acido Acetoſellae (SCHEELE in *Vet. Acad. Handl.* 1784. *p.* 186. item WESTRUMB *l. c. p.* 51.). Quin coniectura enaſcitur, hocce acidum quaſi funda-

fundamentale totius regni vegetabilis eſſe, a quo reliqua maiori tantum quantitate phlogiſti admixti differrent (WESTRUMB in *Chem. Annal.* 1785. *vol.* 2. *p.* 520. *ſqq.*).

Praeter acidum dictum Saccharo haud parum olei ineſt. Deſtillatione et ſeparatione a reliquis partibus ex Sacchari vnciis ſedecim olei drachmas decem cum aliquot granis obtinuit cl. SCHRICKEL (*l. c.* § 24.), vt tamen agnoſcendum, aliquam olei partem ſpiritui adhuc inhaerere. Ad eius praeſentiam demonſtrandam hoc quoque facit, quod Saccharum igne ardet, item igne funditur, et ſpumeſcit ſub ſtrepitu, multis erumpentibus halitibus empyreumaticis et relicto carbone, et quod detonationem cum nitro ſuper igne liquefacto ſubit.

Hisce oleoſis partibus vna cum mucilaginoſis quae combuſtae terram inſipidam relinquunt, acidum ita obuoluitur, vt dignoſci guſtatu nequeat, ſed in hocce connubio dulcedinis ſenſum linguae imprimat, prout acidiſſimum vitrioli oleum ſpiritu vini iunctum dulceſcit.

Dulcœdini ſubinde mucilago vel oleum craſſius, gummi, reſina, item multum aquae vel terrae in

 corpori-

corporibus iſtis, quae illa inſtructa ſunt, ſupraque recenſui, admiſtum eſt. Hinc effectus ſubinde ſub eorum vſu emergunt, quorum ratio non a ſolo, quod ineſt ſaccharo, deriuari poteſt. Non itaque perinde eſt, vtrum Caricis, Glycyrrhiza, Melle, Saccharo lactis, an Saccharo ex Arundine ſaccharifera vtaris. Quoniam tamen in hisce ſapor dulcis per omnem reliquam miſcelam dominatur et acidum Sacchari oleumque, quae in dulcibus primaria ſunt, vbiuis praeſto ſunt, vtique communio quaedam virium obtinet. Hic vero inſtituti ratio in Sacchari vulgaris vnice virtutibus conſiderandis ſubſiſtere me iubet. Cuius non illud modo pretium eſt, quod vel ſolum efficax medicina exiſtat, vel multis medicaminibus conſeruationis, gratiae, virtutis, cauſa adiiciatur, ſed vulgare ciborum et potulentorum bene multorum condimentum conſtituat.

Quod ad diaeteticum vſum attinet, vix opus eſt, illud inſtar gulae irritamenti, dum ſolum capitur, vel cibis potulentisque cupediisque additur, commendare. Placet dulcedo infantili aetati praecipue, item ſenili plerumque. Foeminae vulgo magis ea delectantur viris. Ceterum conſuetudo cum aliis linguam fortius afficientibus, vt Tabaco,

ſpiri-

ſpirituoſis, taedium quoddam aduerſus Saccharum parere ſolet, prout Saccharo facile aſſueſcitur, Suecorum exemplo, qui vel optimo vino Rhenano Saccharum addunt. Saccharum ſicut in mortario cum oleo tritum illud cum aqua combinat: ita et iſtud cibos pinguiores ſubigit; hinc non ſaporis vnice cauſa, ſed et in praeſidium ſanitatis placentis pinguioribus inſpergitur, et vel acore, quem ſecum vehit, bilis corruptelam, quam pinguia facile excitant, auertit. Mitigat quoque in menſis acrimoniam quorundam condimentorum, vt Armoraciae, vel Sinapi. — Nutriendi potentiam, quam multi Saccharo adſcripſere, fateor me non exſpectare a Saccharo, quo vtimur, depurato. Facile quidem perſuadeor, in inſulis Americanis mancipiis reliquias, quae a ſecunda Sacchari ſucci ebullitione remanſere, in victum cedere, eaque inde et pecora, quae craſſioribus Sacchari foecibus ſaginantur, pingueſcere: ſed hiſce reiectaneis multum adhuc nutritiae materiae inhaeret, quod vlteriori depuratione conſumitur. Pugnat cum hacce facultate Sacchari vis relaxans, reſoluens, ſaponacea, et quae acida continent, corpus potius emaciant, quam replent. Hinc et BOERHAAVIUS (*Elem. chem. vol.* 2. *p.* 138.) inter multas laudes,

quas iure Saccharo tribuit, maciem illud inducere exceſſu, et vt iſte quidem putat, olea nimis ſolvendo, innuit. Miror ideo, quod adhuc nuper cl. JO. HUNTER (*Treatiſe on the venereal Diſeaſe, p.* 354. *ſq.*) Saccharum tanquam optimum reſtaurans in hominibus diuturno ieiunio debilitatis vel mercurii vſu emaciatis propoſuerit, et illud vel mel omnibus cibis potibusque tum addere iniunxerit.

Sunt, qui ex quotidiano iſto Sacchari vſu detrimentum redundare in valetudinem inſigne ſuſtinuerunt, partim argumentis ſpecioſis, partim experimentis incautius ad corpus humanum applicatis ſuffulti. Ad horum numerum refero HELMONTIUM (*Ort. med. p.* 463.), RAIUM (*Hiſt. plant. tom.* 2. *p.* 1279.), DOLAEUM (*Encycl. med. theor. pract. p.* 271.), LEONARDUM DE CAPOA (*Ragionamenti ſopra incertezza delle medicina, pag.* 500.), auctorem quendam anonymum (in *Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici, tom.* 6. *p.* 441. *ſqq.*). Pars culpae coniecta in calcem, cuius veſtigia, ſiue ab Arundine ipſa repetenda, ſiue a praeparationis modo, ineſſe, negari quidem nequit, ſed tam exigua quantitate, niſi caſu fortuito vel arte male docta acceſſerit, vt nocere nullo modo queat. Obſtat et timori ſalubri-

ſalubritas, quam in variis morbis a calce exſtincta vel aqua calcis experimur. Id agnoſcendum, tanto plus calcis ineſſe ſaccharo, quo rudius eſt. — Alii acidum acre et erodens accuſarunt, quod quidem quam difficile ex Saccharo euoluatur, ex ſuperiobus patet. Non igitur huic poteſtati ſufficiunt primarum viarum vires. Ridiculum vero plane eſt, fermentationem arguere, ſpirituoſum extricantem, vnde ſanguis commoueretur et incaleſceret, ventriculi inflammationes enaſcerentur &c. (V. de hac accuſatione *Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici l. c. p.* 459.) — Experimenta vermium varii generis, ſc. Lumbricorum terreſtrium, Scolopendrarum marinarum, Sanguiſugarum (REDI *Obſſ. de animalcul. viuis in corp. viv. p.* 166 *ſqq.*), necatorum Saccharo inſperſo vel immerſione in aquam ſaccharatam, qui in ignominiam Sacchari citant, non meminerunt, quam diuerſa hisce a noſtra natura competat. Experimenta ſimilis euentus cum ranis Saccharo conſperſis, columba et duabus anatibus, quibus fruſtum Sacchari intruſum, ſuſpecta ore anonymi (*Raccolta p.* 467.) eſſent, niſi repetitione haud ita pridem publici iuris facta a viro grauiſſimo, cl. CARMINATI (*Opuſc. therapeut. vol.* 1.), et adiectis nouis experimentis robur obtinerent. Ita ranae ex puluere

drachmae

drachmae vnius Sacchari, quo conſpergebantur, ſtupore correptae ex vniuerſo corpore humorem limpidum emiſerunt, crura protruſerunt et in ſoporem delapſae quadraginta horarum circiter ſpatio occubuerunt, ponderis quinta parte amiſſa (*l. c. p.* 111.). Ex viginti granis Sacchari fruſtulatim ranae per os intruſis continuo ſopor, irritabilitas deleta, et intra horam mors (*l. c. p.* 113.). Lacertis vulgaribus Saccharum adhuc nocentius ſeſe exhibuit, ex paucis enim granis interne datis poſt ſoporem conuulſiones, intra quadrantem horae mors (*p.* 114.). Deleterium vtrique animalium generi extitit Saccharum intra cutem intruſum (*l. c.*). Columbis Saccharum vel ſiccum vel aqua ſolutum per os ad quinqne ſcrupulos inditum, tumorem ingluuiei et poſt eius compreſſionem effluuium ſubflaui humoris per os, ſtuporem, contractionem crurum, conuulſiones et intra horam necem attulit. Gallinis autem ad vnciam aut ſeſquiunciam datum pepercit, nec niſi aluum liquidam reddidit, excepta vna, quae nouem drachmis deuoratis reiecto muco ex ore et conuulſionibus accedentibus periit. Paſſeribus nullam vim intulit. Inter quadrupedia ſelectus factus eſt ouis, cui ſex vnciae Sacchari per os datae nonniſi alui fluxum excita-

excitarunt, et canum, qui ſemilibram ieiuno ſtomacho ſine vlla noxa deglutierunt. — Sic itaque quo magis accederent animalia, quae experimenta ſubierunt, ad noſtram naturam, eo minus vel nihil noxae ex Saccharo redundauit.

Nolo tamen ex hisce eam fiduciam concipi, quae metum omnis ex abuſu poenae ſufflaminaret. Nocet copia, vel mala opportunitate, ob inſignem, qua pollet, attenuandi et ſoluendi liquida et fibras relaxandi potentiam, item ob acidi euoluti, etſi ad partem modo, irritandi neruos et muſculos vim, quam debilitas inſignis ſubſequitur. Fidem rei faciunt, inter alia documenta, experimenta nouiſſima cl. STARK (*Clinical and anatomical Obſervations with Experiments diaetetical and ſtatical. Verſ. Germ. p.* 141 *ſqq.*) in illo ipſo facta, qui per plures dies Saccharum ab vnciis quatuor ad octo, decem, ſedecim, quin viginti cum aqua et pane ingeſſit, vnde qualibet vice paullo poſt fames, nauſea, flatus, vlcuſcula oris interni, gingiuae rubrae et tumidae, preſſione ſanguinem fundentes, aluus liquida, dolor et rubedo naris dextrae, ſtillae aliquot ſanguinis ex nare eadem, ſtriae ſaturate rubrae in ſcapula dextra. Fuit puer decem

anno-

annorum, natura mobiliſſimus et infirmitate ſtomachi et acido primarum viarum laborans, qui ex pyxide plura Sacchari albiſſimi fruſtula furtim ablata intra exiguum temporis ſpatium auide deuorauit, ſed eo effectu, vt paullo poſt aegre ſe habens, dormitum quum ſeſe contuliſſet, ſequenti die mortuus in lecto reperiretur: corde maculis ruberrimis diſtincto et ſanguine ſoluto (REZIA in CARMINATI *l. c. p.* 129. *not.*). Probabilis ſaltim mortis cauſa, ſub iſta corporis conditione exſtitit. In gelatinoſam ſanguinis partem haec ipſa reſolutio ſeſe praecipue exſerere videtur, nam ſub experimentis cum carne varia, cui Saccharum inſperſum, diffluxit ſerum in notabile ponderis carnis reſiduae diſpendium, ita vt ſicca inde et dura euaderet (*Raccolta l. c. p.* 471.). Huc et ſpectat iactura ponderis quorundam minorum animalium, cum craſſioris liquidi excretione (V. ſupra *p.* 412.). Et quum ſanguini vena effuſo adderetur Saccharum, ſeri multum ex cruore ſeceſſit, et liquidior ille apparuit alio ſanguine, qui iſtud additamentum non expertus fuerat (CARMINATI *loc. cit. p.* 130.). Nutritionem adeo turbari et emaciationem corporis ſuccedere exceſſu obſeruatur, qui effectus tamen quoad partem haud immerito quaeritur in vi Sac-

chari

chari tonum ventriculi pulmonum et reliqui corporis relaxandi. Etenim abuſus dulcium iam dudum inter cauſas phthiſeos pulmonalis locum obtinuit, nec minus euictum, male conſuli aegris tuſſi conuulſiua vel alia obſtinata correptis, ob debilitandi noxam, dulcium, ſicuti et oleoſorum et mucilaginoſorum, protracta nimis exhibitione. Saccharo Theae vel Coffeae largius addito, noua debilitandi corpus cauſa hisce potulentis accedit. Alias moleſtias fermentatione in primis viis enata, qua flatus excitantur, creat; alias acore ſuo, qui licet non in acido puro Sacchari, ſed reliquis Sacchari partibus laxius ſociato, conſiſtat, ſenſum tamen ingratum et ructus acidos, dentium adeo ſtuporem inducentes ciet, bilis vim in chylo praeparando eneruat, et ſanguinem ipſum inquinat. Infeſtum igitur eſt virginibus chloroticis, infantibus rachiticis, hominibus hyſtericis et hypochondriacis, in quibus acidum iam antea dominatur et Saccharo nouum pabulum adipiſcitur. Carioſi quoque inde fiunt dentes nigrique, praecipue ſi rimas egit tegmen eorum vitreum calidis ingeſtis vel Saccharo duro inter dentes comminuto.

Noxae tamen, quas ſuſcitat Saccharum abundantius ingeſtum, a corporum praeprimis habitu

et

et natura deriuandae ſunt. Documenta enim exſtant varia hominum, qui etiamſi liberius Saccharo indulgentes grandaeuam tamen eamque vegetam ſenectutem attigerunt. Qui libram fere Sacchari quotidie per quadraginta circiter annos ingeſſerat Dux DE BEAUFORT, ſeptuagenarius tamen mortuus ſine vlla vel viſcerum vel dentium labe (SLARE's *Obſervations upon Bezoar-Stones with a vindication of Sugars, p.* 59.). Vltra nonageſimi anni limitem peruenit COSTERUS, iuriſconſultus Batauus celebris, licet tantum Sacchari conſumeret, vt quinque vel ſex aliis hominibus ſufficeret. Similia exempla ſuis nominibus reliquerunt FRIDER. HOFFMANNUS, BERGERUS, Prof. Witteb., LEYSERUS (TRILL. *Theſ. medic. tom.* 1. *p.* 204.), largiter et cibos et potus quosuis Saccharo edulcantes.

Iam vero pedem ad morbos transfero, quibus Saccharum haud mediocrem inter medicamina locum tueri patet. Saponacea eius natura in reſoluendis ſpiſſis humoribus et coagulis quibusdam liquandis ſeſe manifeſtat. Illuſtrat eandem impedimentum, quod lacti coagulum ſubituro ponit, item facilis cum oleoſis, viſcidis, miſcela, nec non efficacia in ſero diſſoluendo nuper (*p.*414.) propoſita.

ſita. In acutis febribus, et nominatim inflammatoriis, tenacem et ſtagnantem in minimis vaſis ſanguinem attenuat et liquat, quo ſcopo Saccharum in ſubſtantia, vel robis, ſyrupi, trochiſcorum, variaque alia forma, mixturis, ptiſanis, pulueribus admiſceri ſolet. Sicque vices mellis, alias in hiſce morbis frequentioris, agit apud hos, quibus eius ſapor diſplicet, vel illud flatibus et torminibus moleſtum eſt. Acor vero, quem Saccharum recondit, tanto aptius illud febribus reddit, vt quo ipſo calorem mitigat. Eadem ſoluendi praeſtantia pituitam, in tuſſi et aſthmate vias aëreas grauantem, ſubigit et ad ſcreatus diſponit. Ratio tamen ſimul tam in inflammatoriis morbis, quam in hiſce proxime dictis chronicis pectoris, habenda relaxantis Sacchari virtutis, qua impacta tenacius ipſa vaſorum aucta flexilitate liberantur.

Ad cauſas diminuendas et remouendas, ex quibus calculus et podagra originem trahunt, par Saccharum iudicat LOBBIUS (*de diſſolv. calc. p.275.*). Nec errare mihi videor, ſi in hac re mellis vires in illud transferam. Calculus vrinarius aquae mellitae immiſſus bullas eiaculatur, molleſcit et ponderis iacturam patitur. Ita calculis vel renum ſabulo

bulo afflictos libra circiter vna cum quadrante quauis hebdomade ſub longa continuatione ſumta egregie ſolatur (PRINGLE in PERCIVAL'S *phil. medical and experimental Eſſays, Lond.* 1776. *p.* 232.). An aceſcente ſua natura, an fermenteſcibili, quae aërem fixum euoluit, Saccharum vel mel calculum vincit? Poſterius ſuadet ſucceſſus experimentorum cll. PRIESTLEY, PERCIVAL, HULME, aliorum, felix cum aqua aëre fixo impraegnata, et eidem malo oppoſita.

Mirifice etiam Saccharum valet in putredine et arcenda et ſuperanda. De hacce eius potentia experimenta extra corpus humanum capta egregie cum iis in morbis conſpirant. Integrae nefrendes cum Saccharo liquido ſub coctione intinctae et quaſi in momento extractae ita penetrari obſeruatum, vt nunquam amplius putreſcerent; et carnem ceruinam Saccharo ita condiri, vt ſumma aeſtate putredini reſiſtat (BECCHERI *Phyſ. ſubterr. lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. *p.* 143.). Ita caro vitulina et alia vice cor veruecinum puluere Sacchari conſperſum ſub inſigni ponderis diſpendio immune a putredine manſit et exſiccatum (ANON. in *Raccolta d'Opuſcoli ſcient. tom.* 6. *p.* 471. *ſqq.*). Eadem immunitas contigit vitello oui (MESNY in cl. TARGIONI *Raccolta di*

Opuſcoli

Opuſcoli medico-pratici, vol. 3. p. 32.) item ſanguini recenti ſolutioni Sacchari indito (*l. c. p. 36.*). Exigua quidem Sacchari quantitas carni bubulae addita non ſufficit auertendae putredini, fermentatione autem orta vincitur (PRINGLE *on the Diſeaſes of the army, App. p. XL.* Auct. anon. libri *Eſſay pour ſervir à l'hiſtoire de la putrefaction, p.* 98.). Iam mente facile concipitur, cur Babylonii, HERODOTO teſte, cadauera ſua humana melle ſepeliuerint. — Scite iam dudum notatum, Indos, quibus copia Sacchari ſuppetit, nunquam ſcorbuto corripi (BECCHER *l. c.*). Iſtius beneficio et tribuit cl. PRINGLE (*l. c. Append.* item *p.* 334.), quod hodie longe rarius leprae ſpecies vt iſta Arabum, ſcorbutus putridus, dyſenteria, febres peſtilentiales et ſimiles putridae indolis morbi compareant, quam olim, dum modum in victu animali, praecipue ſalito, excedebant. Suaſum ideo ſagaci conſilio ad ſcorbutum in peregrinationibus maritimis auertendum, vt nautis quotidie aliquid Sacchari exhiberetur (MACBRIDE's *experimental Eſſays, p.* 181.). Vere poſtea explorata praeclara eius vis antiſcorbutica ſub interno vſu eſt, prout gingiuis hoc morbo correptis externa eius applicatio medelam attulit (DE LONNES in *Biblioteca fiſica d'Europa, tom.* I. *n.* 7.). Lucem accendit aliorum quorundam

Dd 2 celebra-

celebratiorum noſtro tempore contra hoc malum vis, vt Malti infuſi, Braſſicae aceſcentis rel. quae ſingula perſuadent antiputredinoſam Sacchari potentiam praecipue ſubtiliſſimo illo liquido acidulo deberi, quod ſub fermentatione Sacchari extricatur.

In vlceribus internis detergendis et conſolidandis praeterea valet. Egregium eius exemplum praebet vis conſeruae Roſarum in phthiſi pulmonum exulcerata, de qua, quum alibi iam dixerim abundanter (*Appar. med. vol. 3. p.* 167.), nolo heic plura ſubiicere. Illuſtrant rem quae ſimilibus in vitiis externis comperimus.

Populari fere errore reprehenditur Saccharum, tanquam res vermium inteſtinalium generationi apud infantes fauens, vnde admoneri ſolent, vt ab eo abſtineant. Alia docent experimenta cum lumbricis terreſtribus inſtituta, qui ipſi aquae ſaccharo impraegnatae immerſi, ad experimenta cl. REDI (*Obſſ. de animalculis viv. in animal. viv. p.* 166. 168.), intra vnam vel duas horas interierunt, teſte cl. CARMINATI (*l. c. p.* 122.) autem, qui videtur adhibuiſſe lumbricos humanos, modo intra ſex vel ſeptem horas; quum tamen lumbrici terreſtres in decocto

Abſyn-

Abſynthii a 20 ad 30 horas, et in ſolutione Aloës 24 horas viuere pergerent (REDI). Suppar fuit mellis aqua diluti efficacia. Idem deleterius effectus in lumbricis ex humano corpore deiectis ſeſe exſeruit intra pauca minuta pr. ex Saccharo inſperſo (CARMINATI *l. c. p.* 121.). In applicatione tamen horum euentuum ad ſimiles in corpore humano reminiſcendum eſt, humoribus primarum viarum, qui ſeſe admiſcent, non poſſe non eneruari vim Sacchari, nec poſſe puluerem Sacchari, qui aqua ſaccharata potentior eſt, ad ſedes remotas, vbi vermes haerent, pertingere, item Saccharum, ſi ea copia aſſumeretur, vt ipſos vermes breui necaret, ipſi hominis verminoſi valetudini vim inferre. Confirmatur id eo, quod nec vncia vna Sacchari aegro ingeſti vermes eiiceret, nec moleſtias eorum manifeſte leuaret. Quicquid ſit, ne defraudetur Saccharum virtute anthelmintica vel in corpore humano ſeſe manifeſtante, en exemplum pueri, qui confectione ſaccharata abundanter ingeſta copiam vermium aluo deiecit (ANDRY *Generation des vers, p.* 164.); et aliud ſimilis euentus ex Saccharo roſato, copioſius ſumto, conſequuti. Apte igitur et Saccharum vel mel commiſcetur cum alia quauis medicina necandis vel expellendis vermibus dicata,

 quod

quod, dum palato infantili gratificatur, ſimul vermibus exitium parat.

Externa Sacchari applicatio variis quoque in vitiis eximiae efficaciae eſt, quippe quum ſub iſta abſtergendi, diſcutiendi, conſolidandi, item leuiter ſtimulandi vim exerceat.

In aphthis dulcia quaeuis penicillo affricta, vel linctus ſiue collutionis inſtar adhibita, profunt ad easdem ſeparandas, mundandas et conſolidandas. Vulgo hocce fine mellita, praecipue mel Roſarum, vſurpantur. Abſtergit et aqua ſaccharata, ſyringa auribus iniecta, foetidum earum profluuium mucoſum et ſubpurulentum. Fiſſurae papillarum mammarum ſaepe vel Saccharo cando vnice inſperſo ſanantur. Idem praeſtat applicatio Sacchari candelae flamma liquati et in cella deliquium paſſi (LANGE *Miſc. verit. med. p.* 24.). Conducit quoque et papillas Saccharo in ſpiritu vini ſoluto humectare (FIELITZ *Erinner. Wundärzte zu bilden, p.* 63.).

Tentatur et in cicatriculis vel maculis corneae delendis Saccharum candum, per calamum ſcriptorium exiguis portiunculis inflatum. Eius ope disparuit macula in ſiniſtro oculo poſt variolas ſuper-

ſtes

ſtes (FR. HOFFM. *Diſſ. Sacchari hiſtoria, p. 39.*). Vi eius blande cathaereticae, quae duris et aſperis Sacchari candi particulis debetur, ſub applicatione exiguae durationis, quum a confluentibus lacrymis paullo poſt deliqueſcat, aſſociat ſeſe ſoluens et diſſipans efficacia, quae pluris me iudice in hisce viſus obſtaculis facienda. Vtrumque ſcopum ſibi praefixum habent, qui puluerem quendam terreum cum Saccharo miſcent. Aufert et aliquando carnem vlcerum fungoſam inſperſus et antiſeptica vi eadem emendat. Coryzam infantum diſcutere quoque ſolet puluis eius naribus inflatus.

Rarius alui ſtimulandae cauſa Saccharum clysmatibus adiicitur, crebrius longe mel. Placet tamen quibusdam additamentum Sacchari thomaei ad vnam vel alteram vnciam. In globulis ſaccharinis ad mechanicam per pondus preſſionem ſimul reſpiciendum eſt.

Corrigit aërem corruptum Saccharum carbonibus candentibus inſperſum, hinc et pulueres fumales ruditer conquaſſatum ingredi ſolet.

Nec omittenda hic ſunt commoda iſta inſignia, quae Saccharum in ſubigendis vel excipiendis qui-

buſdam medicamentis, item in gratia iis concilianda vel integritate conſeruanda praeſtat. Ita radicis Jalappae puluis ſollerti tritura cum Saccharo indiget, quo reſinoſae partes rite ſubigantur, quod niſi fiat, moleſta ſaepe tormina ſuſcitat. Item camphora, quae ſola in puluerem ſeſe conteri non patitur, Saccharo adiuuanti facile obſequitur. — Sunt remedia, quae nonniſi vno vel altero grano ſubminiſtrare opportunum eſt, vt Kermes minerale, flores Zinci, Vitriolum martis, Ipecacuanha: additamento igitur innoxio opus eſt, ne iactura fiat tam exigui ponderis, dum ſicca forma exhibentur, quo quidem fine Saccharum commode eligitur. Imo caſus incidit, vt medicamenta quaedam ſicca, e. c. Opium, Tartarus emeticus, Ipecacuanha, minori quantitate ingerantur, quam cui definiendae vulgaria pondera ſufficiunt, vt ad $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$ vel $\frac{1}{16}$ vel minorem adhuc grani partem: pro partitione aequali igitur Saccharo vtimur, quod connubium praeſtantius omnino eſt illo cum conchis praeparatis vel alio quodam abſorbente. — Admixto Saccharo omnino quaedam remedia a delicatulis facilius feruntur, quae ſola ob ſaporem repudiant; ſed cauendum, ne guſtui blandientes liberaliori dulcium vſu medicinam eneruemus vel vitiis ex abuſu enaſci

ſolitis,

ſolitis, debilitatione, acore &c. (V. ſupra) nouas noxas afferamus.

Inſignis inſuper cohors in pharmacopoliis praeſto eſt praeparatorum et compoſitorum, quae Saccharum vel gratiae, vel virtutis, vel conſeruationis cauſa recipiunt, quorſum Conſeruae, Rotulae, Trochiſci, Bacilli, Confectiones, Condita, Morſuli, Rob, Syrupi &c. quorum nomina diſpenſatoria pharmaceutica deſignant. Heic modo ſubſiſtendum eſt in recenſione aliquot praeparatorum, quae Sacchari nomen in fronte gerunt, quae antequam enucleantur, de Taffia primum dicendum eſt.

Conſilium quidem datum eſt, ex Arundine ſaccharifera, octo vel decem diebus ſeruata, expreſſione ſucci praeuia, fermentationis ope ſpeciem vini parandi (V. DUTRONE-LA COUTURE in ROZIER *Journ. de Phyſique, vol.* 31. *Septemb. p.* 179.). Sed vix vltra conſilium hactenus res proceſſit. Quidni vero fieret cum lucro, quum fermentationem ſpirituoſam facile hic ſuccus intret. In inſula Owaihi cereuiſiae ſapidae ſpeciem ex Arundine hacce infuſione parauit inclytus iſte nauigator COOK, item Lupulo condiuit: ſed nautae bibere illam recuſarunt (V. iter EJ. tertium, verſ. Germ. FORSTERI

vol. 2. *p.* 195.). Aſt ſerius longe commodum redundat ex liquido ſpirituoſis partibus longe magis foeto, ab Anglis RUM, a Gallis TAFFIA dicto; tanto magis aeſtimando, quum ex reiectaneis variis Arundinis Sacchari partibus elici queat. Vulgo ſpuma ſub coctione aſcendens, aqua, qua ahena abluta fuerunt, et fermentum clarum fermentationi committuntur, quae ſi initium ceperit ſyrupi melaſſi quantitas per partes additur, et fermentatione intra quatuor vel quinque dies continuata deſtillatio inſtituitur. Alii praeferunt ſyrupum melaſſum cum duplo aquae dilutum et fermenti eadem quantitate, qua ſyrupus, mixtum, vnde lentior quidem fermentatio, ſed deſtillatione egregius ſpiritus emergit, cui iterata deſtillatione plus virium impertiunt (BROWNE'S *nat. Hiſt. of Jam.* *p.* 132.). Plurima huius ſpiritus pars in inſulis Indiae occidentalis paratur. Prout ſpiritus frumenti, item uvarum, multis modis diſcrepare poteſt: ita et hicce ex Arundine ſaccharifera, colore, ſapore, odore, virtute. Quae diuerſitas multas inanes diſceptationes proximis hiſce annis, dum Gi. Guaiaci Taffia ſolutum commendabatur, ſuſcitauit (Vid. *Appar. med. vol.* 3. *p.* 422.). Hinc SPIELMANNUS (*Pharm. gener. P.* 1. *p.* 203.) adeo diſcrimen facit inter Rum et

Taffiam.

Taſſiam. Multo plus ſollertiae in eo rite conficiendo Angli adhibent, quam Galli. Gallis obiicitur, eos negligere ſollicitam vaſis deſtillatorii poſt encheireſin purgationem, aquam non ſatis puram et limpidam eligere, inſtrumenta eorum variis vitiis laborare, e. c. alembicum eiusque orificia non ſatis ampla eſſe, ductus quoque anguſtos nimis eſſe, nec ſatis circumuolui (*Eſſai ſur les Rumeries par* MICHEL SOLEIROL. Conf. *Nouvelles de la Republique des lettres et des arts* 1787. *n.* 37 *et* 40.). In inſulis Canariis licet prouentus Sacchari largus ſit, ſpiritus tamen ibi paratus nonniſi ingratum ſaporem odoremque prae ſe fert (TENCH'S *Narrative of the expedit. to Botany bay, p.* 25.). SPIELMANNO (*l. c.*) eius vnciae viginti ſex ſpiritus rectificati vncias ſeptendecim, et hae Alcoholis octo dederunt. Spiritus hicce omnes colligit probi ſpiritus vinoſi vires, et in itineribus praecipue marinis nautis ad ſcorbuti inſidias arcendas et neruos refocillandos propinatur. Quod pro menſtruo Gummi Guaiaci electus fuerit, opportunitate loci primum videtur eſſe factum; nihil enim in eo reperio, quod ſymbolam ad curationem arthritidis afferre poſſet. Praeſtare menſtruum aquoſum alibi monui (V. *Appar. med. l. c.*).

PRAEPA-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SACCHARUM HORDEATUM *Ph. Brunſv. p.* 312. Supra de eo iam egi (ſub Hord. *p.* 381.).

SACCHARUM PENIDIUM *Ph. Brand. p.* 156. *Ph. Brunſv. p.* 313. Ex Saccharo ad iuſtam denſitatem cocto, dein in tabulam marmoream oleo Amygdalarum perunctam effuſo. Hoc tum, poſtquam induruit nonnihil, vna ſuſpenditur et repetitis vicibus manibus amylo conſperſis in longitudinem extenditur. Dein in bacillos contortos craſſitie fere apicis digiti minimi redigitur, hinc inde convoluendos. Amylum, quod ſub eius tractatione Saccharo impingitur, nutritiam aliquam facultatem illi impertit. Infantibus recens natis aqua emollitum intra linteum tenue ſugendum praebetur.

SACCHARUM ROSATUM TABULATUM *Ph. Würt. p.* 165. Saccharum aqua Roſarum ſolutum et ad ſpiſſitudinem craſſiorem coctum miſcetur cum pulvere Roſarum rubrarum. Saporis cauſa pulueribus ſalinis adiicitur. Commendatur et in phthiſi a MONTANO, VALERIOLA, FORESTO, RIVERIO (*Oper. med. cap.* 7. *de phthiſi p.* 317.), quae laus vero iuſtius conſerua Roſarum ſibi vindicat.

SACCHA-

SACCHARUM PERLATUM ſ. ROTULAE MANUS CHRISTI *Ph. Würt. p.* 164. Mater perlarum excipitur Saccharo in aqua Roſarum ſoluto. Superfluum et obſoletum.

SACCHARUM VIOLATUM CANDISATUM *Ph. Brand. p.* 156. Succus Violarum Saccharo exceptus. Idem valet iudicium.

GLOBULI MOSCHATI ALBI *Pharm. Würt. p.* 99. Parantur Saccharum, Amylum et radicem Ireos Florent. ope Gummi Tragacanthae in rotundam figuram compingendo. Odoris cauſa, Moſchi et Zibethi tantillum additur, qua de cauſa, ignoro; etenim ſuppoſitorio tantum deſtinantur, vnde pro diuerſitate aetatis globulus vel maior vel minor deſideratur oleo obliniendus. Pondere potius quam ſtimulo peculiari receptorum aluum mouere exiſtimo.

GLOBULI MOSCHATI RUBRI *Ph. W. l. c.* Dicta tinguntur lacca pictoria addita. Sic ridiculum, quod globulis albis odoris gratia allitum fuit, in rubris coloris ſtudio augetur.

PANICVM.

PANICVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 89. *Gen. pl. p.* 32.

545.

Pharm. MILII *Semen.*

Panicum miliaceum; panicula laxa flaccida, foliorum vaginis hirtis, glumis mucronatis neruoſis LINN. *Syſt. veg. l. c.* Milium ſemine luteo et albo C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* Le Millet. Annuum, Indicae originis.

Panicum Italicum; ſpica compoſita, ſpiculis glomeratis ſetis immixtis, pedunculis hirſutis LINN. *Spec. pl. p.* 83. Panicum italicum ſ. panicula maiore C. B. Icon: RUMPH. *Herb. Amb. p.* 202. *tab.* 75. *fig.* 2. Annuum, creſcens in Indiis.

Vtraque ſtirps in Germania quoque in agris bene ſtercoratis crebro colitur, e. c. in vicinia vrbis noſtrae, nec, niſi frigidior aeſtas incidat, maturationem ſeminum reſpuit. Cultura fit ſeminum cauſa, quae hodie rariſſime inſtar medicamenti praecipiuntur.

Milium creditur Graecorum (THEOPHRASTI et DIOSCORIDIS) Κεγχρος fuiſſe.

SEMEN *P. miliacei* ouatum, ſubcompreſſum, nitidum, lineam dimidiam circiter longum, corticis vel nigricanti bruni vel albi vel flaueſcentis, intra quem farina alba ſubdulcis. Eligitur ſemen pallidius, alterum enim durius eſt. SEMEN *P. italici* ſubrotundum et minus eſt, extus flaueſcens. — Antequam ingeratur, molae ope decorticatur tumque granula refert rotunda ſubpellucida. Omitto ſtudio mentionem vſus cibarii apud priſcas et a nobis remotiores gentes, vtpote non ſatis certi. Apud Italos, Gallos, Hiſpanos, item hinc inde in Germania, non infrequens eſt, forma praecipue pultis aqua vel lacte coctae. Nam bene nutrit, nec ſaporis ingrati, infantibus adeo placentis. Butyrum ſuperfuſum vel liquatum item additamentum vini gratius hoc ferculum reddit. Syluani, qui carbones parant et arbores ſecant in agro Tridentino ſola pulte ſe aluerunt cum lacte illa veſcentes, nec alio alimento ſe poſſe perdurare edixerunt (MATTHIOL. in DIOSCOR. ed. C. B. *p.* 328.). Panis quoque in Italia inde coquitur, qui vero vnius diei aetatem habens aridus ingratus, difficilis digeſtu, pauci alimenti, deſcribitur, Lombardis vſitatus (CRANZ *Mat. med. et chirurg. vol.* I. *p.* 5.). Calidus magis arridet: ita per plateas in Italia circum-

circumfertur, exclamando: Pan di miglio, caldo, caldo (MATTHIOL.).

Olim frequentius ptiſanae materiem medicis praebuit aqua coctum, quando demulcendum fuit praeſertim, ſi quod vrinae vitium vel alui fluxus adfuit. In dyſenteria ideo tepide et copioſe potum prodeſt (*Comm. Nor.* 1733. *p.* 43.). Nec caruit applauſu WERLHOFII (*l. c. p.* 133.), qui ſibi et aliis medicis Hannoueranis familiare decoctum pro ptiſana fuiſſe indicat. Dubito, an praerogatiuam quandam prae Hordeo vel Auena habeat. Mucilaginoſum, quod ineſt, blande ſimul aluum conſtipat.

O R Y Z A.

LINN. *Syſt. veg. p.* 283. *Gen. pl. p.* 177.

546.

Pharm. ORYZAE *Semen.*

Oryza ſatiua; LINN. *Spec. pl. p.* 475. CATESBY'S *nat. Hiſt. of Carol. vol.* 1. *p.* 14. *tab.* 14. Melius depictam eam ſiſtunt JO. MILL. in *Illuſtr. Syſt. ſex.* et REGNAULT *Botan.* Le Riz. Stirps annua, cuius patriam ſubdubitanter LINNEUS Aethiopiam aſſignat. Colitur in India orientali, in primis circa Cantonum et in Japonia copioſiſſime; nec minus in Americes Carolina auſtrali. Ibi a. 1696. exigua eius portio, ex itinere ex Madagaſcar reſidua, ſata lucrum ſummi momenti incolis attulit PENNANT'S *arctic Zoology, vol.* 2. *p.* 361.). Succedit quoque cultura egregie in Hiſpania, item per multas aetates circa Veronam in ducatu Mantuano (*Lettres ecrites de Suiſſe d'Italie* &c. *vol.* 1. *pag.* 306.), ditione Abruzzo regni Neapolitani (DELFICO *memoria ſulla coltivazione del riſo nella provincia di Terano, p.* 14.) nec non in Hungaria (BRUZ *Diſſ. de Gramine Mannae p.* 10.).

Delectatur locis inundatis, vnde ſeri vulgo ſolo depreſſo paludoſo, vel, quando aquae ſpontaneus commeatus deficit, haec arte illuc aliunde deriuari ſolet. Quam neceſſitatem quidam principes in lucrum ſuum verterunt, adeo vt ſumtus pro aqua ſibi inſtar reditus publici Oryzae erogandos cultoribus iniunxerint, exemplo Ducis Mantuani et Regis Neapolitani. Ita et documentum exſtat, quod ſolum Oryzae deſtinatum maiori pretio cenſeatur, quam aliud (e. c. in Mantua). Attamen iam dudum compertum, bene quoque vigere Oryzam in campis, qui in altis et montoſis locis ſiti ſunt. In Jaua aliisque locis, vbi flumina commodum inundationis non praebent, eiusmodi ſtationes eligi iam edocuit RUMPHIUS (*Herb. Amboin. vol.* 5. *p.* 198.). Idem in Japonia fit (THUNB. *Fl. Iap. p.* 147.). In Cochinchina quoque Oryza in montibus creſcit, nec irrigatione eget, quae ipſa in inſulam Franciae (Iſle de France) translata et ſimili modo tractata optime ibidem viguit, donec ex oſcitantia inſtar alius, quae aquoſa loca deſiderat, coleretur, indeque omnino periret (*Notice ſur la vie de Mr.* POIVRE; item AUBLET *Hiſt. des plant. de la Guiane Franc. tom.* 1. *p.* 320.). Poſſet inde concludi duas diuerſas Oryzae varietates primarias

obti-

obtinere, alteram humido ſolo, alteram ſicco deſtinatam, niſi et exemplis aliis conſtaret, quasdam ſtirpes amphibiam quaſi vitam vitam degere, v. c. Valerianam officinalem, Siſymbrium amphibium rel. Vtique Oryzae, vt reliquorum cerealium, plures exſtant varietates, quae ipſae vero neglectae a tantum non omnibus, qui in regionibus, vbi culturam eius exercere clima permittit, peregrinati ſunt. Vberrimus in iis recenſendis RUMPHIUS (*l. c.*) eſt, adeo conſpicuis, vt et indigenis nominibus diuerſis diſtinguantur. Alia praecox eſt, alia ſerotina. Eſt quae culmum gerit humana ſtatura maiorem, nec ante nonum vel decimum menſem matureſcit. Differunt et magnitudine ariſtarum, colore ariſtarum et glumarum, qui in quibusdam fuſcus vel nigricans cum granis duris et gracilibus eſt. Granum quoque mox maius, mox minus eſt.

Maxime autem vulgare, Oryzam locis inundatis colere. Solet primum ſeri locis eleuatioribus, dein, poſtquam ad magnitudinem circiter pedis creuerit, effoditur, et in ſeries ſolo bene ſtercorato diſponitur iis in locis, quae fluxui et refluxui maris obnoxia ſunt. Agris a mari remotio-

ribus vel eleuatioribus aqua proſpicitur vel foſſis illam illuc deducentibus cum aggeribus, qui aquam ſtagnantem retinent; vel machinis peculiaribus, quae eam attollunt vel amphoris, quarum agitatione aqua contenta diffunditur. Solent et foſſae circa agrorum oras fieri, quas cymbis ſuis transmeant, et in quas Oryzam iuſto tempore reſectam transferunt. Ita contingit, vt idem ſolum, quod cereale egregium fert, ſimul commodum piſcium domicilium euadat, quibus meſſores, tempore meſſis, degunt. Maturatione ſeminum facta culmi praeſcinduntur, et in exiguos faſciculos colligantur. Quo autem grana a ſuis paniculis ſeparentur, calcantur faſciculi ab hominibus, vel, vbi occaſio fert, vris, et vt glumis ſuis grana exuantur, ea ligneis tignis impoſita contundunt (Conf. de hisce RUMPH. *l. c.* item OSBECKS *Oſtindiska Reſa, p.* 218. et TORÉN's *Reſa* in libro eod. *p.* 352.). Sunt qui recens collecta ſemina aqua feruida perfundunt et iterum ad ſolem exſiccant, vnde Oryza indureſcit, et diutius ſeruari poteſt, ſed fuſca ſimul euadit et ſaporem ingratiorem adſciſcit, prout in Coromandeliana fit. Omnibus praefertur Japonica, quae altiſſimae ſtaturae magna et rotunda grana complectitur, pinguia contactu, dum coquuntur.

Tenta-

Tentatur Oryza aliquando morbo, ab Italis Carolo dicto, qui aliquando ſtirpem tenellam corripit, et in hac foliis iuſto grandioribus et obſcuris ſenſim flaueſcentibus et areſcentibus diſtinguitur, in adulta autem paniculam ipſam afficit, ita vt glumae vel vacuae vel exigua modo ſubſtantiae parte inſtructae conſpiciantur. Ratio coniecturis modo hactenus nititur (Conf. *Nuovo Giornale d'Italia, tom. 3. p. 73. ſqq.*). — Alius Oryzae cultoribus hoſtis eſt Emberiza oryziuora L., quae in inſula Cuba deuaſtat grana, quum adhuc lacteſcunt, indeque ita pingueſcunt, vt vix volatus exercere poſſint, et ſclopeto tactae ſaepe crepent ſub ipſo lapſu. Hacce ſtrage facta auis iſta in Carolinam per tres hebdomades transmigrat, ſed foemina vnice (Vid. PENNANT'S *arctic Zoology, vol. 2. p. 360.*).

Nobis in vſum cibarium afferuntur Oryzae nomine SEMINA, gluma ſua flaueſcente exuta, oblonga, compreſſo conuexa, vtrinque obtuſa, duas circiter lineas longa, alba, ſemipellucida, corculo ad latus baſeos inſtructa, ſubſulcata. Sapore et odore omni deſtituuntur. Maſticata ſubdura quidem initio, ſed facile dentibus confringuntur. Coctione cum aqua molleſcunt in pultem, et aqua lacteſcit et mucilaginoſa euadit.

Per totam Indiam orientalem, praecipue regnum Sinenſe, Perſiam, Japoniam, cibum ſiſtit maxime vſitatum. Pani inde pinſendo Oryza non apta eſt, nam vix intumeſcit paſta etiamſi fermento addito, et cocta panem modo duriuſculum, ore difficulter ſolubilem, praebet. Vicibus tamen panis fungitur locis, vbi colitur, dum nimirum exigua aquae parte, circiter dupla, coquitur in pultem, quae tam tenax euadit, vt digitis, vel, vt Sinenſes faciunt, bacillis teretibus arripi poſſit; quae ipſa inter reliquos cibos loco panis editur. In Carolina ſimiliter in pultem tenacem cocta inſtar panis eſt (SCHÖPF *Reiſe durch einige Nordamer. Staaten, vol.* 2. *p.* 246.). Nigritae, qui colendae Oryzae operam dant, ea fere tanquam vnico alimento vtuntur, et ruricolis anterioris Carolinae praecipuum eſt. Parant ibidem quoque vel ex Oryza ſola vel eadem cum Zea commixta placentas tenues (*l. c.*). Et ſponte intelligitur, additamento vel praeparatione varia gratiora inde et vel varietate ſua placentia fercula a gentibus, quibus Oryza in deliciis, excogitari. Credi inde poſſet, nutrimentum eſſe maxime commodum. Attamen compertum illam nonniſi debilem ſubire fermentationem, ſi modico calore cum aqua retinetur

(PERCI-

(PERCIVAL'S *Eſſays medical and experim. vol. 2. p. 42. ſqq.* nec non *Philoſ. med. and experimental Eſſays, p.* 180. *ſqq.*), item non arcere putredinem carni admiſtam, imo ipſam Oryzam diuturniori mora putreſcere, vt ex foetore declaratur. Accuſatur et difficilioris in ſtomacho concoctionis, et nigritae, qui in inſulis Indiae occidentalis eiusdem plantatione occupantur, ſub eiusdem eſu extenuari et minus habiles operae euadere feruntur (PERCIVAL *l. c.*). In comparatione eiusdem cum radice Salep vel dupla quantitate minus iſta nutrit, quam haec, et in itineribus maritimis poſtponenda huic ideo, quod pabuli ignis plus requirit, diuturniorem coctionem et aquam dulcem (LIND *on Diſeaſes in hot Climates, p.* 338. *ſqq.*). Coecitatis adeo cauſam Oryzae eiusque calidae eſum arguerunt frequentiorem in India (BONT. *Hiſt. nat. et med. Indiae orient. p.* 7. 31.), a qua vero culpa iure liberatur. Vapores ex pulte Oryzae ſurgentes, ſi alluerent oculos conſtantius et repetito, accuſari omnino poſſent: ſed quidni eiusdem vitii rea faceremus quaeuis fercula calida, quae quotidie tamen inter prandia menſis impune imponuntur. Nocentiores viſui reputandi vapores ex vernice acri, qua Sinenſes vtuntur, ex fimo humano, ex ſuffimento ligno-

rum in honorem deorum accenſorum, exceſſus demum in venere. Plerisque tamen in regno Sinenſi coecis malum hocce connatum eſt, vnde vel alia cauſa, nos hactenus latens, ſectanda eſt (Vid. OSBECKS *Reſa*, *p.* 200. 359.).

Ex Oryza quoque cereuiſiae ſpecies parari poteſt, caput pariter inebrians (BONT. *l. c. p.* 8.). Japonenſes illam Sacki vocant, et eam inter prandia calide bibunt. Recens alba eſt, ſed cadis ſeruata bruna euadit. Temulentia, quam excitat, breui diſparet, aſt non absque cephalalgia relicta (THUNB. *Tal om Japanska nationen*, *p.* 27. *ſq.*). — Spiritum inflammabilem, Arrack dictum, ex Oryza deſtillari, vulgo quidem exiſtimatur, verum falli eos, hoc vel haud exiguo argumento eſt, quod Sinenſes, qui hocce cereali abundant, illum non praeparant. Transfertur contra ad illos vel ex Goa vel Batauia Jauae metropoli. Quomodo ibidem fiat, hactenus latet. Nec extra dubium omne poſitum eſt, ex Oryza, Arundine ſaccharifera et nucibus Cocos parari. Ita quidem cl. OSBECK (*l. c. p.* 98.) ex incolae Batauienſis narratione. Arrack Goënſe albidius eſt et debilius, Batauienſe ſaturatius, ſed mox fortius mox debilius, vnde valor

valor valde variat. Inclaruit inprimis potulento notiſſimo Punch, de quo iam alibi iudicium tuli (Vid. *Appar. med. vol. 3. p. 277.*).

Etſi non quotidianum apud Europaeos, vt apud Indos, ferculum Oryza efficiat, nec nos, vt in China fit, mendicantibus loco oboli vel fruſti panis cochleare coctae Oryzae praebemus: ad vulgatiora tamen alimenta in Europa pertinet. Iuſcula enim multiplicis generis inde fiunt, dum aqua vel lacte coquitur, item carnis aliorumue additamentum recipit, vel in pultem emollitur, vel placentae, farcimina rel. varia arte inde emergunt. In farinam contrita nouam concedit ferculorum varietatem, forma vel ſolidiori vel fluidiori inſtructam, in qua eminent ſpecies pulpae (Creme), ex hacce farina, ſucco Ceraſorum, Cinnamomo et Saccharo coctae (Vid. ſi placet exempla horum omnium in *Hjelpreda i hushållningen*). Adeo vero de ſalubritate Oryzae pro vſu cibario conuicti ſunt plerique, vt non dubitent, ipſis aegris iſtam pro vulgari cibo offerre, et in noſocomiis tantum non omnibus in tabula receptorum ciborum exſtet. Scrupulos tamen contra hanc praerogatiuam mouent incommoda varia, quorum ſupra memini.

 A mu-

A mucilaginoſa eius natura iure exſpectes, ptiſanae vel alia forma conducere obuoluendo et alvum nonnihil conſtipando in diarrhoea et dyſenteria, demulcere acres humores, reſarcire diſpendium glutinis naturalis in cauis, defectum nutritionis adiuuare in tabidis. Diffido fateor vi antiſcorbuticae, quam illi enucleatius tribuit cl. BISSET (*Treatiſe on the Scurvy, p.* 81. *ſqq.*), quum Sacchari nautis quotidie exhibiti, vini Malagenſis, aquae dulcis elixirio vitrioli acidulatae, ſimul mentio fiat, de quibus omnibus vis in ſcorbuto ſubigendo euicta eſt.

ANDRO-

ANDROPOGON.

LINN. *Syſt. veg. p.* 758. *Gen. pl. p.* 540.

547.

Pharm. SCHOENANTHI ſ. SQVINANTHI ſ. JVNCI ODORATI Pharm. Lond. *Herba.*

Andropogon Schoenanthus; paniculae ſpicis coniugatis ouato-oblongis rachi pubeſcente, floſculis ſeſſilibus ariſta tortuoſa LINN. *Spec. pl. p.* 1481. Juncus odoratus aromaticus C. B. Comachee pillee BROWNE in *Phil. Tranſact. vol.* 23. *p.* 1251. Kodipullu RHEED. *Hort. Malab. vol.* 12. *p.* 107. *tab.* 27. PLUKENET *Almag. tab.* 119. *fig.* 2 *et tab.* 190. *fig.* 1. Schoenanthum amboinicum RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 3. *p.* 181. *tab.* 72. *fig.* 2. Perenne. Incola Indiae orientalis, Arabiae, Zeylonae, inſularum Moluccanarum. Copioſe creſcit in deſertis vtriusque Arabiae; circa Limbò Arabiae petraeae portum pro translatione in Aegyptum colligitur.

Nolo diſquirere, an ſit Σχοινος DIOSCORIDIS et GALENI, Σχοινȣ ανθος HIPPOCRATIS, Juncus odoratus PLINII, Adhar et Adhir ARABUM, Squinanthum VARRO-

VARRONIS, tanto minus, quum exoleuerit eius exiſtimatio ſeriori praxi.

HERBAE nomine ſeruantur in officinis faſciculi circiter pedales diametri duorum pollicum ex culmis teretibus ſubſtriatis, flauis, quibus folia aliquot vaginantia canaliculata alternatim adhaerent, medulla fungoſa farctis et ſubinde paniculas vna ferentibus, vinculo iunctis. Sapor illi ineſt amaricans aromaticus, odor fragrans. Ex Natolia Maſſiliam transferri ſolet. Aqua deſtillata pauxillum olei eſſentialis flaueſcentis, fragrantis et valde acris, ſuggerit; quod remanet acerbum amaricans et ſubacre decoctum praebet (LEWIS *Mat. med. p.* 329.). Extractum ſpirituoſum grate aromaticum et amaricans eſt. Sic quidem plura indicia ſuppetunt, efficacia ſua non deſtitui: aſt in obliuionem incidit apud nos ob copiam multorum virtute ſimilium. Arabibus ob gratiam odoris hodie magni fit, et exiſtimatur inter herbas pretioſas aromaticas et ſuaveolentes a regina Arabiae Salomoni dono datas haec vna fuiſſe (HASSELQUIST'S *Reſa p.* 535.). In inſulis Amboina et adiacentibus magis aromatis inſtar pro condiendis cibis quam medico ſcopo adhibetur, et inferior quidem herbae pars ventricoſa

et

et radici vicina. Piſcibus ea coctis gratum odorem impertit ſimulque ab ea vis ſtomachica exſpectatur (RUMPH.). Lotium ſudorem et menſtrua pellere in non aſſuetis, in aliis nonniſi maiori copia legitur (*l. c.*). Decocta cum radice gargariſma vtile praeſtat in odontalgia et tumore tonſillarum ex refrigerio concepto (IBID.). Ad coërcendum et delendum fungum cerebri ex vulneratione inſperſus pulvis commendatur (MARCHETTIS in *Obſ. et Act. Berolin. Decas* 2. *vol.* 1. *p.* 103.). Hodie vix niſi pro additamento THERIACAE et MITHRIDATII in officinis praeſto eſt.

548.

Pharm. SPICAE INDICAE ſ. NARDI *Radix* vel NARDVS INDICA ſ. SPICA NARDI.

Andropogon Nardus; paniculae ramis ſupradecompoſitis proliferis LINN. *Spec. pl. p.* 1482. Cf. EJUSD. *Flor. Zeyl.* ſub Laguro *p.* 18. Calamus odoratus Matthioli C. B. Stirps creſcens in India orientali, nominatim Zeylona.

Sub nomine praefixo coram eſt faſciculus digitum circiter longus, conſtans partim ex filis tenuiſſimis, pallide brunis ſurſumque verſis, quorum

quaedam

quaedam varie irretita, vt priſtina functio vix cognoſci poſſit, alia tamen ita diſpoſita, vt culmorum et baſeos foliorum vel vaginarum reliquias eſſe appareat; partim ex fibris variis radicalibus, multipliciter flexis, ferrugineis. Proueniſſe hasce ex capite trunci radicalis craſſioris probabile eſt, cuius ſitum fouea filamentoſae maſſae impreſſa indicat; digiti craſſitiem huic trunco adſcribit, poſt POMETUM (*Hiſt. generale des Drogues, p.* 187. Cfr. *Fig.*), BERGIUS (*M. m. veg. p.* 324.). Rariſſime autem relinquitur. Subinde plures eiusmodi faſciculi ſ. capita iuncta ſunt.

Odor huius graueolens, vix meo iudicio gratus, ſapor amaricans ſubauſterus. Gratior eſt odor herbae adnaſcentis, quam fibrarum radicalium. Deſeruit omnino hodiernam praxin, dum olim (V. e. c. GALENUS *de compoſ. medic. per loca lib.* 8.) bene multis praeparatis addita exſtitit, et in magna varietate morborum diuerſae plane naturae adhibita fuit inſtar ſtomachici, nephritici, emmenagogi rel. de quibus nihil certi conſtat. Plus quam duae tertiae Spicae Indicae ex indiſſolubilibus partibus conſtat, reliquum tam reſinoſae quam gummoſae naturae eſt cum pauxillo olei aetherei, a quo odor depen-

dependet. Antiquitus et oleis et vnguentis ob gratum odorem admixta Spica Indica fuit, quorum tam ſacra hiſtoria quam profana mentionem facit. Saltim ad multorum ſententiam oleum ſiue vnguentum nardinum nomen petiiſſe ab hacce ſtirpe creditur. Spectant huc loca HORATII "cur non — Aſſyria Nardo potamus vncti"? (HORAT. *Carm. l.* 2. *n.* 11. ed. BENTL. *p.* 115.); "Perfundi Nardo iuuat et fide Cyllenen leuare duris pectora ſollicitudinibus" (ID. *ibid.* 13. *p.* 326.); "Nardo perunctum, quale non perfectius meae laborarint manus" (ID. *Epodon.* 5. *p.* 307.). — TIBULLUS autem ita canit "Illius puro deſtillent tempora Nardo" (*Lib.* 2. *Eleg.* 2. *p.* 230. edit. WETTSTEIN.); "Iam dudum Syrio madefactus tempora Nardo" (*l. c. p.* 348.). Sed vereor, ne a quibusdam reprehendar, ſi diutius in hiſce viretis commorer. Fuit vnguentum hocce conſiſtentiae fere fluidae (DIOSC. *M. m. lib.* 1. *cap.* 75.); idque apud veteres duplex, vnum incompletum, paratum ex oleo omphacino (h. e. oleo expreſſo ex oliuis iunioribus), Junco odorato, Calamo, Coſto atque Nardo; alterum completum cum vel ſine foliis Malabathri, ex oleo omphacino, Junco odorato, Nardo, Amomo, Myrrha, Opobalſamo (Conf. DIOSC. *l. c.* et PLINIUS *lib.* 13. *cap.* 1.), quod

quod igitur ob additamentum Opobalſami non potuit non valde charum eſſe, et vix niſi magnatum reficere nares. Apud orientales populos pariter Nardus ſumma in exiſtimatione fuit (Vid. SALOMONIS *Cantic. cap.* 4. *verſ.* 13. 14.). Fuitque vnguentum nardinum, quo vel ſe ipſos vel hoſpites et conuiuas perungebant. Hunc imitata morem MARIA, Marthae et Lazari ſoror, pedes Chriſti (e. c. JOANNIS *Euang. cap.* 12. *verſ.* 13.) vnguento pretioſo perunxit (Conf. LUC. *cap.* 7. *v.* 38.). Subfuit in hocce vnguento ſaepius fraus, ita vt viliora vnguenta eius nomine vendita fuerint, prout GALENUS queritur Neapoli paratum nomine modo conuenire cum eo, quod in Aſia ſuo tempore confectum (Vid. GALEN. *method. med. lib.* 11. *cap.* 16. *p.* 418. ed. RICCI; item DIOSC. *l. c.*).

C. ACOTY-

C. ACOTYLEDONES * ſ. CRYPTANTHERAE.

ORDO LII.

F I L I C E S.

P O L Y P O D I V M.

LINN. *Syſt. veg. p.* 785. *Gen. pl. p.* 560.

549.

Pharm. POLYPODII *Radix.*

Polypodium vulgare; frondibus pinnatifidis, pinnis oblongis ſubſerratis obtuſis, radice ſquamata LINN. *Spec. pl. p.* 1544. BOLTON *Filic. Brit. p.* 32. *tab.*

* Quibus diſplicet hocce nomen, iis alterum adiunctum magis ſatisfaciet. Olim ſynonyma habita: ſed quum ſerius in muſcis cotyledon vna, duae vel tres, item in variis filicibus, nominatim Polypodio criſtato, Filice Mare et Foemina, cotyledon vera vna in ſingulis exemplis detecta fuerit, praeſtat auctoritatem, quam verum deſerere. Seruat tamen adhuc Acotyledonum nomen vel ANT. LAVRENT. DE JVSSIEV (*Genera plant. ſecundum ordines naturales, Paris.* 1789. *p.*1. Conf. *praef. p.*45.

tab. 18. Polypodium vulgare C. B. Πολυπόδιον DIOSC. Ob icones cito REGNAULT *Bot.* Le Polypode et CURTIS *Fl. Lond.* Perenne, in fiſſuris petrarum et muris vetuſtis creſcens, item in arborum annoſarum e. c. Quercuum rimis.

RADIX cylindrica, calamum ſcriptorium craſſa, diſtincta tuberculis remotis truncatis, item prominentiis ſpinuloſis, et veſtita epidermide bruno nigricante, intra quam parenchyma flauo rubeſcens. Fibrae numeroſae abſcinduntur ante exſiccationem. Sapor eius initio dulcis, dein nauſeoſe amarus et ſubadſtringens. Aqua plus extrahit ſpiritu vini, fere dimidium (Conf. NEUM. *Chym. vol.* 2. *P.* 4. *p.* 48. et CARTHEUS. *M. m. vol.* 1. *p.* 419. item CAR. CHRIST. GMELIN *Diſſert. Conſideratio generalis filicum, Erlang.* 1784. *p.* 38.), vbi pariter proportio vtriusque differt. Extractum aqua factum dulce et parum adſtringens et amaricans eſt, ſpirituoſum inſuper ſubacre, ſed parum modo dulce, quum tamen infuſum ſpirituoſum dulce valde et dulcius aquoſo. (E virideſcente luteum ſaporis amari ſubdulcis deſcribit GMELIN *l. c.*) Nihil dicam de deſtillatione ſicca (quam inſtituit WEDELIUS vel eius reſp. LÖV in *Diſſ. de Polypodio* 1721. *p.* 18.), quae nihil

verae

verae lucis accendit. Nullum verum Saccharum inde educi potuit; nam infuſum ſpiritu vini rectificatiſſimo factum per moram aliquot hebdomadum cryſtallos genuit, ſed harum loco in fundo vitri materia tremula mucilaginoſa vireſcens reperta eſt (GMELIN *l. c. p.* 39.).

Iſtis radicibus, quae in Quercubus creſcunt, quidam praerogatiuam adſcripſerunt, vt MESUE et, vt apparet, recentius PONTEDERA (*Compend. tab. bot. p.* 18.), vnde *Polypodium quercinum* requiſitum, ſed perperam. Hodie vero, qualicunque loco prouenerit radix, plurimum exiſtimationis perdidit, certe eam, qua olim praecipue celebrata fuit. Nempe veteres, HIPPOCRATES, THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES, CELSUS, PAULLUS AEGINETA aliique crebro illam alui ſubducendae cauſa exhibuerunt, bilem praecipue et pituitam expellere arbitrati: ſed cognitum eſt, nonniſi doſi maiori id efficere, niſi ſtimulus peregrinus accedat. Pro decocto eius in hunc ſcopum adeo vncia vna vel duae requiruntur. Melancholico homini ne vnciae quidem quatuor in infuſo (nam de infuſo ipſo ſermo eſſe nequit, vt quod mox debilius, mox fortius eſt) aluum mouerunt (SCOPOLI *Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 167.). Verior eius vis eſt leni-

ter reſoluens et demulcens. In affectionibus pectoris, quibus tollendis ſuccus Liquiritiae alias par eſt, illi non cedere Polypodii ſuccum (exiſtimo extractum aquoſum) recentius exploratum eſt (*Vecko-ſkrift för Läkare, vol.* 8. *p.* 115.). In arthritide vaga olim pariter claruit (V. DODONAEI *Pempt. p.* 465.). Contra maniam in Gallia profecit. Suadente cl. POISSONIER hoc fine decoctum ex radicis Polypodii querni vnciis duabus, coctis in tribus pintis Gallicis aquae (h. e. libris ſex ciuil.), donec ſupereſſent duae, propinatum eſt, quod ipſum niſi intra duas hebdomades rite purgauerit aluum, quouis die ante primum praebium pulueris radicis drachma vna cum nitri depurati granis viginti quatuor data. Cl. MALOUIN vero maniacis radicem coctam in iuſculo gallinaceo cum foliis Betae et Maluae (ſine dubio ad imitationem DIOSCORIDIS *l. c.*) per longum tempus egregio ſucceſſu exhibuit, non neglecto tamen emetico, clyſmate et decocto Boraginis Bugloſſique (*Mem. de l'acad. R. des ſciences de Paris* 1751. *p.* 160.). Liquida plerumque forma adhibetur. Cauendum vero, ne nimis protrahatur coctio, vt ne diſpliceat amaritie; hinc multi infuſo acquieuerunt.

PRAEPA-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ELECTUARIUM CATHOLICUM *Ph. Würt. p.* 45. Inter multa alia purgantia Polypodium comparet.

ELECTUARIUM LENITIVUM FLORENZOLAE *l. c. p.* 47. Concinnior formula in Pharmacopoeis Anglicanis, in quibus hoc ipſum exulat.

SYRUPUS DE MANNA SOLUTIVUS *l. c. p.* 213. Terret farrago.

550.

Pharm. FILICIS MARIS *Radix; Herba.*

Polypodium Filix mas; frondibus bipinnatis, pinnis obtuſis crenulatis, ſtipite paleaceo LINN. *Spec. plant. p.* 1551. BOLTON *Filic. Brit. p.* 44. *tab.* 24. Filix mas non ramoſa dentata C. B. Creditur eſſe Πτερις DIOSC. et THEOPHR. Fougere male in *Traité contre le Tenia tab.* 3. *fig. A—P.* Stirps perennis, copioſa in ſyluis Europaeis, etiam maxime ſeptentrionalibus.

RADIX oblonga eſt, digitum circiter craſſa, obſeſſa vndique bulbis oblongo ouatis incuruatis, approximatis, nigricantibus, item ſquamis emarcidis ferrugineis. Quicquid fibroſi eſt reſcinditur

 ante

ante vſum. Color pallide viridis recentis radicis ſiccatione mutatur in albidum ſubrubeſcentem. Sapor ſiccae radicis adſtringens ſubamarus dulceſcens cum acrimoniae debilibus veſtigiis, odor nauſeoſus nonnihil.

Ex radicis ſiccae vnciis ſex decoctione extracti aquoſi primi, ſaporis ſubdulcis leniter adſtringentis tandem amaricantis, obtinentur vnciae duae, et drachmae ſex cum ſcrupulis duobus; et ex eadem quantitate radicis extracti reſinoſi primi vncia vna, et drachmae ſeptem cum ſcrupulo vno, magis adſtringentis et amari (CAR. CHRIST. GMELIN *Diſſert. conſid. general. filicum, p.* 34.).

Praecipue ob vim vermes, nominatim taeniam, necandi celebratur. Quae ipſa efficacia non nouiter detecta, ſed, modo veteres vere noſtram ſtirpem intellexerint, per multa retro ſecula iam cognita fuit. In veterum effatis trutinandis primum cauendum, ne confuſio inter duas diuerſas ſpecies fiat, ſcil. Polypodium Filicem marem et aliam, de qua ſubſequente articulo dicendum, quam Filicem foeminam vocarunt. THEOPHRASTUS ERESIUS (*Hiſt. plant. lib.* 9. *cap.* 22.) lumbricum latum, vt olim dici ſolebat, Pteride ſua expelli paucis verbis notat.

tat. Taeniam excuti radicis Filicis maris drachmis quatuor ex aqua mulſa (melicrato) ſumtis, efficacius autem in connubio Scammonii et Hellebori nigri, et Allii eſu praemiſſo innuit DIOSCORIDES (*M. m. lib.* 4. *cap.* 186.). GALENUS (*de ſimpl. med. lib.* 8. ed. RICCI) pariter in eundem finem radicis drachmas quatuor eodem mellis vehiculo ebibendas ſuadet. PLINIUS (*Lib.* 28. *cap.* 9.) praeconio pari vtramque filicem complectitur, et taenias radice cum melle pelli, ceteros vermes inteſtinales eadem ex vino dulci triduum potata affirmat. Potuit ex hiſce fontibus prima perſuaſio virtutis anthelminticae Filicis maris enata fuiſſe. Sed quae ſequentes auctores de ea narrant, ſi recentiſſimos quosdam excipiam, tam breuiter dicta ſunt, tam parum ad vſum practicum accommodata, vt non multum referat horum nomina hic recenſuiſſe; id ad minimum docent, non intercidiſſe tum temporis rumorem de hac ſtirpis efficacia. Illuc refero deriuationem vocis Germanicae Farenkraut (Filicis) a lumbricis latis inteſtinalibus, Faren olim dictis, quam VALERIUS CORDUS (in DIOSCOR. *lib.* 4. *c.* 156. *edit. Pariſ. p.* 344.) facit cum ſpecificae huius facultatis commemoratione. Praeſentiſſimam peſtem taeniarum et lumbricorum vocat SIMON PAULLI (*Qua-*

dripart. bot. ed. FICK *p. 333.*). Filicis maris radicem et ab agyrtis inter ſecretiſſima arcana aduerſus hosce hoſpites offerri, et ſufficere doſin drachmae vnius edocet. SENNERTUS (*Pract. med. lib. 3. pag.* 214.) non videtur ex proprio experimento pondus rei addere, radicis autem Filicis (qualem non dicit) drachmas tres adulto, infantibus minorem quantitatem ex aqua Galegae, concedit. Sine dubio, vt de vera huius radicis virtute conſtet, oportet eam ſolam dare, nec ſubiungere ea, quae vel ipſa necandi vermes vim poſſident, vel hacce radicem Filicis ſuperant. Iſtius ſimplicitatis plura hactenus exempla propoſui, ſed plura iam ſubſequantur. Sufficit nempe ad experimentum cel. WENDT (GMELIN *Diſſ. cit. p.* 50. WENDT *Nachricht vom clin. Inſtitut zu Erlangen, Penſ.* 5 *et* 6. *p.*44. 46.) pluries radicem ſolam ad drachmas duas ſ. tres in vehiculo congruo, optime in aqua ſola, dare. Iuveni ſeptendecim annorum tribus drachmis radicis mane captis hora elapſa pars taeniae quatuordecim vlnas longa, capitulo praedita ſeceſſit (*Diſſ. cit. p.* 51. *Caſ.* 1. WENDT *l. c. p.* 46.). Ex vnico praebio radicis ad tres drachmas ſimul viginti et tres cubiti Taeniae in foemina expulſi (*Diſſ. cit. p.* 52. *Caſ.* 2.). Infanti autem ſeſquienni decoctum ex drach-

drachmis duabus radicis et quatuor vnciis aquae percolatum et edulcatum, ad dimidium cochleare ante meridiem quolibet bihorio datum, poſt quatuor dies plura taeniae fruſta perlonga excuſſit (*l. c. p.* 53. *Caſ.* 3. WENDT *l. c. p.* 45.). Eſt qui inertem pronunciat, ſi diu ante vſum radix in puluerem redacta fuerit, hinc efficaciſſimam declarat in recenti puluere (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 6. *p.* 172.): vix vero ab odoris partibus, quae nares non valde afficiunt, vis dependet, quum et in decocto valeat.

Aſt non omnibus arriſit haecce ſimplicitas, ſed multi contra Taeniam eam tentantes vel purgantia cum illa commiſcuerunt vel illi ſubiunxerunt, vel et praemiſerunt varia corpus praeparandi cauſa. Exemplum eius ſupra ex DIOSCORIDE adfuit. Paſſim draſtica reſinoſa, vt Scammonium, Gummi guttae, paſſim mercurialia placuerunt, vel alia, ſimul.

Eius quoque ratio eſt in ſpecifico cel. HERRENSCHWAND, vt vel cognoſcitur medendi norma, quam ipſe tandem, poſt tot antea conceptas coniecturas vel diuerſas narrationes ab ipſo aliis factas, haud ita pridem publici iuris fecit. Differt

iſta mirifice ab exemplis iſtis, quae alibi (*Appar. med. vol.* 4. *p.* 122.) recenſui, et coniungit remedia, quae noſtris praecipue temporibus celebritatem inſignem contra vermes nacta ſunt. Ex quibus omnibus inter ſeſe comparatis colligere pronum eſt, modo excipiatur Gummi guttae, quod in omnibus praeceptionibus praeſto eſt, mutaſſe eum ſua conſilia pro temporum ſerie, donec tandem lumina ſeriora aliorſum petita coniungere in aegrorum ſalutem diſceret. Ipſe vero in experimentis (*Traité des principales et des plus frequentes maladies externes et internes* 1788. *p.* 444. et *Ordonnances p.* 105.) ſubſequentes regulas ſubminiſtrat. Per biduum, ſi ventriculo iuſtum robur competit, mane ieiuno ſtomacho et bihorium poſt modicam coenam, aqua, vel intra nebulam, capitur drachma vna pulueris radicis Filicis maris, vel ſub eius defectu Filicis foeminae. Tertio die mane puluis ingeritur hicce: ℞ Gummi guttae gr. xij Sal. Abſynth. neutr. gr. xxx Sapon. Starckey gr. ij. Miſce intime D. ad chartam; fiant doſes tales ſeorſim numero requiſito. Hic puluis ſpatio duarum vel trium horarum plerumque vomitionem vnam vel alteram blandam, totidemque deiectiones aluinas ciet. Euacuationes hae leuantur bibendo poſt quam-

quamlibet poculum (gobelet) aquae tepidae vel duos cyathos infuſi Theae; tres horas poſt capitur in cyatho iuſculi carnei vncia vna olei Ricini. Hora poſt hauſtus olei iteratur, et, niſi vermis non ſecedat, tertius hauſtus bihorio poſt ſecundum capitur. Hunc excipit mitis alui deiectio, et paullo poſt vermis in ſellam perforatam deponitur. Si vero iter detrectat, applicatur veſperam verſus clyſma ex partibus aequalibus aquae et lactis additis olei Ricini vnciis tribus, et plerumque hoc vermem integrum cum ſuo filamento excutere ſolet. Haec ille, aliis licet verbis. Addo eum hancce medendi normam duplici taeniarum ſpeciei parem reperiſſe et Solio et T. latae L., et quum vna ſubinde lumbrici ſeceſſerint, elucet, vel hoſce eadem ſubigi poſſe.

Proximum eſt de Specifico ſic dicto Nuſſeriano contra Taeniam dicere, quod cum Herrenſchwandiano ſaltim ex deſcriptione, quae de hoc nouiſſime in vulgus prodiit, multum ſimilitudinis habet. Vidua ſcilicet Chirurgi NUFFER (vel vt Galli ſcribere malunt Nouffer), degens in oppido Murten (Morat Gallis) pagi Bernenſis, per viginti pluresque retro annos ex praeceptis et exemplo

mariti

mariti vita functi adminiſtrauerat arcanum remedium contra taeniam, quo non ſolum Heluetos multos, ſed et peregrinos proſapiae excelſioris et remotiſſimae patriae ad ſuas aedes allexerat. Fuit inter hosce Princeps BARANTINSKI ex Ruſſia oriundus, qui die poſt ſuum aduentum ad foeminam illam integram Taeniam euacuauit. Redux autem Pariſios nouam poſtquam taeniam dimidium annum poſt ſenſerat, eam ad ſe proficiſci curauerat; nec iteratum experimentum inane tum fuit, ſed intra quindecim horas taenia expulſa fuit, aliisque aegris, qui ibidem eius opem deſiderauerant, idem ſucceſſus contigit. Rumor efficaciae quum ad ipſas Regis Galliae aures perueniret, ecce poſt plura fauſta in taenia laborantibus experimenta dedito ſtudio inſtituta, et teſtimonio fauente ab experientiſſimis viris LASSONE, MACQUER, DE LA MOTTE, DE JUSSIEU, CARBURI et CADET lato, 18000 libris Gallicis ſolutis Rex ſibi arcanum vindicauit, et euulgari permiſit, vnde enata ſcriptio, quae rem totam declarat (*Precis du Traitement contre les Taenias ou Vers ſolitaires pratiqué à Morat en Suiſſe examiné et approuvé à Paris. Publié par ordre du Roi; à Paris* 1775. Recuſa exſtat haec commentatio in *Journ. de Medecine, tom.* 44. *p.* 222. *ſqq.* ex quo fonte nominatim

natim

natim ſubſequentia hauſi. Verſio eius Anglicana prodiit in SIMMONS's *Account of the Tenia and method of treating it. Ed. 2. Lond* 1778; Germanica Erlangae; item conf. *Beſchreibung d. Bandwurms nebſt den Mitteln wid. denſelben, Kempten* 1776.). Initium curationis totius fit iuſculo ex pane et multo butyro veſperi ſorbillato, et, ſi aluo ſtrictiori tentetur, ſubiungitur clyſma ex foliis Maluae aut Althaeae mixtum pauxillo ſalis et oleo Oliuarum. Poſtridie ſummo mane ſpecificus ſic dictus puluis capitur, nimirum radicis Filicis maris drachmae tres in aquae deſtillatae Filicis vel florum Tiliae vel aquae communis vnciis quatuor vel ſex. Ad auertendam nauſeam exinde naſcituram, e re eſt corticem Citri conditum vel ſimile gratum maſticare vel os eluere grato quodam liquore, vel olfacere acetum. Quodſi autem vere puluerem vomitu reiiceret, poſt ſedatum faſtidium nouam doſin ſumere oportet. Exactis poſtea duabus horis bolus purgans requiritur, cuius formula ſequens: ℞ Panaceae mercurialis Reſinae Scammonii āā gr. xij. Gummi guttae gr. v. M. F. puluis ſubtiliſſ. et cum Confectionis de Hyacintho q. ſ. in bolum mediae conſiſtentiae redigendus. In hominibus robuſtioribus et ſtrictioris alui augetur quantitas ſingulorum

rum medicaminum, in debilioribus et ſenſilioribus diminuitur illa vel omittitur Gummi guttae vel bolus diuiditur in minores portiones partitim capiendas. Huic bolo mox ſuperbibitur vaſculum vnum vel duo infuſi Theae viridis tenuis; dum vero bolus vim ſuam exſerit, ſorbillat aeger per vices vaſculum vnum vel alterum, donec vermis excluſus fuerit, quo facto iuſculum carneum exhibere conuenit. Quodſi autem bolus aluum non ſufficienter moueat, poſt quadrihorium drachmas duas ad octo ſalis Sedlicenſis vel cathartici amari aqua calida ſolutas capere opus eſt. Vermis vel coaceruatim vel in longitudinem extenſus ſecedit: poſterius ſi fit, mora protracta in ſella perforata et copioſus potus Theae debilis calidae commendandus, vel, niſi hoc ſufficiat, iterata doſis ſalis purgantis absque variato ſitu, donec vermis omnino aliquando excutiatur, ſed rarius modo poſt prandium deiicitur. Imo contingit ſubinde, vt abitum ſuum differat in ſubſequentem vsque diem, quod ſi fit, primum iteratur puluis et horas duas poſt ſalis purgantis drachmae ſex vel octo. Subinde puluis ſpecificus ſolus, ante captum bolum purgantem, vermem euerrit, quod ſi fit, duabus tertiis modo boli vel eius loco ſale vnice acquieſcitur.

ſcitur. — Contra taeniam latam L. praecipue valere compertum (NUFFERIA; PALLAS in *neuen nord. Beytr. vol.* I. *P.* I. *p.* 55.). WAGLERUS (in GÖTZE *Naturgeſch. d. Eingeweidewürm. p.* 276.) adeo ex inertia Nufferiani remedii coniecit Taeniam Solium ſubeſſe. Anne ideo minus poteſtatis exſerit in Taeniam Solium LINNEI ſ. cucurbitinam PALLASII h. e. eam longis et anguſtioribus articulis ſponte ſeſe disiungentibus inſtructam, quod haec proboſcide armata fruitur, iſta autem proboſcidem inermem gerit. NUFFERIA tamen ſuadet, vt tentamina in Solio L. iterentur; et hanc quoque ipſam vere expulſam experimentis conſtitit (*Precis du traitement &c. Caſ.* 2. 3. SIMMONS *l. c. Append. Caſ.* 2. *p.* 61. *Caſ.* 4. *pag.* 69.). — Negari nequit praeter ſucceſſum felicem, qua NUFFERIA et Murtoni et Pariſiis gauiſa eſt, alios quoque medentes ſpe ſua non excidiſſe. Fauent huic medelae experimenta Pariſiis pro exploratione remedii facta (V. *Precis cit.*), caſus duo a cl. ESPIAUD deſcripti (in *Journ. de Medecine, tom.* 47. *p.* 139.), caſus alius in Anglia cl^mo SIMMONS (*l. c. pref. p.* 17.) obuius, aliique quatuor cum iſto a cl. BLACKBURNE communicati (*l. c. p.* 57. *ſqq.*), caſus a cl. SEIP (*Diſſ. Sylloge obſeruat. praeſ.* KRATZENSTEIN, *Hafn.* 1782. in TOD.

Bibl.

Bibl. vol. 9. *p.* 479.) commemoratus, alius recenſitus a cl. SCHMALZ (*Chir. u. med. Vorfälle, p.* 200.). In Suecia non minus voto ſatisfecit pluries (Vid. *Veckoſkrift för Läkare, vol.* 4. *p.* 253. BERG. *Mat. m. p.* 849.). Quod quidam ibidem (*Veckoſkrift, vol.* 5. *p.* 297. et *vol.* 7. *p.* 177.), prout quoque cl. WEIKARD (*Verm. med. Schrift. P.* 1. *p.* 71 *ſqq.*), qui tamen aliquando praeſtantiam eius expertus eſt, aliique, de inertia querantur, tanto minus mirum eſt, quum ipſa NUFFERIA illam ſubinde admittat. Vtinam medici ſemper addiderint contra quamnam ſpeciem taeniae valuerit, nec ne. Verendum quoque, ne ſubinde ob cognationem malorum ex Taenia cum aliis morbis eius praeſentiam ſuſpicati fuerint, quando culpa caruit.

Trutinando tranquilla mente ſingula conamina et remedia in hoc curationis genere adhibita virtutis meritum inter plura diuiſum deprehendo. Sunt, e. c. cl. SIMMONS (*l. c. Preface p.* 7.), qui bolo purganti totam vim adſcribunt, vt qui plura comprehendit iunctim, quae ſingula alias vermes necare didicimus. Aſt non ſua laude eſſe exuendam ipſam radicem Filicis, conſtat ex efficacia, quam vel ſolam exercere ſupra indicaui, et expe-

rimentis

rimentis, quod aliquando iam ante bolum datum taenia ſeceſſerit. Credi poſſet, mechanico modo radicem hanc vermibus infeſtam eſſe, intercipiendo adhaeſionem ſiccitate ſua ad latera inteſtinorum ſub magna iſta eius quantitate, qua veteres vſi ſunt, item NUFFERIA: aſt in decocto quoque valuit (V. ſupra *p.* 457.). Sufficit ſcire, quid efficiat, etiamſi modus nos lateat.

Non taeniam modo expellit Nufferiana curatio, ſed et lumbricos inteſtinales. Ita puella decennis ruſtica, hisce hoſpitibus vnice tentata (Vid. DE MAN in *Nov. Act. nat. curioſ. vol.* 7. *p.* 143.), expulſis ad ſexaginta ſex vsque vermibus ſanitatem absque conſpicuis turbis recuperauit; ab eo tempore non dubitauit medicus in pertinaciori caſu ad horum potiſſimum medelam confugere: tam parum ſibi a ferocia effectus, quem alii reformidant, metuit. Difficilius tamen eliminari lumbricum taenia hac curatione, eſt qui innuit (ROSENBLAD *Diſſ. de taenia, reſp.* ACHARIO, *Lund. p.* 34. *not. o.*). — In laruis muſcae meteoricae expellendis, vnde multa incommoda exorta, caſu viri ſingulari profecit (SPARRMAN in *Vet. Acad. Handl.* 1778. *p.* 65); contra hasce autem videtur plus poteſtatis ineſſe

 bolo

bolo purganti quam radici Filicis, nam puluere eius licet laruae obtectae ſupra horam fuiſſent, ſeruarunt tamen priſtinam alacritatem. — Maiori ſimplicitate vero ipſa radix lumbricos puellae quinquennis excuſſit, ſcilicet in electuario cum melle, data mane et veſperi radicis drachma vna (GMELIN *Diſſ. cit. p.* 54.).

Tam ante detectam Nufferianam medelam, quam poſtea a variis medicis ſimilia remedia variato ordine et delectu tentata ſunt, quorum commemorationem addere operae pretium duco. Cl. RENAUD (in *Hiſt. de la Societé R. de Medec.* 1776. *p.* 279.), antequam iſta innoteſcerent, praecipere ſolitus fuit veſperi clyſma ex ſapone aqua ſoluto, et ſequentibus quinque diebus ieiuno ſtomacho radicis Filicis maris drachmam vnam ex aqua Portulacae, ſubiunctis tum bolis ex Aquila alba, Jalappa, Rheo et Melle; pro potu fuit decoctum radicis Mori. Hiſce auxiliis expulſa a iuuene taenia Solium; et ſucceſſit res caſibus, quibus non ſuffecerunt Nufferiana. Ex mente cl. RUD. AUG. VOGEL (*Praelect. de cogn. et curand. praec. C. H. affect. p.* 652.) nihil valentius taenias eliminat, quam puluis ex radicis Filicis ſcrupulo dimidio et Gummi guttae granis tribus

tribus circiter, mane et veſperi per aliquot dies adhibitus. Hoc eodem cl. ALIX (*Obſ. chirurg. faſc.* 2. *p.* 127.) taeniam Solium cum ducentis vermibus cucurbitinis excuſſit. Cl. DUNCAN (*Med. Caſes and Obſerv. p.* 409.), praemiſſa mane radicis Filicis drachma vna, aliquot horas poſt electuarium ex Calomelano, Gummi Guttae et Cremore tartari cum ſyrupo ſimplici dedit repetitis eodem die vicibus, et caſu ſingulari eandem taeniam emolitus eſt. Succeſſus idem contigit in taenia cl^{mo}. OGILVY OF TORFAR datis Filicis drachmis duabus mane et aliquot horas poſt Jalappae vna drachma cum Calomelanos granis decem, dum medela ſecunda vice exhiberetur (SIMMONS *l. c. p.* 76.).

Iſta a praeceptis NUFFERIAE deuiatio partim pro ſcopo habuit turbas inſignes varias, quae paſſim a ſtimulo boli purgantis enatae fuerant, euitare; quidam enim eum mox euomunt, alii tormina poſtea atrocia cum teneſmo ſentiunt, eaque diuturna, deiectionem virium experiuntur, ſudorem in facie erumpentem, ſubinde ſanguinis tantillum per aluum excernitur, vel ſymptomata febrilia ſeſe aſſociant; nec aetati et temperiei ſingulorum congruus eſt, ita vt aliquando remedium ipſo morbo

 peius

peius exſtiterit. Nihilominus tamen ad reliquias eneruatae per Filicem taeniae emoliendas, vel ad adiuuandum effectum, purgante vix carere poſſumus: quidni vero eligatur mitius, quod repetita doſi eundem effectum praeſtet, ac alterum fortius vno praebito captum. Eius generis eſt non cum ſimplici purgante comparandum oleum Ricini. Itaque ingeſto puluere radicis Filicis doſi a Nufferia praeſcripta, duas horas poſt olei huius vncia dimidia ſorbetur cum cyatho infuſi Theae vel iuſculi carnei debilis, et hic hauſtus iteratur omni ſemihora, donec aeger vncias duas et dimidiam vel tres vncias olei ingeſſerit. Ipſum hocce oleum ſolum taeniam ſubigere aliquando, alibi iam dixi (*Appar. medic. vol.* 4. *p.* 219.). Quam vtile autem connubium eiusdem cum radice ſit, quod cl. DUNANT (*Journ. de M. t.* 49. *p.* 47. *ſq.*) iniunxit fretus ſua experientia, vlterius confirmat cl. BLACKBURNE (in SIMMONS *l. c. p.* 71.), qui hocce oleum vitello oui ſubactum cum aqua Hordei dedit. Aliquando ſuffecit duas horas poſt captum puluerem radicis Jalappae grana viginti quatuor exhibere (WENDT *l. c. p.* 45.).

Reliquae virtutes medicae commemoratae de hac radice ſaltim hodie non multum mirationis faciunt.

ciunt. Laudata quidem paſſim inſtar roborantis, emmenagogi, vulnerarii, ſed vbiuis dubia hactenus fide. Tam huic quam ſubſequenti ſpeciei ſterilitatem foeminis inducendi et abortum viui foetus et expulſionem mortui ciendi vis tributa a veteribus, THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, GALENO, PLINIO aliisque. Recentius cum Filicis maris radice experimentum fecit, quod mirum, cl. OLIVER (V. *Journ. de Medec. tom.* 12. *p.* 129.) in foemina foetum mortuum vtero gerente decocto Filicis, eumque excuſſit menſe ſexto. Liberat eam ab hocce opprobrio SPIGELIUS (*Oper. tom.* 2. *p.* 106.) argumentis haud infirmis, et ſane male ageretur cum iis gentibus, quae panem inde conficiunt. In cereuiſia coctam incolae inſulae Feroe eam contra calculum adhibent (SIM. PAULLI *Quadripart. p.* 334.). Qui in Britannia Gallica, item Normandia, ex radice Pteridis aquilinae ſub annonae charitate panis paratur, ſed malae indolis ad iudicium TOURNEFORTII (*Hiſt. de plant. des environs de Paris, vol.* 2. *p.* 351.), hunc iuſtius parari ex radice Filicis maris, vtpote frequentioris, arbitratur GUNNERUS (*Fl. Norveg. vol.* 1. *p.* 5.) non ſine praeuiis aliquot exemplis. Radix et frons tam huius quam aliarum quarundam filicum denſandis coriis ouillis et caprinis inſeruit

 (GLE-

(GLEDITSCH *verm. Ahhandl. tom.* 1. *p.* 24.). Moleſtum ceteroquin, vt aliae proceriores filices, paſcuis et ſyluis vitium ob radices late diffuſas, quibus ſuffocantur aliae ſtirpes et diſſeminationi arborum et fruticum impedimentum ponitur, vix arte exſtirpandum.

HERBA. Longe minori in pretio in re medica eſt. Ex libris tribus recentis linteo immiſſis prelo eruuntur ſucci viſcidi e luteo fuſci amaricantis adſtringentis vnciae ſedecim. Aqua deſtillata fragrantem odorem habet. Herbae ſiccatae libra dimidia erogat extracti aquoſi primi vncias duas drachmas ſex et ſcrupulos duos, eiusque ſubdulcis leniter adſtringentis tandem amaricantis. Eadem quantitas autem herbae offert extracti reſinoſi primi vnciam vnam et drachmas ſeptem cum ſcrupulo vno (GMELIN *Diſſ. cit. p.* 34.). Multum ſalis alcali fixi contineri in ea, iam dudum cognitum. Sed curatius determinanda proportio: librae nouem cum dimidia ſiccae herbae combuſtione dederunt cinerum vncias decem cum dimidia. Inde erutae ſalis alcali fixi vnciae duae cum drachmis duabus, ſed ſimul cinerum dictae quantitati ineſſe compertum tartari vitriolati tantillum et ſal digeſtiuum

Syluii

Syluii vltra quadruplum, reliquum eſt terra calcarea et ſilicea item exiguum terrae metallicae ferreae (GMELIN *Diſſ. cit. p.* 37.). In Anglia huius et ſubſequentis filicis cineres lotricibus loco ſaponis vel lixiuii accepti ſunt (RAII *Hiſt. pl. T.* 1. *p.* 149.). — Herba pecoribus proſtrata in Noruegia penuriae foeni ſubuenit (GUNNER *Flora Norveg. P.* 1. *p.* 5.).

Anglis conſerua turionum huius ſpeciei, vel aliarum quarundam filicum olim in rachitide placuit (BOWLES apud RAIUM *l. c. p.* 151.). Ipſe GLISSONIUS non ſpernit gemmas huius ſtirpis contra rachitidem, in formulis vel magis vel minus compoſitis (Vid. EJUSD. liber *de rachitide* e. c. *p.* 380. *ſq.*). Conducunt et folia ſicca huius aliarumque filicum ad puluinaria et culcitras, quibus rachitici incumbunt, quo plumarum loco leui preſſione laxam cutem corroborent (V. SWIETEN *Comment. vol.* 5. *p.* 619.).

PTERIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 782. *Gen. pl. p.* 559.

551.

Pharm. FILICIS FOEMINAE *Radix.*

Pteris aquilina; frondibus ſupradecompoſitis, foliolis pinnatis pinnis lanceolatis, infimis pinnatifidis, ſuperioribus minoribus LINN. *Spec. plant. p.* 1533. item BOLTON *Filic. Brit. p.* 16. *tab.* 10. Filix ramoſa maior pinnulis obtuſis non dentata C. B. Filix foemina FUCHS. *Hiſt. ſtirp. pag.* 569. Depicta quoque in BLACKWELL's *Herbal tab.* 325. Perennat. Creſcit in ſyluis ſterilibus et dumetis aſperis.

Exiſtimatur eſſe Θελυπτερις THEOPHR. et DIOSC.

Et haec quidem eſt Filix foemina, cuius practici libri crebro meminerunt, non Polypodium Filix foemina LINN.

RADIX longa, digitum craſſa, ſolitaria, extus nigra, interne maculata, ſaporis viſcidi amaricantis et magis nauſeoſi, quam in Filice mare. Librae eius tres erogant ſucci expreſſi vncias ſex tenacitate mellis inſtructi (CAR. CHRIST. GMELIN *Diſſ.* de

de Filicibus, p. 28.). Ex radicis ſiccae aqua decoctae libra vna pond. med. obtinetur extracti aquoſi primi magna quantitas, ſcilicet vnciae nouem ſaporis amaricantis ſubadſtringentis; extracti ſpirituoſi primi autem emergunt ex eodem pondere radicis modo drachmae quatuordecim cum ſcrupulis duobus.

In laude contra taeniam apud multos pari paſſu cum Filice mare ambulat, quin quidam hanc Pteridem ſeorſim memorant, vel alteri praeferunt. Ita HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Heluet. n.* 1688.) virtutem anthelminticam ad hanc reſtringit; ALSTON'S (*Lectures on the Mat. m. vol.* 1. *p.* 446.) potiorem huic ineſſe ſignificat. Eſt haec (Fougere femelle) praeciſe, quam ANDRY (*Generation des vers dans le corps de l'homme, p.* 170. *ſqq.*) tantopere celebrat: nolo formulam largae farraginis citare, ſed potius probo praebium ſimplex iſtud ex radicis huius drachmis duabus cum melle vel radicis drachmis tribus cum vino albo; cuius vero remedii repetendi ter vel quater per interuallum vnius diei, quo laxans praebetur, incidit neceſſitas. Ipſis infantibus, qui mammis inhiant, conducit mane data ad drachmam dimidiam in duas portiones

Gg 5 diuiſam

diuiſam cum pauxillo lactis, ſubiuncto purgante poſtero die (*l. c. p.* 172.). An haec radix intrauerit arcanum illud olim celebratum Eau de Fougeres cl. ANDRY, non dixerim: numeroſa alia recipere poſt mortem eius gener DIONIS, qui in lucri communionem tranſierat, edixit (Conf. VAN SWIETEN *Comment. tom.* 4. *p.* 729.).

Lumbricis haec quoque radix aduerſa eſt. Puer triennis quum pulueris eius drachma dimidia cum melle in electuarium redacta mane et veſperi vteretur, poſt ſecundam iam doſin lumbricos eiecit, aliosque poſt tertiam, vnde ſymptomata febrilia aliaque mala ex vermibus ceſſarunt (GMELIN *Diſſ. cit. p.* 55.).

Nolo ornare hanc ſtirpem aliis virtutibus illi adſcriptis, quum non multa ſed certa pro ſcopo habeam.

ADIANTVM.

ADIANTVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 790. *Gen. pl. p.* 560.

552.

Pharm. CAPILLORVM VENERIS vulgo, ADIANTI Ph. Pariſ. *Herba.*

Adiantum Capillus veneris; frondibus decompoſitis, foliolis alternis pinnis cuneiformibus lobatis pedicellatis LINN. *Spec. pl. p.* 1558. JACQU. *Miſc. Auſtr. vol.* 2. *p.* 77. *tab.* 7. BOLTON *Filic. Brit. p.* 54. *tab.* 29. Adiantum foliis Coriandri C. B. Perennat locis vdis, in muris, petris, ad oram puteorum Europae calidioris, vt Galliae auſtralis, Italiae. Repertum et in Heluetia transalpina (HALL.), in inſula Scotica Arron (LIGHTFOOT), Vergeſti (SCOPOLI), Goritiae (JACQU.).

Subſtituuntur huic paſſim aliae ſpecies. Nimirum *Adiantum pedatum* L. depictum in CORNUTI *Canadenſ. pl. tab.* 6., quod nomine Adianti Canadenſis vel CAPILLI VENERIS CANADENSIS in *Ph. Pariſ.* venit, et ob odoris fragrantiam a quibusdam praefertur (GEOFFROY *Mat. medicale, tom.* 5. *p.* 54. LEWIS *M. m. p.* 19. WITTWER *Diſſ. idea diſpenſatorii noſtris temporibus accommodati, p.* 20.), tam in Galliae,

quam

quam ſeriori tempore in Angliae officinis vſitatum. Ex barbaris Americae ſeptentrionalis vrbici in malis variis pectoris illud adhibere didicerunt; indeque factum eſt, vt quotannis in Galliam magna copia transmittatur (KALM *N. amer. Reſa*, *vol.* 3. *p.* 338.). Ab aliis (BEAUMÉ *Elem. de Pharmacie*, *tom.* 2. *p.* 197.) praefixo aequiparatur. Porro *Adiantum aethiopicum* L. in Capite bonae ſpei (THUNB. *Diſſ. de medicina Africanor.* *p.* 4.) eligitur. In REGNAULT *Botanique* ſub nomine Le Capilaire commun depingitur *Aſplenium Adiantum nigrum* L. (Cfr. *Fl. Dan. tab.* 250. BOLTON *Filic. Brit.* *p.* 30. *tab.* 17.), vt vera ſtirps, quam et pro ſyrupo Capillorum veneris adhiberi nec carere virtutibus medicis, iam TOURNEFORTIUS declarauit (*Hiſt. des Pl. des envir. de Paris*, *vol.* 2. *p.* 346.).

HERBAE praefixae ſpeciei ſapor ſubdulcis ſubauſterus, odor fragrans etſi debilis, qui ipſe infuſa aqua feruida praecipue percipitur. Infuſio vel decoctio cum aqua veſtigia mucilaginis prodit. Plus eius extrahit aqua, quam ſpiritus vini. Dudum in morbis pectoris, vt tuſſi, repletione pulmonum pituitoſa, raucitate, apud multos in exiſtimatione fuit, ridentibus aliis credulitatem. Nemo prudentior efficacioribus illam medicaminibus annumerabit.

bit. Inertem vero omnino pronunciare eam dicta non ſinunt. Optimum eſſet in infuſo theaeformi illam capere, ope ſacchari edulcando, qua forma etiam parceretur iacturae partium odorarum. Sed praeprimis virtutem SYRUPO excipere placet.

Hic in Gallo-prouincia abunde paratur, indeque in alias regiones transmittitur. Ad fragrantiam herbae ſeruandam e re eſt, poſt coctionem ſyrupi illum adhuc calidum ſuperinfundere herbae ruditer conciſae, et moram illi concedere, donec refrixerit, dein colare. Odor gratior illi impertitur, ſi poſt colaturam, antequam omnino refrixerit, aquae florum Naphae tantillo impraegnatur. Venalis ſaepe a fraudulentis hominibus male effingitur, omittendo herbam et contra ea ſoluendo mucilaginem Gummi Arabici vel aliam aqua ſaccharata; quin quidam merum ſaccharum aqua ſolutum eius nomine vendunt. In leuioribus pectoris affectionibus ex dictorum numero ferendus, dum vel ad exigua cochlearia ingeritur, vel loco ſacchari infuſo Theae admiſcetur vel in linctibus mixturisque cum aliis capitur.

PRAEPA-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS SIMPLEX *Ph. Würt. p.* 205. Conſueto in ſyrupis more paratur, addita aqua Roſarum vel florum Naphae. De virtute iam dictum. Saepe vices ſyrupi ſacchari ſimplicis in formulis agit.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS COMPOSITUS *l. c.* Vltra rem additamentis variis pectoralibus auctus. Inuſitatus.

ASPLENIVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 784. *Gen. pl. p.* 560.

553.

Pharm. LINGVAE CERVINAE ſ. SCOLOPENDRII *Herba.*

Aſplenium Scolopendrium; frondibus ſimplicibus cordato-lingulatis integerrimis, ſtipitibus hirſutis LINN. *Spec. pl. p.* 1537. BOLTON *Filic. Brit. p.* 18. *tab.* 11. Var. *α* Lingua ceruina officinarum C.B. Icon: CURTIS *Flor. Lond.* REGNAULT *Botaniq.* La Langue de Cerf. Perenne in rupibus et vmbroſis locis Europae auſtralioris.

Haec

Haec et ſubſequentes tres ſpecies vna cum Adianto aureo offic. olim HERBARUM QUINQUE CAPILLARIUM in pharmacopoliis venerunt, ſingulisque ſuppares vires tributae. Hodie neque ſigillatim neque iunctim magno in pretio ſunt. Adſtringere omnes leniter et ſapore et colore fuſco nigricante, quem ſolutioni vitrioli martis conciliant, cognoſcitur. In roborandis viſceribus, profluuiis aluinis et haemorrhagiis coërcendis, ſabulo pellendo, obſtructionibus lenioribus praecipue lienis reſerandis, valere olim iuſto maiori fiducia creditum. Non ſuppetit hactenus, vera et enucleata experientia priuas herbarum harum vires excutere. Differre in quibusdam, et odoris et ſaporis praeter dictum diuerſitas iam ſignificat.

HERBA Scolopendrii, dum recens, fricta odorem ſubnauſeoſum ſpargit, qui autem ſiccando eam perit. Intrat SPECIES VULNERARIAS Heluetis nomine FALLTRANK notas. Infuſum theaeforme aptiſſimum.

554.

Pharm. CETERACH *Herba.*

Aſplenium Ceterach; frondibus pinnatifidis, lobis alternis confluentibus obtuſis LINN. *Syſt. veg. p.* 784. BOLTON *Filic. Brit. p.* 20. Ceterach officinarum C. B. Icon: REGNAULT *Botanique* Le Ceterac. Perenne in rupibus et muris Europae auſtralioris.

HERBAE huic praeter ſubauſterum ſaporem mucilaginoſus competit. Hinc forſitan pectoralis habita. Sabulum renum mouiſſe in infuſo data illuſtri exemplo legitur, quo praegreſſo auide in Gallia eam tentarunt (LEWIS *Mat. med. p.* 203.).

555.

Pharm. TRICHOMANES *Herba.*

Aſplenium Trichomanoides; frondibus pinnatis, pinnis ſubrotundis crenatis LINN. *Syſt. veg. ed.* 12. *p.* 690. Aſplen. Trichomanes BOLTON *Filic. Brit. p.* 22. *tab.* 13. In iſto libro LINNEUS primo epitheton Trichomanes antea (*Spec. plant. p.* 1540.) vſitatum, mutauit in alterum, confuſionis cum aliis quibusdam ſpeciebus congeneribus euitandi cauſa. Var. *α.* Trichomanes ſ. Polytrichum officinarum C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 119. REGNAULT *Botan.* Le Politric. Perennat in muris et rupium fiſſuris.

HERBA ſaporis mucilaginoſi, aliquantum dulcis cum auſteritate. Hinc in raucitate et tuſſi ex pituita collecta olim non ſpreta, et Capillo Veneris ſuppar iudicata. Etiamnum in tam rigoroſo ſelectu recipit herbam *Pharmacopoea Edinb. a.* 1783. *p.* 63. et *Pharm. Lond. Spec.* 2. *p.* 15. Et diu intrauit SYRUPUM DE ALTHAEA *Ph. Ed.* 1758. *p.* 59.

556.

Pharm. RVTAE MVRARIAE *Herba.*

Aſplenium Ruta muraria; frondibus alternatim decompoſitis, foliolis cuneiformibus crenulatis LINN. *Spec. pl. p.* 1541. BOLTON *Filic. Brit. p.* 28. *tab.* 16. Ruta muraria C. B. Var. I. HALLER. *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1691. Icon: *Fl. Dan. tab.* 190. REGNAULT *Botan.* Rue de Murailles. Perenne, in muris vulgare.

Deſueuit HERBA, vt ceterae capillares dictae. Becchica praecipue praedicatur, et CHOMELIUS putat, ſe ptiſana ex eadem, ſaccharo edulcata, vlcus pulmonum ex pleuritide praegreſſa enatum euacuaſſe et ſanaſſe (*Uſuell. tom.* I. *p.* 116.). Rara felicitas ex remediis, niſi vires, aetas, integritas humorum et ſedes commoda, obſecundent.

EQVISE-

EQVISETVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 778. *Gen. pl. p.* 559.

557.

Pharm. EQVISETI *Herba.*

Equiſetum aruenſe; ſcapo fructificante nudo; ſterili frondoſo LINN. *Spec. pl. p.* 1516. Equiſetum aruenſe, longioribus ſetis C. B. Icon: CURTIS *Fl. Lond.* Perenne, vulgare agrorum vitium. Floret vere, ſcapo florifero autem euanido frons emergit, tota aeſtate vigens.

Praefixi hanc ſpeciem auctore LINNEO in *Materia medica.* HALLERUS autem (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1677.) ad *Equiſetum paluſtre* et *limoſum*, quae in vnam ſpeciem coniungit, virtutes medicas refert. ALSTONUS (*Lectures on the Mat. med. pag.* 133.) et Equiſetum *fluuiatile* et aruenſe admittit; cl. BERGIUS (*Mat. med. p.* 841.) iterum Equiſ. *hyemale* ſub EQUISETI MAIORIS offic. nomine, tribuens EQUISETI MINORIS offic. nomen Equiſeto aruenſi L.

Itaque hae ſtirpes prout genere iunguntur ita et viribus conueniunt, ſaltim in pleriſque. Aliqua tamen diffidentia exoritur in recenſu virium vel

nocentium vel proficuarum dum vnice ſaepe Equiſeti nomini inhiandum eſt. Parce valde in vniverſum vſurpatur.

HERBA adſtringens omnium fere iudicio eſt. Negatur id ad minimum de Equiſeto aruenſi, vt cuius infuſum non nigreſcit per vitriolum martis. A bobus Equiſ. aruenſe intactum relinquitur, praeterquam peregrinis vel fame coactis, qui ex hocce pabulo tabeſcunt (LINN. *Flor. Succ. p.* 367.). Ex Equiſeto copioſo inter pauca gramina creſcente demeſſo et in horreum illato, quo vaccae et oues per hiemem ſaginatae, pauciſſimae absque abortu euaſerunt (JO. HEINR. SCHULZE in *Act. nat. curioſ. vol.* 1. *p.* 521.). Similia de E. hyemali narrantur, vaccas praeterea inde iacturam dentium pati (GOTTSCHED *Fl. Pruſſ. p.* 66.). Diarrhoea in vaccis enaſcitur, quin immedicabilis, vt HALLERUS (*l. c.*) caſu ſingulari obſeruauit. In armentis mictum cruentum quoque creat (*Holl. Maatſchapp. tom.* 8. *p.* 159.).

Inde iam ad vim lotii pellendi, quae hinc inde notatur (LINN. *Mat. med.* HALL.) concludi quodammodo poteſt. Sed et profuit Equiſetum aqua decoctum ac calide extrinſecus pubis regioni impoſitum, eiusque fomentum in connubio decocti

pro

pro potu (RIEDLINUS in HEUCH. *Oper. pag.* 253.). Cum quibus haud facile comparari poteſt aliorum laus in mictu cruento ſedando (*Comm. Nor.* 1733. *p.* 286.). In nephritide calculoſa decoctum herbae Equiſeti ex cereuiſia alba adiecto butyro et melle tanquam domeſticum, ſed non ſpernendum remedium proponitur (HOFFM. *Med. ſyſt. tom.* 4. *P.* 2. *p.* 386.). Dum diſſuadet in calculo HOYERUS (*Ac. nat. curioſ. Cent.* 1. 2. *p.* 127.) ex caſu vnico Equiſetum, non de eo ſolo, ſed combinato cum baccis Juniperi in puluere loquitur. Diſſenſus hi tanto nocentiores eſſe poſſent, niſi in hodierna praxi medica rariſſimum eſſet Equiſeti nomen.

ORDO LII.

M V S C I.

L Y C O P O D I V M.

LINN. *Syſt. veg. p.* 793. *Gen. pl. p.* 561.

558.

Pharm. LYCOPODII ſ. MVSCI CLAVATI *Semen; Herba.*

Lycopodium clauatum; foliis ſparſis filamentoſis, ſpicis teretibus pedunculatis geminis LINN. *Spec. plant. p.* 1564. Muſcus terreſtris clauatus C. B. Lycopodium vulgare piloſum amfragoſum et repens DILLEN. *Hiſt. muſc. p.* 441. *tab.* 58. *fig.* 1. Depictum quoque ſiſtunt *Flor. Dan. tab.* 126. et REGNAULT *Botan.* Le Pie de Loup. Perennat in ſyluis abiegnis item in torfaceis, ericetis, inuiis arenoſis.

SEMEN ſ. PULVIS, POLLEN, SULPHUR ſ. FARINA (vt hodie Suecis) Lycopodii latet forma pulueris pallide flaui in ſpicae biualuibus et reniformibus capſulis, vt DILLENIUS HALLERUSque illas vocant, vel antheris, vt LINNEUS nominat. Hic ipſe prout pro

pro vero antherarum polline, non ſemine, iſtum puluerem habet, ita et HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Helv. P.* 3. *p.* 19.). Erumpit ſponte capſulis dehiſcentibus; pro vſu autem muſcus reſecatur, antequam ſquamae ſpicarum pateant, et ſiccato eo dein domi conquaſſatione ſpicarum puluis excutitur. Maturatio contingit Auguſto menſe vel Septembri. Cribratione facta ſeruatur vaſis probe clauſis.

Puluis hic omni odore et ſapore deſtituitur. Aquae iniectus ſuperficiem ſeruat, diuturna tamen agitatione pars fundum petit. Conſtat ex globulis minutiſſimis. Contrectatus digitis mollitiei ſenſum excitat et potius pinguedinis quam ſiccitatis, et adhaeret digitis. Inſperſus flammae candelae vel alius ardentis corporis accenditur cum fulguratione et ſtrepitu, non autem candenti carboni impoſitus, ſuper quo ipſo fumans lente conſumitur.

Aqua valde exiguum extrahit, ſcilicet ex pulveris vncia vna grana modo octo; ſpiritus vini autem octauam totius partem, quae ipſa vel extractum reſinoſum vel oleum eſt, vtrumque nauſeoſi ſaporis (NEUMAN. *Chym. vol.* 2. *P.* 3. *p.* 263. *ſq.*). Plures quoque igne aperto naturam eius rimati ſunt (WEDEL. *Diſſ. de muſco terreſtri clauato, p.* 19.

NEVM. *l. c. p.* 262. BERG. *Mat. med. p.* 852.), omnesque copiam olei empyreumatici obtinuerunt, e. g. NEVMANNVS, qui ex quatuor vnciis pulueris huius ſupra duas cum dimidia vncias eius elicuit. Paullo minus cel. BERGIVS, qui et curatius in diuerſam transgreſſorum naturam inquiſiuit; etenim eadem quantitas pulueris erogauit phlegmatis aciduli lutei drachmas ſex, olei liquidi nigricantis totidem et olei butyracei collo vaſis retorti adhaerentis fuſco lutei drachmas duas, remanente in fundo carbone atro fragili. Sic igitur eadem redundant ex hoc puluere, ac ex cera, quam apes ex polline antherarum effingunt. Puluis quoque Lycopodii proxime dicto pollini e. c. ex Abiete, Typha, Lupulo rel. ſpecie et colore ſimillimus eſt.

Sane omni attentione dignus iſte in medicina eſt, ſi vel vnice contra intertriginem infantum tenellorum valeret. In hac vero et efficaciſſimus eſt, et tutior longe ceruſſa, quae ſaepe eclampſiam ſuſcitat, et puluere cyprio inſperſo, qui ſcabiei ſaepe cauſa exiſtit. In omnibus familiis, certe in Suecia hoc fine notiſſimus (Conf. ROSENSTEIN *om Barns Sjukd. p.* 25.). Simplex inſperſio per flocculum Goſſypii ſufficit ad excoriationem arcendam et, vt ipſe

ipſe vidi, amplam profundamque ſuperandam. Caſu difficiliori, quo iam pus contrahi coepit, fidum reperi Vnguentum, a ROSENSTEINIO (*loc. cit.*) commendatum ex Vnguenti roſati (non cerati, vt iſte innuit, quoniam hoc iuſto durius eſt) vncia dimidia, Florum Zinci, Farinae Lycopodii drachma vna. Extenſa etiam pulueris Lycopodii applicatio ad vlcera manantia ſerpiginoſa, vlcera crurum (HELWICH in *Ephem. nat. cur. Cent.* 9 *et* 10. *p.* 316.). — Vulgaris eſt pro pilulis conſpergendis ne cohaereant mutuo, et quo ſapor ingratus paullisper celetur.

Non aeque certa ſunt, quae de vſu interno ſequuntur, quibus tamen fides olim habita haud mediocris. Vrinae difficultati ſubuenire perhibetur, cuius retentio in infante quum cauſa exiſteret epilepſiae, vtrumque malum puluere ſublatum fertur (WEDEL. in *Miſc. nat. curioſ. Dec.* 1. *Ann.* 3. *Obſ.* 15.). Nominatim in difficultate vrinae infantum laudatur (WEDEL. *Diſſ. cit. p.* 26. LENTIL. in *Miſcell. nat. cur. Dec.* 3. *App. ad ann.* 5 *et* 6. *p.* 98.). Nephriticis (WEDEL. *Diſſert. l. c.*), imo calculoſis (CONR. GESN. *Epiſt. p.* 92. *b.*), prodeſſe pariter creditus. Infantibus laborantibus cardialgia et torminibus

ventris flatulentis a mulierculis Miſnenſibus, certe non conſpicua auctoritate, olim propinatus (GARMANN. in *Miſcell nat. carioſ. Dec.* I. *Ann.* I. *Obſ.* 17. *p.* 198.). Vt taceam alia, vix credibilia a WEDELIO (*Diſſ. cit.*) vbertim propoſita.

Fulguratio, quam dixi puluere flammae inſperſo conſpici, ignibus artificialibus idoneum eundem reddidit. Quo fine et Perſae illum in Ruſſia copioſe coemtum item Ruſſi adhibent (OLEARII *Reiſebeſchreibung nach Muſſkau und Perſien*, *lib.* 4. *cap.* 24. *p.* 342.). Serius innotuit ſubſtitui huic eodem ſcopo poſſe pollen Typhae latifoliae L. quod commodius colligitur (NITSCHMANN in *Beſchäfftig. Berl. naturf. Freunde*, *vol.* 3. *p.* 437.).

HERBA. Rarius longe praecipitur. Vomitum in quibusdam decoctum ciet (WELSCH in *Mictomim.* inſert. *Miſcell. nat. carioſ. Dec.* I. *Ann.* 4. 5. *p.* 31. VICAT *Memoire ſur la Plique Polonoiſe*, *p.* 58.). In plica Polonica teſtimonio non vno eximia praeſtat, indeque ſtirps haec Plicaria dicta. Eo fine decoctum tam interne, quam ad lotionem capitis adhibere viſum eſt, item linimento herbam excipere; in comparatione cum aliis medicaminibus adeo omnem paginam abſoluere expertus quidam affirmat

mat (*Breſslauer Samml.* 1720. *p.* 403.). Quibusdam placet herba Lycopodii et Brancae vrſinae iunctim coquere et fermento addito acidiuſculum potum parare, ſicque pro conſueto potu et ad iuſcula ſumere; non neglecta tamen lotione ope decocti ſaturati (A BERNIZ in *Miſcell. nat. cur. Dec.* I. *Ann.* 2. *p.* 94. *ſqq.*). Suffecit ſubinde ſola decocti cum aqua vel cereuiſia parati fomentatio calida vel tepida per lintea bis vel ter de die, vnde dolores ac ſpaſmi ſopiti, cutis rigida et arida emollita, pori ac meatus obſtructi et contracti reſerati ſunt (ERNDTEL *Warſavia phyſice illuſtr. cap.* 6. *p.* 210.). Magni quoque facienda eſt hac in re experientia cl. VICAT (*l. c. p.* 58.), qui ſemper ſalutarem effectum ſibi attuliſſe in aegris huius generis aſſeuerat, continuans vſum decocti, quamdiu absque vomitionibus illud ferre valuerunt.

Integritatem reſtituere vino pendulo ſeu fluctuanti, quod iam lentorem contraxit, Lycopodium in dolio ſuſpenſum legitur (SCHWENCKFELD *Catal. ſtirp. et foſſil. Sileſ. p.* 141.). Imitatione dignum eſt, ſtoreas (Matten) palmaris circiter craſſitiei parare ex recenti huius vel Lycopodii annotini herba apte contexta, pro calceis ante introitum per

ianuas

ianuas conclauium detergendis, prout vulgare in Suecia eſt; ita et munditiei conclauium conſulitur et oculi grata viredine paſcuntur.

559.

Pharm. MVSCI ERECTI *Herba.*

Lycopodium Selago; foliis ſparſis octofariis, caule dichotomo erecto faſtigiato, floribus ſparſis LINN. *Spec. pl. p.* 1565. Selago vulgaris Abietis rubrae facie DILLEN. *Hiſt. muſc. p.* 435. *tab.* 56. *fig.* 1. Muſcus erectus ramoſus ſaturate viridis C. B. Selago tertia Thalii JAC. BREYN. in *Miſcell. nat. cur. Dec.* 1. *Ann.* 4. 5. *p.* 183. *c. fig.* Depictum porro vide in *Flor. Dan. tab.* 104. Perenne in rimis ſaxorum, ſyluis aceroſis, iuniperetis ſteriliſſimis Europae borealis; nobis in Bructero.

Ruſticis loco natali hinc inde domeſticum; in reliqua praxi medica deſueuit.

HERBAE ſapor non amarus nec acris, attamen guſtui aduerſus. Vomitum ciet vehementem (BREYN. *l. c. p.* 184.); item aluum fortiter purgat. Decocto in hunc finem vtuntur in Ingria (GORTER *Fl. Ingr. p.* 66.); infuſo in Smolandia (LINN. *Amoen.*

Amoen. vol. 7. *p.* 305.), vbi in doſi ſaepe peccant, quae hactenus non ſatis definita eſt. Meretrices foetum ea pellere aliquando tentarunt, vnde olim ex officinis ſuſpectis hominibus non vendita (BREYN. *l. c.*). Ruſtici Suecici narratur exemplum, qui ſe ipſe coniugem et familiam ſiphilitide laborantes decocto ſanauit (LINN. *l. c. p.* 382.). Lotione decocto facta ruſtici in Suecia equos, vaccas, ſues aliaque pecora a pediculis liberant (*l. c.*). Anceps vero eſt periculum in hominibus contra haecce inſecta, caput enim inde turbari maxime, cognitum (BREYN. *l. c.*). Sugillationes ex lapſu in fomentatione diſcutit plurium conſenſu.

POLYTRI-

POLYTRICHVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 795. *Gen. pl. p.* 563.

560.

Pharm. ADIANTHI AVREI *Herba.*

Polytrichum commune; caule ſimplici, anthera parallelepipeda. Var. *α.* LINN. *Spec. pl. p.* 1573. Polytrichum aureum maius C. B. Polytrichum quadrangulare vulgare, Jaceae foliis ſerratis DILL. *Hiſt. muſc. p.* 420. *tab.* 54. *fig.* 1. Imaginem quoque ſiſtit *Fl. Dan. tab.* 295. item REGNAULT *Botan.* La Percemouſſe. In locis vliginoſis et humidis crebrum.

HERBAE vſus euiluit et quae paſſim de ea recenſentur vires fidem fere ſuperant et ſuperſtitionem redolent. Capillarium vna, ſicque communi cum reliquis laude ſcreatui pituitae in pulmonibus collectae promouendo apta iudicata, aeque ambigua auctoritate. Decoctum capillorum radices firmare, et caluitiem tollere creditur. Adſtringit certe aliquantum, hinc ſine dubio ſalus in calculoſis et obſtructione viſcerum percepta (Conf. FUCHS. *Hiſt. ſtirp. p.* 629.).

Sunt

Sunt et oeconomica quaedam commoda, quae ruri inde petuntur. Ita aſpergilli loco eſt haec ſtirps ad panes vel alias res eodem rigandas. Ob bibulam naturam ſpongiae vicibus fungitur pro abſorbenda aqua. Scopas quoque inde Weſtrogothi conficiunt, quibus furnos euerrunt. Huic vſui accommodatior mihi videtur, quam pro verriculis veſtium puluere conſpurcatarum, quae inde Belgae parare feruntur (JO. BAUH. *Hiſt. ſtirp. tom. 3. p. 753.*). Vrſi lectum inde ſibi parant hiemationi intenti (Conf. LINN. *Amoen. acad. vol. 7. p. 379. 380.*). Ea Lappones ſeſe obtegunt ſub dio pernoctantes frigida nocte (*l. c.*). Hisce vſibus tanto magis idonea eſt, quum aliquando ad longitudinem cubitalem perueniat. Et pro ſtragulis exſcinditur ceſpes quadrangularis trium vlnarum latitudine et longitudine, nimirum ex Polytricho pro foeminino habito, et quatitur nonnihil, vt folia aceroſa, ſi qua immerſa, et terra adhaerens ſeparentur. Corpori autem contigua eſt modo pars a ſolo auerſa; ſic ſanus mollisque lectus obtinet. Lectu digna ſunt, quae diſertis verbis flore aetatis de hac re memoriae prodidit diuus LINNEUS (*Fl. Lapp. p. 312.*).

ORDO

ORDO LIV.

A L G A E.

L I C H E N.

LINN. *Syſt. veg. p.* 805. *Gen. pl. p.* 566.

561.

Pharm. VSNEAE ſ. MVSCI CRANII HVMANI *Herba.*

Lichen ſaxatilis; imbricatus foliolis ſinuatis ſcabris lacunoſis, ſcutellis folio concoloribus LINN. *Spec. plant. p.* 1609. — — ſcutellis badiis *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 806. HOFFM. *Enumer. lichen. p.* 84. *tab.* 16. *fig.* 1. Lichenoides vulgatiſſimum cinereo glaucum lacunoſum et cirroſum DILL. *Hiſt. muſc. pag.* 188. *tab.* 24. *fig.* 83. Lichen opere phrygio ornatus VAILL. *Botan. Pariſ. tab.* 21. *fig.* 1. Lichen laciniatus, *β* arboreus WEISS. *Pl. crypt. Gott. p.* 56. Sermo hic eſt praeeunte LINNEO in *Mat. med.* non de illa Varietate, quae rupibus adhaeret, ſed de arborea, in arborum corticibus vulgari, nec in ſepibus et aliis lignis vetuſtis rara.

Triſte

Triſte monimentum ſtruit credulitatis et ſuperſtitionis, quum olim praeſtantiam ſingularem a lichenibus vel muſcis exſpectarent, qui craniis humanis innaſcerentur, cuius humanae imbecillitatis memoriam ſeruant multi vetuſtiores libri practici et de materia medica conſcripti (Exempla vide, ſi placet, in ZORN. *Botanol. med. p.* 447.). Aditus aëris liber ad harum ſtirpium generationem quum requiratur, in craniis hominum violenta morte abreptorum et ſub dio iacentium quoque procreſcere poſſe palam eſt. Non vna autem nomine Vſneae ſelecta: ſed quaedam *villoſae* dictae ex Hypni genere (Conf. DILLEN. *l. c. p.* 190. VOGLER *Diſſ. de muſcis et algis valetud. ſeruientibus, p.* 15.); aliae autem *cruſtaceae*, ſcilicet Lichen pulueruientus SCHREB., ſaxatilis et omphalodes L. Eminet praeiudicio Lichen ſaxatilis. Si quid vere in haemorrhagiis, dyſenteria et vulneribus valuerit, id ſoli licheni, non cranio humano, deberi hodie quilibet agnoſcet. Nec ab hocce quispiam deriuabit amplius vim antepilepticam, quae in ipſo lichene magis quam dubia eſt.

Longe dignior hic lichen eſt, qui notetur ob vtilitatem in arte tinctoria, in qua ſerioribus

temporibus lichenum pretium curatius ſtabilitum eſt, LINNEO, ni fallor, facem praeferente; (qua de re conſuli poſſunt cll. GEO. FRANC. HOFFMANN *Diſſ. de vario lichenum vſu, Sect.* I. *Erlang.* 1786. et *Commentatio* EJ. ab acad. Lugdunenſi Gall. *praemio diſtincta;* AMOREUX *Recherches et experiences ſur les divers Lichens* 1787; item WILLEMET *Lichenographie economique* 1787.). Nec ruſtici modo in Oelandia et Gothlandia colore bruno ſ. purpuraſcente fila lanea eo tingunt (LINN. *Oländska och Gothländska reſa, p.* 30. 101. 209.), ſed et praeſtantioris ordinis homines in Noruegia eo lanam pro ſuis veſtibus imbuunt. Et Leithae in Scotia officina proſtat, in qua ducenti homines occupantur hocce lichene colligendo, qui in puluerem redactus et aqua maceratus colorem pulchrum et conſtantem chermeſinum erogat (FERBER *N. Beyträge zur Mineralgeſchichte, vol.* I. *p.* 455.). Pro additamento vario alii quoque inde colores emergunt (V. HOFFM. *l. c. p.* 27.).

562.

Pharm. MVSCI ISLANDICI *Herba.*

Lichen Islandicus; foliaceus adſcendens laciniatus, marginibus eleuatis ciliatis LINN. *Spec. pl. p.* 1611. Var. *α.* CRAMER *Diſſ. de Lichene Islandico, Erlang.* 1780. Lichenoides rigidum, eryngii folia ferens DILL. *Hiſt. muſc. p.* 209. *tab.* 28. *fig.* 111. Lichenoides iſlandicum HOFFM. *Pl. lichenoſ. vol.* 1. *faſc.* 2. *tab.* 9. *fig.* 1. *p.* 41. Conf. icon in *Flor. Dan. tab.* 155. Creſcit in ſeptentrionalium regionum ſyluis aceroſis ſterilibus ſuper terra, item locis alpinis et montanis. Nec fugit auſtraliores regiones, vt Italiam ſuperiorem, Galliam meridionalem, Heluetiam, Auſtriam. Copioſus in Iſlandia prouentus et vſus nomen dedit. Nobis creberrimus in ſyluis Hercynicis et monte Bructero.

Princeps lichenum, quin totius algarum familiae eſt, ſi vſum ſpectes, vt qui tam corpori ſalubriter alendo ſufficit, quam morbis variis alias deuictu difficilibus arcendis, auerruncandis. Inter praeſtantiſſima igitur hodie medicamina ſplendet, qui ante aliquot annos in enumeratione horum

Ii 2 vel

vel omiſſus exſtitit e. c. in cll. LEWIS, ALSTON, SPIELMANN libris de *Mat. med.*, vel breui modo disquiſitione diſtinctus.

In colligendi eum tempore Iſlandorum morem merito imitamur, qui illum pro vſu cibario nonniſi aëre humido inualeſcente vel pluuia incidente congerunt, quoniam ſicca tempeſtate vel ſole ſplendente a muſcis vel ſaxis, quibus inhaeret, aegrius diuellitur, facile frangitur et manus cuſpidibus marginis lacerat. Arbitrantes triennium requiri ad perfectionem acquirendam, tertio tantum anno eundem locum petunt (OLAFSEN *Reiſe durch Island, vol.* I. *p.* 85.).

Nihil in odore memorabile hic lichen habet, praeter algarum et fungorum ſolitum; decoctum vero eius aqua factum nonnihil fragrans ſentitur, lacteum vix ita. Maſticatione amarus ſapor mox euoluitur, qui tamen nihil ingrati admixtum habet, licet ſatis intenſus. Aqua coctione recipit eum, ſed adeo tamen tenax inhaeret licheni, vt decoctum vigeſimum adhuc manifeſta amaritiei veſtigia prodat (EBELING *Diſſ. de Quaſſia et Lichene Islandico, p.* 40.). Lac ſi ſubſtituitur, ob oleoſas ſuas partes amaritiem aliquantiſper temperat. Penetrat amarities

rities ſtirpis in ipſum lac nutricis, ita vt illud ſugere infans detrectet (KÖLPIN caſu ſingulari in PALLAS *N. nord. Beyträg. vol.* 2. *p.* 343.). Decoctum aqua factum colorem luteum prae ſe fert, affuſa autem ſolutione vitrioli martis colorem induit rubrum (EBELING *l. c. p.* 40.); et alio experimento infuſum aquoſum induit hocce additamento colorem e rubro badium, magis tamen rubrum, quam badium (CRAMER *l. c. p.* 21.). Lacte coctus hoc per triduum et vltra contra coagulum tuetur (MYGIND in SCOPOLI *Ann. hiſt. nat.* 2. *p.* 113.).

Complures exſtant, qui chemicis experimentis in naturam eius abditam inquirere tentarunt, et horum quidam a vehementiori ignis gradu adhibito lucem quoque exſpectarunt, prouti HIÄRNE in *Vet. Acad. Handl.* 1744. *p.* 176. *ſqq.*) et cl. FUCHS (in CRELLS *chemiſch. Annal.* 1787. *vol.* 1. *pag.* 144.). Equidem praecipue ſubſiſtam in iis experimentis recenſendis, ex quibus aliquod in re medica commodum peti poteſt. Ex lichenis vnciis quatuor, cum aqua repetito affuſa coctis, mucilaginis e rubicundo cinereae albicantis ſubamarae vnciae ſedecim cuidam rem exploranti emerſerunt (TROMSDORFF *Diſſ. de lich. Island. p.* 12.). Alius (EBELING

l. c. p. 42.) fere duplo plus, quam iſte, mucilaginis amarae rubicundae obtinuit eiusdem fere conſiſtentiae, ac Gummi Arabicum triplo aquae ſolutum. Lichenis vnciae quatuor cum libris circiter viginti quatuor aquae per ſex fere horas, donec librae circiter duae ſuperſint, coctae poſt colationem et refrigerium gelatinam erogant amaricantem, quae in extractum denſata pendet vncias duas et drachmam vnam, et hoc quidem omni fere amaritie deſtituitur (CRAMER *l. c. p.* 15.). Eſt (EBELING *l. c. p.* 44.), qui paullo plus elicuit (Conf. HERZ *Briefe an Aerzte*, 2. *Samml. p.* 91. PAULIZKY *medic. pract. Beob.* 1. *Samml. p.* 30.). Extracti ſpirituoſi autem primi ex tinctura oliuacea nonniſi drachmas duas et ſcrupulos duo ex lichenis vnciis quatuor lucramur, quod tamen cedit amaritie extracto ſpirituoſo ſecundo, vt quod ipſum amaricans ſubadſtringens et nauſeoſum eſt (CRAMER *Diſſ. cit. p.* 17. Conf. EBELING *p.* 44., qui paullo minus elicuit HERZ *l. c.* PAULIZKY *l. c.*). Longe plus itaque extracti aquoſi, quam ſpirituoſi, licheni huic ineſt. Mucilago eam tenacitatem habet, vt chartam leniter conglutinet (EBELING *loc. cit. p.* 42.). Vncia iſtius dimidia cum olei amygdalarum aequali quantitate trita illud aquae vnciis ſex miſcibile reddit; item

item oleum Ricini et Terebinthinae cum aqua combinat, ita tamen, vt haec olea poſt aliquot horas ſuperficiem aquae petant, concuſſione ſubſequente iterum coniungenda. Subigit quoque camphoram, eiusque prout olei Terebinthinae ſaporem vrentem et olei Ricini amarum mitigat (EBELING *l. c. p.* 42.). Nullae vero partes amylaceae nec glutinoſae euolui poſſunt, quae in farina ſeminum variorum tamen latent (CRAMER *l. c. p.* 14.). Deſtillatione cum aqua prodit liquidum debiliſſime acidulum et ſubacre (EBELING *l. c. p.* 43. CRAMER *l. c. p.* 22.). Ex iis, quae vehementiori igne eruta, hic nominatim terra martialis, quae exigua quantitate combuſtione comparet, commemoranda (CRAMER *l. c. p.* 25.); pauxillum modo ſalis alcalini fixi ineſt; taceo indiſſolubiles partes (CRAMER *l. c.*).

Ex hisce igitur colligitur, lichenem Iſlandicum fere ad dimidium pondus mucilaginoſas et pauciores partes reſinoſas continere, quae ipſae vna cum mucilagine aqua ſuſpenſae haerent, admiſtas quoque eſſe amaras et blande adſtringentes. Vnde tam nutriendi vi, quam roborandi et antiſeptica excellere iam hariolando patet, id quod vlterius experientia confirmat.

Carnem bubulam infuſum lichenis huius vt alia adſtringentia contra putredinem per tempus tuetur (EBELING *loc. cit. p.* 41.) ad 70 horas vsque (CRAMER *l. c. p.* 26.), itaque paullo debilius quam cortex Peruuianus. Alia experimenta cum ſanguine et bile putrida docent eiusdem vim antiſepticam; quin intra bihorium bilis putrida omnino integritatem ſuam recuperauit (HERZ *Briefe an Aerzte,* 2. *Samml. p.* 94.).

Alimenti nomine dignum eſſe, vſu apud Iſlandos quotidiano abunde condocemur. Paucis modo verbis eundem ſignificauit BORRICHIUS (in *Act. med. et phil. Hafn.* 1673. *vol.* 1. *p.* 126.). Iam vero nouimus, eam gentem cateruatim cum equis tentoriis et reliquis ad vitam neceſſariis per vnam vel duas hebdomades ſeſe conferre ad loca, vbi creſcit, lichenem hunc colligendi cauſa, quem in ſaccis equorum dorſo impoſitis reportant. Seruatur plerumque pro vſu intra ſacculum contuſus, dein vlterius in farinam conterendus; alii vero eundem aqua prius ablutum in particulas tenues concidunt (TROILS *Reſa til Island, p.* 79.). Eius tonnae duae aequiparantur tonnae vni farinae frumentaceae vi nutriente. Pultem Islandi plerum-

que

que inde parant praegreſſa emollitione in aqua per diem, qua ipſe exuitur amaritie, quae ineſt. Haecce puls coquitur in ſero lactis, donec in gelatinam tranſeat, deinque vel calide cum lacte vel frigide cum ſero lactis editur; alii poſt emollitionem in aqua lichenem concidunt, vel ſiccant illum igne vel ſole, quo indureſcat et fragilis fiat, tumque intra ſaccum contuſum lacte coquunt: ita ferculum gratum et facilis digeſtionis beneque nutriens emergit (OLAFSEN *Reiſe durch Island, vol.* I. *p.* 86. Conf. de ſapore et ſalubritate iudicium cl. HORREBOW *tilforladelige Efterretninger om Island, p.* 88. et HIÄRNE in *Vet. Acad. Handl. l. c. p.* 172.). Norrlandi (teſte HENR. BENZELIO in HARMENS *Diſſ. de med. Lapponum* inſerta HALLER. *Coll. pract. diſſert. vol.* 6. *p.* 723.) pulmenta ſic inde parant, quod lichenem bene purgatum aquae calidae iniiciant, quam poſt vnam alteramue ebullitionem abiiciunt, ſuperinfuſa dein frigida aliquoties lauent, tum minutiſſime conciſum lacte decoquant, addito ſub finem pauxillo ſalis et, ſi placet, Cinnamomi. Farinae tantillo addito cum fermento in panem conuerti poteſt, quo tamen Iſlandi non vtuntur (OLAFSEN *l. c.*), et ob amaritiem, ſiue ſimplex maceratio in aqua praecedat nec ne, ingratus eſt et

 nigre-

nigredine quoque diſplicet (CRAMER *l. c. p.* 54.). Ferri tamen poteſt, ſi lichen quater antea coctus parua farinae triticeae quantitate miſcetur, ſed tum vltra dimidium ponderis lichenis coctione perit (EBELING *l. c. p.* 47.). Tam bene autem lichen more ſolito paratus nutrit, vt et operariis ſatisfaciat (OLAFSEN *l. c. p.* 86.). Memorabile nutriendi eius virtutis exemplum exſtitit in nouiſſimo itinere aliquot botanicorum Suecicorum, qui per aeſtatem a. 1788. Lapponiam adierant. Hi annonae calamitate per Angermanniam ſeptentrionalem et Bothniam occidentalem fere oppreſſi, famem per quatuordecim dies hoc fere vnice lichene, abundanter ibidem creſcente, ſatiarunt, ita nimirum, vt per noctem aqua praecipue calida maceraretur, et aqua defuſa lacte in pultem tenuem coqueretur (*Allmänna tidningar* 1789. *P.* 2. *n.* 43.). In Carniola ſaginantur eodem ſues, vt vix alio cibo magis pingueſcant; et equi bouesque macri in ea loca aguntur, vbi ſolus ille copioſe prouenit, vnde intra tres vel quatuor hebdomades pingues euadunt et amiſſas vires denuo recuperant (SCOPOLI *Ann. hiſt. natur.* 2. *p.* 111.).

Habent cum hoc lichene alii quidam hoc commune, quod nutritiis particulis ſcatent, et

vel

vel vere hominibus vel brutis in eſcam cedunt. Veſcuntur ſcilicet Iſlandi deficiente prima Varietate hactenus dicta *α.*) etiam Varietate *β.*) LINN. Lichenis Iſlandici — foliis tenuioribus et criſpioribus DILL. *Hiſt. muſc. p.* 212. *tab.* 28. *fig.* 112; et Var. *γ.* EJUSD. *tenuiſſimo* LINN. ſ. Lichene aculeato SCHREB. *Spicil. p.* 125. Coralloide tenuiſſimo nigricante DILL. *l. c. p.* 113. *tab.* 17. *fig.* 32.; porro Lichene niuali L. Lichene proboſcideo L. In campis Ruſſiae Aſiaticae auſtralis populi vitam nomadicam degentes Lichene eſculento (PALLAS *Reiſe d. Ruſſl. t.* 3. *p.* 760. *tab. Ii. fig.* 4.) vitam aliis deficientibus ſuſtentant. Et cui non in mentem veniet, Tarandis per longam hiemem primarium pabulum eſſe Lichenem rangiferinum L., quem, exſuccum licet, ingerunt tam ſalubriter, vt inde pingueſcant. Loco tot aliorum, quae annonae charitate infeſtante egeſtati ſubuenire creduntur, maior, quam vulgo fieri ſolet, lichenum ratio merito haberetur.

Videtur cum ſalubritate cibaria lichenis Iſlandici pugnare, quod quidam alui deiectiones inde cieri contendant. Huius effati BORRICHIUS (*l. c.*), quantum ſentio, auctor eſt, qui narrat incolas Islandiae primo vere eundem adhibere ad humores corpo-

corporis noxios euerrendos, vim autem hanc ex-ſpirare ſenſim eo tempore, quo in victum adhibeatur ſ. aeſtiuo. De recente videtur loquutus fuiſſe, adeo de purgante vi conuictus, vt lichenem hunc *Muſcum catharticum* vocauerit. Ita collocavit TH. BARTHOLINUS decoctum aqua factum inter purgantia (*Med. Dan. domeſt.* Locum in libro non in ſerie dicendorum rigoroſo non inueni, ſed HALLERUS bis id citat in *Bibl. bot. vol.* 1. *p.* 506. et *Bibl. pract. vol.* 2. *p.* 658.). LINNEUS (*Fl. Suec. p.* 413.) primum aquam, qua infunditur, reiici iubet, ne aluum moueat. Solent amara in vniuerſum eam blande ſoluere, vt non mirum, ſi id quoque a lichene hoc contingeret. Quod id vero ſub eſu vulgari apud Iſlandos non obſeruetur, vel a praegreſſa decoctione et decantatione aquae vſurpatae deriuari poteſt, vel ab additamento lactis, vel etiam a conſuetudine, ſub qua corpus facile contra vires medicamentoſas obduratur. Non vnice, quantum apparet, tenello et verno licheni haec cathartica vis competit, an fortior ſit in hoc, experimentis nondum conſtitit; nec Iſlandi eo fine vnquam lichene hoc hodie vtuntur. Blandam alui laxationem in ſe expertus eſt cel. HIÄRNE (*l. c.*), quum experimenti cauſa pultem tenuem ingereret.

reret. Nec niſi aequalem aluum et facilem ſub ſub vſu quotidiano Iſlandi ſentiunt (OLAFSEN *l. c. p.* 86.). Sub vſu medico a ſe praecepto in quibusdam aluum duxiſſe monet cl. MYGIND (SCOPOLI *Ann. med. hiſt. nat.* 2. *p.* 112.); id quod ipſemet cognoui. Quod cl. SCHÖNHEYDER (*Collect. Havn. vol.* I. *p.* 129.) apud infantes quosdam, qui antea morbillis laborauerant, poſt hauſtum decoctum diarrhoeam obſeruauerit, poteſt ſyrupo ſcillitico addito forſitan tribui. Contra ea in compeſcendis adeo alui profluuiis hic lichen valet, vt poſtea pluribus indicabitur. Sane non minimum argumentum commendandi eum in morbis hoc eſt, quod aluum non ſiſtit, ſed apertam mollemque ſeruat, qua in re aliis mucilaginoſis, vt Gummi Arabico, radici Salep, quae multis eam obſtipant, haud parum praeferendus.

Ab Iſlandis primam virtutis medicae notitiam profectam eſſe probabile eſt, qui ipſi in phthiſi aliisque quibusdam pectoris morbis lichenem magni faciunt (OLAFSEN *l. c. p.* 86.); ſicuti in Grönlandia Lichen Grönlandicus (*Flor. Dan. faſc.* 8. *p.* 8. *tab.* 466.) edulis multis in haemoptyſi opem fert. BORRICHIUS (*l. c.*) iam ſuo tempore pharmacopolis Danicis notum fuiſſe fatetur. Aliquot annos poſt

ſcilicet

ſcilicet circa a. 1683. cel. HJÄRNE (in *Act. Laborat. chym. tentam.* 6. quod abbreuiatum ſiſtitur in *K. Vet. Acad. Handl.* 1744. *p.* 170. *ſqq.*) in haemoptyſi et phthiſi vlceroſa pulmonum, addidit et ſcorbutum, optimo ſucceſſu tentauit, alioſque ad idem beneficium arripiendum excitauit. Iamque a. 1737. (quo edebatur *Flora Lappon.* vid. *p.* 340.) notauit optimus LINNEUS, qui tantis nixibus applicationi rei herbariae in vitam communem operam dabat, plures phthiſicos iuſculo ex hoc lichene cocto ſe per longum tempus ſuſtentaſſe absque incommodo et fere absque manifeſto laxationis alui effectu. Sed neſcio, quae obliuio vel torpor practicorum mentes tanta annorum intercapedine obſederit, vt medelam morbi, in quo nihil probabilis vſus intentatum relinqui debet, non curarent, forſitan vana purgantis fortioris ignominia abſterriti. Reſuſcitauit tandem memoriam eius meritiſſimus multiplici nomine SCOPOLI (*Ann. hiſt. nat.* 1. 1769. *p.* 112. et *Ann.* 2. *p.* 141.), euulgato tam a cl. MYGIND, quam a ſe ipſo, in morbis quibusdam ſucceſſu notato. Iam vero nemo facile medicorum in noſtra Europa exiſtit, cui non praeſtantiam eius explorandi occaſio ſuppetiiſſet.

Celebrem

Celebrem potiſſimum eum reddidit praeconium in phthiſi eaque pulmonum, nec modo efficaciam ſuam prodit ſub minis variis phthiſeos ſubſequuturae, ſed et vera exſcreatione vel pituitae vberioris vel puris contingente. Phthiſeos quidem origo non ab omnibus medicis, qui caſus peculiares memoriae prodiderunt, declarata exſtat; attamen a non paucis. Aliquando ſputa purulenta haemoptyſeos praegreſſae fuerunt ſequela, attamen omnino ſanata (SCOPOLI *Ann.* I. *p.* 115. 116. PAULIZKY 2. *Samml.* *p.* 104.). Hinc deuicta haemoptyſi ad roborandos pulmones egregie lichen confert, vt vel ipſe aliquoties expertus ſum; imo eadem phthiſin comitante (HERZ *Briefe an Aerzte*, *vol.* 2. *p.* 98.). Quin in haemoptyſi magis ab atonia pulmonum, quam diatheſi inflammatoria (quae ſi praeſto eſt, plethora et febris antiphlogiſticis prius minui debet) dependente, egregius (HERZ *l. c.* CRAMER *p.* 38. *Caſ.* 4. 5.). Aliquando fomes venereus in phthiſi ſubeſt, quo caſu connubium lichenis Iſlandici cum mercurio dulci obicem malo ponit (TODE in *Collect. ſoc. Havn.* *vol.* 1. *p.* 174.): ſaltim ſolatium huius generis phthiſicis lichen affert vitamque prolongat (TROMSDORFF *Diſſ. cit.* *p.* 14.). Quidni vero in qualibet alia acrimonia metaſtatice ad pectus

conuerſa

conuerſa et ad phthiſin vellicante, vt arthritica, ſcorbutica, obtundendo acre et corroborando pulmonum per tuſſim relaxatas fibras, prodeſſet. Ita quae morbillis absque praeuia pulmonum inflammatione ſucceſſit tuſſis cum exſcreatione purulenta et reliquo phthiſicorum ſymptomatum ſatellitio hocce auxilio apud plures infantes deuicta (SCHÖNHEYDER *l. c. p.* 128.). Notiſſima ſunt ſubdola et ſpecie lenitatis fallentia phthiſeos initia, quibus tamen tempeſtiue obuiam ire omni cura ſagacior quilibet enititur. Prodromorum ſignorum conſuetiſſimum, tuſſis pertinacior, et haud raro cauſa antecedens erupturi mali, felici auſu ſaepe lichene hocce tollitur, etiamſi inueterata (SCOPOLI *p.* 116. *ſq. Obſ.* 10. 11. 12. CRAMER *Diſſ. p.* 35. *Caſ. tres*). Conſenſuali aliquando ex ventriculi vitio enaſcitur inquilinum pulmonum; quodſi prius infeſtari arguitur, nonniſi repurgato antea ventriculo ad lichenem cum ſucceſſu proceditur (STOLL *Rat. med. P.* 2. *p.* 324.). Sputa aliquando comitantur tuſſim foetida, viridia et ſubpurulenta, attamen inde conticuit (HERZ *loc. cit. p.* 73. *ſq. Caſ.* 7. 8. 9.). Sic et tuſſim poſt morbillos ſuperſtitem conſopiuit (HERZ *l. c. p.* 79.). Non minus catarrhus inueteratus, qui ſaepe in phthiſin tranſit, eo diſcutitur (TROMS-

DORFF

DORFF *loc. cit. p.* 16. EBELING *l. c. p.* 52.). Phthiſi vlceroſa affectos plures longe lenimen inde et tolerabiliorem vitam lucrari, quam perfectam ſanationem, quis mirabitur? in incipiente plus ab eo auxilii ſperari poteſt (CRAMER *l. c. p.* 39. 42. WENDT *Nachricht v. Erlang. Inſtit. clin.* 5. 6. *p.* 56.). Subinde aegri oſcitantia vel vitium curationem ambiguam reddidit (CRAMER *p.* 47. 49. *Obſ.* 10. PAULIZKY *l. c. p.* 26.). Sed aeque verum eſt, aliquos ſuppuratos liberaliori et protractiori eius vſu omnino ſanari (CRAMER *l. c. p.* 49. *ſq. Obſ.* 11. 12. PAULIZKY *l. c. p.* 26. *ſq.* 28.).

Aſt conſiderandum iam pretium eius ſingulare in phthiſi pituitoſa conſpicuum. Progignitur illa ſubinde ex praegreſſa febre bilioſo pituitoſa, quo caſu lichen hic egregiam opem fert (STOLL *Rat. med. P.* 2. *p.* 301. PAULIZKY 2. *Samml. Caſ. p.* 98.). In vniuerſum laxitati et imbecillitati pulmonum egregie medetur, et inundationi eorum ex ſeroſa colluuie (STOLL *l. c. P.* 1. *p.* 209. PAULIZKY 2. *Samml. p.* 94. et caſus adiecti *p.* 95.). Idem in ſpuria phthiſi, quam ſanat equitatio, vires exercet non mediocres, prout ſaepe pleuritidem aut peripneumoniam ſpuriam ſeroſam et pituitoſam

(STOLL *l. c.*) ſanat, nunquam veram. Culpatur etiam in pleuritide inflammatoria chronica, in qua ſputa cocta non purulenta ſed puriformia reiiciuntur, qualia in catarrho concocto, nempe ex lichene materia in hoc morbo ſcreatu reiicienda ſupprimitur et pectoris moleſtiae augentur (ID. *l. c. p.* 117.). — Depraedicandus praeterea in phthiſi a ſuppreſſione fluxus menſtrui emergente et in ſcorbutica (HERZ *l. c. p.* 98.).

In hisce dictis morbis mitigat tuſſim, reſpirationem liberiorem reddit, lenit febrem, ſputa corrigit, cibi appetitum auget, digeſtionis praeſidia reſtaurat et vires totius corporis erigit, ſudores et diarrhoeam colliquatiuam coërcet; et nutritiis particulis ita corpus replet, vt loco maciei priſtinae pinguem habitum induat. Qui non ſanantur mali vehementia, horum tamen conditionem tolerabiliorem reddit, et vitam protrahit. Tubercula tenacia ſi pulmones obſident, nulla ſpes auxilii a lichene capi poteſt, attamen non nocet (PAULIZKY *l. c. p.* 32. item 2. *Samml. p.* 108.).

Fuit quoque hic lichen in aliis viſcerum exvlcerationibus tentatus, nimirum in vlcere renum (QUARIN *Method. med. inflammat. p.* 209.), item in

vlcere

vlcere vteri (MOHRENHEIM *Beob. chir. Vorſ. vol.* 2. *p.* 132.); ſed hactenus caſibus ſingularibus, nec ſine aliorum iuncto auxilio.

Peculiarem commendationem in diarrhoea meretur. Virtus lichenis hoc in profluuio nec in Iſlandia ignota eſt, nam mulier ibidem diarrhoeae obnoxia quotannis, quum eadem afficeretur, eandem cum euphoria inſtar cibi ingeſſit (OLAFSEN *l. c. p.* 87.). Succeſſit in diarrhoea epidemica, qua infantes corripiebantur, praemiſſa alui purgatione (TROMSDORFF *loc. cit. p.* 17.). Iuuat in diarrhoea diuturna, quae ex relaxatione inteſtinorum proficiſcitur (PAULIZKY *Beobacht.* 2. *Samml. pag.* 94.); etiam aliis fruſtra adhibitis (HOFFM. *Diſſert. de lichen. vſu, Sect.* 1. *p.* 33.).

Dyſenterias quoque compeſcit. Eius rei experimenta capta in dyſenteria epidemica poſt praeuium euacuantium vſum, longeque plus praeſtitit, quam gummi Arabicum (TROMSDORFF *l. c. p.* 17.). Conducit autem in hoc malo, ſiue deiectiones aluinae cruentae ſiue mucoſae tantum exiſtant, vt ſuffecerit euacuatis prius ſordibus lichenem hunc adhibere, miſtum aliquando pro rei conditione mox cum opio mox cum tinctura Rhei (HERZ *l. c.*

a p. 81 *ad* 91.). Adſunt quoque exempla, in dyſenteriis purulentis eum valuiſſe, ſed abſuerunt tum febris hectica et ſigna metaſtaſeos ad pectus (PAULIZKY 2. *Samml. p.* 94.).

Deuictis febribus ad roborandum et reſarciendum corpus ieiunio, euacuantibus et ipſa febris conſumente vi emaciatum, vix aptior, praecipue ſi pulmones laborauerint, videtur alia medela lichene Iſlandico. — Ita in tabe qualicunque ſine febre vel atrophiis plurimum poteſt nutriente et tonica ſua vi (HERZ *l. c. p.* 99.). Veneris igniculos eo ingeſto accenſos in torpidis, bina exempla memorantur (CRAMER *Diſſ. p.* 52.).

Efficacia eius in ſcorbuto (HJÄRNE), rachitide (MYGIND apud SCOPOLI *Ann.* 1. *p.* 113.), diabete (HERZ *l. c. p.* 100. PAULIZKY *l. c.* 2. *Samml. p.* 98.), fracturis (BREYN. in *Miſc. nat. cur. Dec.* 1. *Ann.* 3. *p.* 439.), nondum ſatis confirmata.

Duplici modo aegris vulgo ſolet praecipi lichen Iſlandicus, ſcilicet in decocto, parato vel aqua vel lacte. Lac praeferendum quidam duxerunt, vt amarities nonnihil reconderetur; forſitan et ipſo menſtruo lichenem morbo conſentaneum tanto

magis

magis arbitrati ſunt. Cll. MYGIND, SCOPOLI (*Ann.* 2. *Caſus varii* et *p.* 118.), FRITZE (*Med. Annal. tom.* 1. *p.* 210.) pluresque alii lacte vſi ſunt. Tenacitate vero ſua moleſtum euadit decoctum lacteum, et grauat ventriculum, nec tam facile videtur vaſa lactea tranſire (SAGAR *Syſt. morb. ſymptom. p.* 135.), niſi longior coctio vitetur (PAULIZKY I. *p.* 33.), vel dilutius praebeatur. Placet vncia vna lichenis cum tanta copia lactis cocta, vt in colatura ſuperſint vnciae ſedecim. Aptius decocto aquoſo pauxillum lactis pro corrigendo ſapore adiicitur (WENDT *inſtit. clin.* 5. 6. *p.* 55.), licet et ſit, qui connubium ingratius decocto ſolo aquoſo putet (PAULIZKY I. *p.* 33.). Non diu tamen decoctio cum aqua protrahenda, nam eo perit amarities et vappidum decoctum euadit, et ob abundantiorem, quae tum contingit, mucilaginis euolutionem difficilius in minora vaſa transmeat (QUARIN *Animaduerſ. pract. p.* 82.). Facilius fertur decoctum tenuius e. c. ex lichenis Iſland. vncia vna et aquae vnciis ſedecim, donec remanſerint duodecim, coctis; addita poſt colationem absque violenta expreſſione dulcedine quadam, vt melle, vel ſaccharo, vel ſyrupo quodam, e. c. amygdalino. Si non tam amaritiei, quam mucilaginis ratio habeatur, poſſet dimidia

quantitas lichenis ſufficere, modo expreſſio fortior accedat. Alia formula eſt haec: ex lichenis Iſlandici vncia vna per dimidiam horam cocta in aqua communi, radicis Liquiritiae drachmis tribus per ⅛ horae partem infuſis, quorum colatura vnciarum quatuordecim exhibeatur (QUARIN *loc. cit. p.* 332.). Sapidius quoque redditur decoctum tantillo Succolatae addito (HOFFM. *Diſſert. l. c. p.* 33.). Facile adſueſcunt aegri amaritiei primis diebus ingratae, tanto magis, quum robur ventriculi et totius corporis inde reſtaurari ſentiant; quin placari breui palatum pauxillo ſacchari capto deprehendi. Etiam decoctio lichenis in ſero lactis dulci, in iuſculo pulli gallinacei vel vitulino, non valde ingrata eſt (PAULIZKY 2. *p.* 111.). Saepe per diem vnciam vnam vel ſeſquialteram lichenis conſumere opus eſt. Omni bihorio cyathus vnus vel dimidius decocti lactei vel aquoſi ingeratur. Et continuatio per plures hebdomades vel in inueterato malo menſes requiritur. Sed plerumque breui poſt lenimen ſentitur. Sunt qui pultis inſtar, cum lacte coctae, illum capiunt, et vel ſic, etiamſi alia vomitu reiicerentur, eum probe tulerunt (BERG *M. m. p.* 858.). In puluere captus taedium parit. Raro extractum eius aquoſum aqua ſolutum datur (Vid.

CRAMER

CRAMER *l. c. p.* 41.), quod ventriculo moleſtum pronunciatur (PAULIZKY 2. *p.* 111.); vel et extractum ſpirituoſum (CRAMER *l. c.*). Infuſum non magnam vim poſſidet.

Nimium deſideraretur ab hocce remedio ſi quolibet caſu ab eodem vno ſalus exſpectaretur. Interpolanda contra ea vel miſcenda ſubinde alia efficacia. Commoda reſoluentia ſaepe vna requiruntur. Saepe connubium cum radice Polygalae in phthiſi opportunum (COLLIN *Obſ. circa morbos, P.* 2. *p* 169. STOLL *Rat. med. P.* 2. *p.* 324.). Item multis miſcela lichenis cum cortice Peruuiano proficit (QUARIN *Animadv. pract. p.* 81.). Praefuit aliquando, iungere illum cum herba Hyperici et Tuſſilaginis in decocto aquoſo (FRITZE *l. c.*). In morbo diuturno ſaepe opus eſt, mutare formulas ad taedium ex longo medicaminis vſu fallendum.

Ad hiſtoriam huius lichenis completiorem reddendam addo paucis illo pannum laneum colore profunde luteo tingi, ſi hic fragmentis lichenis conſperſus in cortina ferrea coquitur; Iſlandorum experimento (OLAFSEN *l. c. p.* 87.). Color ruber inde hactenus non potuit parari (CRAMER *p.* 56.); attamen addita ſolutione ſtanni armeniaco

 ceruinus

ceruinus (HOFFM. *Diſſ. cit. p.* 35.). Extractum aquoſum pigmenti bruni non ſpernendi loco ad colorandam chartam rudiorem eſſe poteſt.

563.

Pharm. PVLMONARIAE ARBOREAE ſ. MVSCI PVLMONARII QVERCINI *Herba.*

Lichen pulmonarius; foliaceus laciniatus obtuſus glaber, ſupra lacunoſus ſubtus tomentoſus LINN. *Syſt. veget. p.* 1612. Lichenoides pulmoneum reticulatum vulgare DILL. *Hiſt. muſc. p.* 212. *tab.* 29. *fig.* 113. Pulmonaria reticulata HOFFM. *pl. lichenoſ. vol.* 1. *faſc.* 1. *tab.* 1. *p.* 4. Depicta etiam exſtat in REGNAULT *Botan.* La Pulmonaire de Chêne. Innaſcitur truncis arborum aetate prouectarum inprimis Quercuum et Fagorum. In Sibiria et in Abietibus prouenit (GMELIN *Reiſe durch Sibirien, tom.* 3. *p.* 426.). Qui vulgaris in pharmacopoliis eſt, Quercui inhaereſcere conſueuit, vnde forſitan pars virtutis deriuanda.

Integer lichen vſurpatur. Sapor mucidus ſubadſtringens, et nonnihil acris, maſticatione molleſcens. Sibiricus amarus. Ex lichenis huius vnciis

ciis quatuor extractum aquoſum primum euoluitur quantitate drachmarum ſex cum ſcrupulis duobus, ſubamarum et ſubacre. Ex eodem lichenis pondere autem obtinetur extracti reſinoſi primi, altero paullo magis amari, vncia dimidia (CRAMER *Diſſ. de lichene Island. p.* 10. Conf. et GEORGI in *Act. acad. ſc. Petropol.* 1779. *P.* 2. *p.* 282. *ſqq.* vbi plura experimenta chemica). Coctione emergit iuſculum mucilaginoſum. Mucilaginis plus ineſt licheni Iſlandico, quam huic. Solutio vitrioli martis colore badio vel pallide liuido infuſum eius tingit (CRAMER *l. c. p.* 21.).

Tanta amarities ineſt licheni pulmonario Sibirico, vt condiendae cereuiſiae in patria loco Lupuli inſeruiat (GMELIN *l. c.*). Iam quum praeter amaritiem ſimul mucilaginem complectatur, is ſaltim propius ad Lichenem Iſlandicum L. virtutibus accedere videtur. Noſter omnino tam ob parciorem mucilaginem quam ob amaritiem minus manifeſtam efficacia inferior eſt Iſlandico dicto. Attamen a multis olim ſuppares illi vires tributae, nominatim in pulmonum affectionibus variis, haemoptoë, exulceratione pulmonum, tuſſi ſicca, tabe (MATTHIOLI *Comment. in* DIOSC. ed. C. BAUH. *p.* 732.

CAESALP. *de plant. p.* 602.). Contra tuſſim pecudum vehementiorem ruſtici ſaepe nec ſine ſucceſſu eum adhibent (LINN. *Amoen. acad. vol.* 7. *p.* 383.), praecipue in tuſſi ouium. Forma commodiſſima eſt iſta decocti, ſed placuit et puluis, quo ad drachmam vnam quater de die capto haemoptyſis poſt plethoram imminutam conticuit teſte SCOPOLI (*Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 102.), cui ſaepius profuit. Idem puluis, doſi drachmae vnius in forti infuſione lichenis ſaccharo cando edulcata per duas vel tres hebdomades mane et veſperi captus, pluries tuſſim inueteratam diſſipauit recentiori experimento (WILLEMET *Lichenographie econ. Sect.* 1. *p.* 18.).

In ictero eximiam vim ſaepe exſeruit (LINN. *l. c.* WILLEMET *l. c.*), cuius exemplum notabile exſtitit foeminae per biennium ictericae, ſed decocto eius cum cereuiſia ſecundaria facto ſanatae (BREYN. in *Miſc. nat. curioſ. Dec.* 1. *ann.* 3. *p.* 441.).

Rarior vtique in re medica hodie, quam meretur.

In Angliae ditione Herefordſhire tibialia lanea eius ope tinguntur colore fuſco, idque fit ſolum decoctione eorum lichene farctorum in aqua (DILL. *Hiſt.*

Hiſt. muſc. p. 213.). Alii addunt decocto in hunc finem vitriolum viride; ope autem ligni Campeſcani color brunus, decocto lichenis huius et vitrioli viridis filis laneis impertitus in nigrum mutatur (CARTHEUS. *Wahrnehm. z. Nutz. verſch. Künſte u. Fabr. p.* 98.).

564.

Pharm. MVSCI CVMATILIS *Herba.*

Lichen aphthoſus; coriaceus repens lobatus obtuſus planus, verrucis ſparſis, pelta marginali adſcendente LINN. *Spec. pl. p.* 1616. Lichenoides digitatum laete virens verrucis nigris notatum DILL. *Hiſt. muſc. p.* 207. *tab.* 28. *fig.* 106. Peltigera aphthoſa HOFFM. *pl. lich. vol.* 1. *faſc.* 1. *tab.* 6. *fig.* 1. *p.* 28. Cfr. et icon *Fl. Dan. tab.* 767. *fig.* 1. Alga terreſtris in ſyluis ſterilibus aceroſis habitans.

Hodie vix vllibi pharmacopolium occupat. Ad LINNEI (*Mat. med.*) mentem odor illi teter mephiticus competit. Inſigni vehementia aluum purgat (ID. in *Amoen. acad. vol.* 7. *p.* 384.). Quae vis nominatim infuſo aquoſo adſcribitur (*Fl. Suec. p.* 418.). Decocto eius a vetula per aliquot dies oblato expulſae ſunt vomitione in ancilla ruſtica, torminibus, dolore ventriculi, vomitu rel. excruciata,

ciata, aliquot laruae muſcae tenacis L. (LINN. *Am. acad. vol.* 2. *p.* 62.). Alibi id cum magna vi larvarum phalaenae pinguinalis L. vomitu cum alui purgatione iuncto contigiſſe legitur (*Amoen. ac. vol.* 7. *p.* 304. *Syſt. nat. vol.* 1. *p.* 882.). Nouiſſimis experimentis vis anthelmintica confirmatur, quum pulveris eius grana duodecim veſperi et mane per ſex vel octo dies infantibus exhiberentur, raroque ſpem hic lichen fefellit (WILLEMET *Lichenographie econ. Mem.* 1. *p.* 22.).

Infuſum eius lacte paratum a ruricolis Vplandiae infantibus, qui aphthis laborant, praebetur bono euentu (*Fl. Suec. l. c.*).

565.

Pharm. MVSCI CANINI *Herba* vel LICHEN CINEREVS TERRESTRIS Ph. Edinb. Lond.

Lichen caninus; coriaceus repens lobatus obtuſus planus, ſubtus venoſus villoſus, pelta marginali adſcendente LINN. *Spec. pl. p.* 1616. Lichenoides digitatum cinereum, lactucae foliis ſinuoſis DILL. *Hiſt. muſc. p.* 200. *tab.* 27. *fig.* 102. Depictus praeterea in *Fl. Dan. tab.* 767. *fig.* 2. Terreſtris inter muſcos.

Recens

Recens ſitum redolet, nec exuitur hocce odore etiamſi ſiccatus. Sapor mucidus et leniſſime acris. Extractum aquoſum octauam modo ponderis partem conſtituit, odorem fungoſum ſpirat et fere inſipidum eſt, ad explorationem cl. LEWIS (*M. med. p.* 351.). Sed cl. CARTHEUSER (*Diſſ. de lichene cinereo terreſtri, p.* 8.) dimidium ponderis obtinuit, illudque Vuluariam olens, ſaporis initio dulcis, dein autem amaricantis atque acris, piperis fere in modum. Vterque conuenit in eo, quod ſpirituoſum extractum longe parcius inſit; alter tamen $\frac{1}{37}$ modo totius ponderis computat, et inſipidum fere pronunciat (LEWIS), alter $\frac{1}{12}$, cui ſaporem modice acrem et leniter amaricantem tribuit (CARTHEUSER). Quae fortiori igne euocantur nihil de natura eius illuſtrant, a cl. MEAD (*Oper. medic. ed. Gott. tom.* 2. *p.* 126.) tamen propoſita.

In rabie canina et hydrophobia arcenda inſtar ſpecifici in Anglia olim celebratus. Succeſſiſſe feruntur experimenta in canibus bene multis Ducis Eboracenſis ex alio rabido commorſis (ROBERT MORAY in BIRCH'S *Hiſt. of the R. Society, vol.* 2. *p.*492. et *vol.* 3. *p.* 19.). Sed et tranſiit res ad homines. Ad diiudicandum eius pretium oportuit ſolo hocce

lichene

lichene vti, ſed alia varia ſimul in auxilium capta: quae iuncta vtinam conſtanter opem commorſis ferrent! Placuit connubium huius lichenis cum pipere, pulueris antilyſſi nomine, cuius ab auunculo inuenti vſum cum reliqua curationis ratione GEORGIUS DAMPIER deſcripſit primus, prout in hominibus aeque ac canibus et pecoribus adhibenda eſt, prolixius in litteris ad fratrem GUILIELMUM DAMPIER, nauigatorem celebrem a. 1697. exaratis, (quae inſertae auctoritate cl. HANS SLOANE, tum ſecretarii Soc., exſtant in *Phil. Tranſ. vol.* 20. *p.* 49.). Aequale DAMPIERUS pondus vtriusque adhibuit teſte SLOANEO, doſi integra ſcrupulorum quatuor (*l. c. p.* 52.). MEADII ſuaſu locum obtinuit in *Pharmacopoea Lond. a.* 1721; quin ipſe tantum eius efficaciae tribuit, vt profiteretur publice per plus quam triginta annos millies eo vſum fuiſſe, nec in alio quodam morbo aeque certum remedium ſibi conſtare, modo ante hydrophobiam exhiberetur (*l. c. p.* 119.). An toties ipſe malum ſcrutatus medelam illi attulit? anne potius alii ſaepius euentum fauſtum illi narrauerunt? an contra numerum aegrorum certum pro incerto ad practicorum bene multorum non ſatis laudabilem morem, ſignificauit? nonne ſubinde vulnus veneno

caruit,

caruit, quod pro venenato habitum fuit? nonne ſubinde ſociata plurium adminiſtratio praeſtitit, quod puluis antilyſſus ſolus praeſtare non valuit? Id ſaltim concludi ex eius effato poterit, pluries voto ſuo illum reſpondiſſe. Iſte curam aliquando vulneris habuit, illud apertum diu ſeruando mercurio praecipitato rubro cum vnguento Baſilici mixto, aliquando illam neglexit, non opus eſſe eiusmodi ſeueritate arbitratus. Vena in brachio ſecta puluerem adminiſtrauit ex drachma vna lichenis huius et drachma dimidia piperis nigri quatuor continuis diebus mane cum dimidia menſura lactis vaccini. Adiunxit balneum frigidum fontis vel fluuii omni mane per menſem, dein per alios quatuordecim dies ter quauis hebdomade. Pellendo lotium praecipue vim ſuam exercere iudicauit. En eiusdem methodum; de cuius praeſtantia ciuium eiusdem ſententia valde variat. JO. FULLER ſubſcribit liberaliter pulueris efficaciae ex propria aliorumque experientia (*Phil. Tranſ. vol.* 4. *p.* 272.). Multos fruſtra eundem ingeſſiſſe queritur cl. JAMES (*Treatiſe on canine madneſſ, p.* 227.), alios tamen ſibi obuios recuperaſſe inde ſalutem aſſerit, ita vt inconſtantiae tantummodo eum arguat. Multum quoque tribuit illi cl. LAYARD (*on*

the

the Bite of a mad dog, p. 73. ſq.), ſed ſi in hiſtorias concinnatas inquiras, alia commoda non fuiſſe excluſa deprehendes. Fauet illi caſus, a cl. BÖNNECKEN (in *Fränk. Samml. vol.* I. *p.* 494.) de infante in manu commorſo recenſitus. Item in quinque hominibus ſe tentaſſe ex voto exponit puluerem doſi ſcrupulorum quatuor cl. WILLEMET (*Lichenogr. p.* 24.). Aſt aduerſatur praeconio puer, qui per quadraginta dies mane et veſperi pulueris drachmam ingeſſerat, et decies maris balneo ſeſe immerſerat, ſed nihilominus tamen poſt novendecim menſes hydrophobus periit (*Med. Eſſays of Edinb. tom.* 5. *P.* 2. *p.* 984.) Ita deſtituit WERLHOFIUM (WICHMANN *Diſſ. de venenis, p.* 33.) euentus, licet, vt facile a tanto viro praeſumi poteſt, ſollertiae nihil abſfuerit. Et in Anglia iam fere omnem fidem hoc remedium amiſit (*Chirurg Pharmacy, p.* 86. 165.).

Omiſſus igitur PULVIS ANTILYSSUS ex nouiſſimis Pharmacopoeis Britannicis, qui olim *Ph. Lond. p.* 86. et *Ph. Edinb. p.* 71. locum obtinuerat. Memoriam rei adhuc ſeruat *Ph. Wurt. p.* 145.

566.

Pharm. MVSCI PYXIDATI *Herba.*

Lichen cocciferus; ſcyphifer ſimplex integerrimus, ſtipite cylindrico, tuberculis coccineis LINN. *Spec. pl. p.* 1618. Coralloides ſcyphiforme tuberculis coccineis JO. JAC. DILLEN. *Hiſt. muſc. p.* 82. *tab.* 14. *fig.* 7. JO. BAPT. JOS. DILLEN. *Diſſert. de lichene pyxid. fig.* 3. In ſyluis ſterilibus et in truncis putreſcentibus arborum.

Lichen pyxidatus; a. *ſimplex* WEISS *Pl. crypt. Gott. p.* 84. Lichen coralloides caule ſimplici pyxidato nudo, marginibus integerrimis SCOP. *Flor. Carn. p.* 86. *n.* 5. A LINNEO non notatus. Icon: JO. BAPT. JOS. DILL. *Diſſert. de lich. pyxid. fig.* 1. (in qua tamen margo non integerrimus, ſed crenulatus). Statio eadem.

Lichen pyxidatus; ſcyphifer ſimplex crenulatus tuberculis fuſcis LINN. *Spec. pl. p.* 1619. Lichen pyxidatus b. *tuberculatus* WEISS *l. c. p.* 83. Coralloides ſcyphiforme, tuberculis fuſcis DILL. *Hiſt. muſc. p.* 79. *tab.* 14. *fig.* 6. Statio eadem.

Auctore LINNEO (*Mat. med.*) priorem ſpeciem praepoſui. Alii officinis deſtinant reliquas. Eſt

qui Licheni fimbriato L. (DILL. *Hiſt. muſc. pag.* 84. *tab.* 14. *fig.* 8. 9. JO. BAPT. JOS. DILL. *Diſſert. de lich. pyxid. fig.* 2.) virtutem medicam praecipue tribui narrat (VOGLER *Diſſ. de muſc. et alg. p.* 31.), neſcio, qua auctoritate. Tanta inter hosce et reliquos lichenes ſcyphiferos affinitas obtinet, vt pro varietatibus quidam habuerint, quos DILLENIUS et LINNEUS ſpecies faciunt, quin in vno eodemque indiuiduo formae ſcyphorum obſeruatae, alias diuerſis ſpeciebus tribui ſolitae (HAGEN *Hiſt. lich. p.* 115.). Tanto igitur minus vitium committi poteſt ſubſtituendo alterum alteri dictorum lichenum pro vſu.

Titubantem Muſci pyxidati officinarum in medicina famam ſuſtinent noua aliquot experimenta; vnde non dubito eius in hoc medicaminum recenſu mentionem facere. Sub HERBA praeter ſcyphos, floris vices agentes, intelliguntur foliola ſuberecta approximata glauco viridia ſpeciem ceſpitis formantia.

Sapor initio herbaceus, dein manifeſte amarus, odor aliquantum ingratus. Silentio tranſiens quae deſtillatione ſicca elicita (JO. BAPT. JOS. DILL. *Diſſert. cit. p.* 24.), commemoro modo, aquam deſtillatam ingratum odorem inſtar lichenis ipſius prae ſe ferre,

ſaporem

ſaporem autem amaricantem; decoctum mucilaginem deiicere ſaporis amareſcentis (*l. c.*), lichenis pyxidati vncias quatuor extracti aquoſi primi largiri drachmas tres; tincturam ſpirituoſam eſſe valde amaram; ex vnciis lichenis quatuor extracti ſpirituoſi pr. modo drachmam vnam emergere; vncias lichenis quatuor largiri cinerum vnciam dimidiam cum drachmis duabus; vitrioli martis ſolutione infuſum eius fuſcari; adſtrictionis vim in carnem exſerere cortice Salicis efficaciorem, ſed debiliorem Thea bohea *Diſſ. cit.*). Mucilagine, quae ineſt, nutriendi vim, et amaritie et adſtrictione roborandi efficaciam exſerere, facile ex dictis cognoſcitur.

Aſt in tuſſi conuulſiua ſpecificam aliquam poteſtatem exercere, nonniſi practicis experimentis euinci poteſt. In Anglia primum hocce nomine inclaruit. WILLISII (*de medicamentor. operationibus, p.* 62.) tempore familiare in dicto morbo ibidem remedium fuit. Commendat illum ipſe in puluere, ita vt muſci pyxidati drachma vna cum ſacchari ſcrupulo vno mixta bis de die caperetur, item decoctum eius vel lacte vel aqua factum ad drachmam vnam pro vna doſi; ſyrupum quoque depraedicat ex decocto eius ſaturato paratum. Quibus-

dam cereuiſia tenuis pro menſtruo placuit ſicque vel alio vehiculo catarrhum pertinacem leniri vel ſanari legitur (RAII *Hiſt. pl. tom.* 1. *p.* 113.). HUXHAMUS (*Oper. ed.* REICHEL. *vol.* 1. *p.* 100.) vero, ſi quid valeat, id praeſtare arbitratur vi adſtringente adeoque corroborante, qua in re cum WILLISII iudicio congruit. Non plane ſpernit vim ſpecificam in tuſſi conuulſiua cl. THEOD. FORBES (*Diſſ. de tuſſi conuulſ. Edinb.* 1755. in *Gött. Anz.* 1756. *p.* 31.). Noſtro vero tempore praeprimis in experimentis de hac virtute capiendis ſollers cl. VAN WOENSEL fuit, cuius curae Petropoli quadraginta pueri quinque vel ſeptem annorum commiſſi erant, tuſſi convulſiua dira correpti; iſte reliquis fruſtra tentatis decoctum lichenis huius ſyrupo Menthae mixtum doſi duarum vnciarum exhibuit. Mitius affecti intra hebdomadem, grauius nonniſi poſt duas hebdomades conualuerunt; nec niſi vnus tabe periit (*Hiſt. de la Soc. R. de Medecine*, *vol.* 2. *pag* 295.). Pari fortuna foemina honoratior, tuſſi ſicca cum pituitoſo ſcreatu diu tentata, lichenem ingeſſit (*l. c.*). Moguntiae decoctum eius tam cl. JO. BAPT. JOS. DILLENIUS quam ill. STRACK in tuſſi pertinaci phthiſique egregio ſucceſſu exhibuerunt, de quo hiſtoriae per partes enucleatae exſtant (DILL. *Diſſ. cit.*

Caſ.

Caſ. 1–4. *p.* 39. *ſq.*). Quindecim vltraque caſibus laetatur cl. WILLEMET (*Lichenographie Mem.* 1. *p.* 27.), ſe decocto, edulcato Eryſimi ſyrupo, et ad tres vncias dato, tuſſim inueteratam ſedaſſe, qui et in tuſſi hyſterica laudat. — En igitur vires iſtis lichenis Iſlandici analogas.

567.

Pharm. ROCCELLAE *Herba.*

Lichen Roccella; fruticuloſus ſolidus aphyllus ſubramoſus, tuberculis alternis LINN. *Spec. pl. p.* 1622. Fucus marinus Roccella tinctorum C. B. Coralloides corniculatum faſciculare tinctorium fuci teretis facie DILL. *Hiſt. muſc. p.* 120. *tab.* 17. *fig.* 39. Alia imago: REGNAULT *Botan.* Orſeille, in eadem tabula, quae repraeſentat La Coralline de Corſe, *d. e.* Innaſcitur copioſiſſime rupibus inſularum quarundam Archipelagi (TOURN. *Voyage du Levant, vol.* 1. *p.* 89.), cui dicitur Lichen Graecus Polypoides tinctorius; item inſularum Africae nonullarum occidentalium, praecipue Canariarum et Capitis viridis. Creſcit et in inſula Magdalaenae, Senegaliae proxima, in littore Mauritaniae, Sicilia, inſula Elba.

Vt fidem ſupra (*Vol.* 4. *p.* 144.) datam liberem, quaedam de hoc lichene ſubiungere oportet ob colorem coeruleum, Lacmus, et medicis notatu digniſſimo. Ποντιον φυκος THEOPHRASTI (*Hiſt. plant. lib.* 4. *c.* 7. *ed.* STAPEL. *p.* 403.), Φυκος θαλασσιον DIOSCORIDIS (*lib.* 4. *c.* 95.), Phycos thalaſſion PLINII (*Lib.* 26. *c.* 10. *L.* 32. *c.* 27.). Saepe huic Lichen fuciformis LINN., praecipue in Canariis reperiundus admiſcetur (DILL. *l. c. pag.* 169.). Non latuit veteres vſus tinctorius, in commune autem commodum in Europa, quantum apparet, modo Florentinorum ſollertia ineunte ſeculo decimo quarto tractus, poſtquam eius primam cognitionem vna cum lichene ipſo ex Oriente hauſerant. Dein detectis inſulis Canariis commodius viſum, ex iſtis Roccellam petere. In iis, qui poteſtati regis Hiſpaniae ſubſunt, ad reditus regios pertinet. Item hodie largus eius commeatus ex inſulis Capitis viridis fit. Mercatores tamen nec hodie omnino negligunt alias terras, in quibus prouenire ſupra indicaui. Tinctores lichenem non integrum coëmunt, ſed in paſtam ſubactum (Orſeille en pate Gallis), quae ſi ſicca eſt terram obſcure violaceam refert, ſparſim maculis albidis diſtinctam. Quomodo haec paſta paretur, IMPE-

RATI

RATI (*Hiſt. nat. lib.* 27. *cap.* 9.) et MICHELI (*Nov. plant. gen. p.* 78.) indicarunt, ſcilicet maceratione pulueris Roccellae in lotio, addita Soda. Hac tinctura ſericum et lana imbuuntur ad colorem purpureum obtinendum. Sed et alii praeparationis modi exſtant (Conf. WILLEMET *Lichenograph. econ. p.* 31.).

Quae de praeparatione pigmenti coerulei Lacmus ope huius lichenis innotuerunt, ſupra iam (*Appar. med. vol.* 4. *p.* 144.) expoſui.

568.

Pharm. MVSCI ARBOREI *Herba.*

Lichen plicatus; filamentoſus pendulus ramis implexis, ſcutellis radiatis LINN. *Spec. pl. p.* 1622. Muſcus arboreus, Vſnea officinarum C. B. Vſnea vulgaris loris longis implexis DILL. *Hiſt. muſc. p.* 56. *tab.* 11. *fig.* 1. Dependet ex arboribus ſyluarum denſiorum, praeſertim fagetorum ramis.

Poſſet ſine magno damno ex recenſu hocce abeſſe, nam exoleuit omnino, nec tanti ſunt, quae praeſtare illum hactenus conſtitit. Lappones partibus longo itinere pedeſtri excoriatis eum imponunt (LINN. *Fl. Lapp. p.* 348.). Sic haemorrhagias externas ſiſti puluere inſperſo legimus; vix crediderim alias quam leuiores, adiuncta compresſione. Exſiccante et leuiter adſtringente vi videtur ſuppetias haſce ferre. Pulueri cyprio praeterea idoneus habitus.

F V C V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 811. *Gen. pl. p.* 567.

569.

Pharm. QVERCVS MARINA.

Fucus veſiculoſus; fronde plana dichotoma coſtata integerrima, veſiculis axillaribus geminis, terminalibus tuberculatis LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 966. GMELIN *Hiſt. fuc. p.* 60. Fucus marinus ſ. Quercus maritima veſiculas habens C. B. Fucus quercus marina dictus BASTERI *Opuſc. ſubſec. tom.* 2. *tab.* 11. *fig.* 1. 2. Depictus etiam cernitur in cl. RUSSELL *de tabe glandulari Diſſert. tab.* 7. *fig.* 1. Ad littora Balthici maris et Oceani creberrimus, vbi rupibus adhaeret, item lapidibus, qui, dum fucum hunc alioſque ibidem reperiundos vndae alluunt, repetitis continuo agitationibus ſenſim ſenſimque ad littora appelluntur et fundi maris profunditatem in detrimentum nauium et munimentorum imminuunt.

In locis maritimis fimum ad ſtercorandos agros impertit haud ſpernendum, dum in aceruos collectus computruit (LINN. *öländska och Gothländska Reſa, p.* 95. 201. *Skånska Reſa, p.* 320.). Tegun-

tur eo tuguria, vbi loci opportunitas id concedit, et cum argilla compactus iſti maiorem tenacitatem in parietum vſum conciliat, ita cunis in vices ſtraminis immittitur et coaceruatim congeſtus ſepimenti inſtar eſt (EJUSD. *öl. och Gothl. Reſa, p.* 69. *Skånska Reſa, p.* 211.). Siccatus pro ligno comburitur, ſed foetore valde moleſtus eſt (EJUSD. *Sk. Reſa, p.* 216.). Adſperſa farina ſuum pabulum conſtituit (KALM in LINN. *Fl. Suec. p.* 430.). Aliud commodum oeconomicum alibi iam commemoraui (*Appar. med. vol.* 4. *p.* 287.), nempe ſpeciem Sodae a Gallis Soude de Varech, ab Anglis Kelp, dictum, inde parari: ſed ſimul monui (*l. c. p.* 293.), non carere illam ſuis vitiis.

Decocto huius fuci aqua facto vtuntur Kamſchadalenſes in diarrhoea (STELLER *Beſchreibung von Kamſchatka, p.* 95.). Id quod vero illum celebrem in re medica reddidit eſt confirmata a pluribus, in glandularum obſtructione chronica reſeranda, efficacia. Quam ipſam primum explorauit cl. RICHARDUS RUSSELL (Vid. *Appendix de Quercu marina* in EJUSD. libro *de tabe glandularum.*). Circa aequinoctium vernum veſiculae, quibus hic fucus diſtinguitur, turgeſcunt humore quodam ſaponaceo,

qui

qui poſtea pedetentim ad Julium vsque menſem ſpiſſeſcit, donec veſiculae crepent (*l. c. p.* 151.). Liquor iſte recens manibus illitus cutem detergit laeuemque et mollem reddit. In foetorem vero mora tranſiens palmam ſenſu pungente ſtimulat, digitorum extrema corrugat, et tumorem glandularum diſcutit ſub eiusdem declinatione. Violarum colorem tum in viridem conuertit. Euaporatione eius facta ſal acre pungens emergit. Facilius colligitur liquor iſte veſiculis dictis in aqua marina ſeruatis. Harum liquore ſuo repletarum librae duae cum aquae marinae libris duabus per dies decem vel duodecim repoſitae, donec liquor mellis ſpiſſitudinem induat, poſt colationem offerunt liquorem, quo bis vel ter quotidie tumores vtiliter fricantur, in declinatione praecipue, vnde durities diſcutitur (RUSSELL *l. c. p.* 74.). Ipſe fucus recens auulſus prodeſt morbo decreſcente, dum tumores eo perfricantur (RUSS. *l. c. p.* 151-156.).

Praecipue autem ad medicam ſuppellectilem pertinet fucus in cinerem nigerrimum calcinatus, qui nomine AETHIOPIS VEGETABILIS ore capitur, et viribus ſpongiam iſtam aemulatur, quin huic antecellere longe creditur (RUSS. *loc. cit. p.* 152.),

cuius

cuius et extra loca mari vicina adhibendi opportunitas.

Paucis modo partes analyſi chemica eruendas declarat cl. RUSSELL nempe hisce verbis: continere ſtirpem in cineres reductam ſalem marinum bituminoſum vſtum, ſalem alcalinum ſulphureum cum natiuo ſuo poſt aquam igne deſiccatam ſapone. Exactius et genio ſeculi accommodatius enuclearunt abditas partes alii quidam recentiores (DELIUS in *Diſſ. de Aethiope vegetabili* reſp. MEIER, *Erlangae* 1774. *p.* 9. *ſqq.* MODELIUS in GMELIN *Hiſt. fucor. p.* 45. *ſqq.* MACQUER et POULLETIER DE LA SALLE in *Diction. de chem. tom.* 2. *p.* 534.). Itaque fuci huius (Vid. DELIUS *l. c.*) vncia vna Aethiopis grana nonaginta dedit. Sapor eius ſubſalſus et ſulphureus ad eum accedens, quem hepar ſulphuris edit. Magnes plures particulas attrahit. Ex drachma vna aethiopis grana viginti duo ſalis elixiuatione cum aqua eruuntur. Hoc ipſum plurimam partem conſtat ex acido ſalis marini copulato cum terra ſelenitica (ſ. alumine muriatico GAUBII), cui accedit ſal marinum ipſum et parca quantitas ſalis mirabilis Glauberi. Vt igitur in aethiope vegetabili omnia ea ſalia deliteſcant, quae GAUBIUS in ſcrutinio aquae marinae detexit. Carbo vero huius

ſtirpis

ſtirpis ope ſalis praecipue Glauberi et ſelenitici ſpeciem hepatis ſulphuris conſtituit. Ex aqua marina, cui nutrimentum ſuum hic fucus debet, hasce partes praecipuam originem traxiſſe haud aegre cognoſcitur. Hinc et alii fuci ſuppares efficacia videntur eſſe. In comparatione tamen Spongiae vſtae cum aethiope vegetabili varium diſcrimen obtinet (DELII *Diſſ. cit. p.* 18.

Taedet ſubtilius ex hisce vim huius fuci in corpus humanum explicare, lucem tamen non obſcuram haec analyſis accendit virtutis reſoluentis glandularum infarctus, diureticae, nec ob veſtigia ferri latentis tonica virtus deeſſe omnino poteſt.

Data huius aethiopis drachma vna in puluere. Doſi larga nauſeam ciet (RUSS. *l. c. p.* 152.). In caſibus a cl. RUSSELL per partes expoſitis crebrius memoratur externa fuci adminiſtratio, de qua ſupra dixi, quam interna. Dum vero in formulis comparet, miror, quod alia multa addiderit, vt flores ſulphuris, aethiopem mineralem, os ſepiae vſtum, vel ſubiunxerit nominatim aquam marinam, vnde meritum eius ſingulare dubium euadit. — Cl. BASTER (*Opuſc. ſubſeciv. tom.* 2. *p.* 121. *ſqq.*) vero ſe ſaepius profitetur effectum ex hoc fuco ſalutarem

in

in ſcrophuloſis morbis vna cum cll. GAUBIO et VAN VISVLIAT expertum eſſe, et eum in finem miſcelam ex aquae marinae vnciis viginti quinque, ſalis Quercus marinae vncia dimidia et ſyrupi cuiusdam (e. c. Violar.) vnciis tribus adornaſſe, cuius vnciae tres vel quatuor ter vel quater de die vacuo ſtomacho ſumtae; impoſito ſimul Emplaſtro de Labdano vel ſimili, cui quarta pars huius ſalis admixta fuerat. Sic et in Belgio a celebri medico deglutitio difficilis ab intumeſcentia et induratione glandularum oeſophago vicinarum aethiopis vegetabilis ope deuicta fuit (VAN GEUNS in *Verhandel. door de Holl. Maatſchappye de Weetenſ. te Harlem XI. Deel, vol.* II. *p.* 170.).

Depraedicatur inſuper vt dentifricius ad detergendas dentium ſordes et corrigendam gingivarum in ſcorbuto laxitatem (RUSS. *l. c. p.* 153.).

570.

Pharm. HELMINTHOCHORTON ſ. CONFERVA HELMINTHOCHORTOS ſiue CORALLINA CORSICANA ſ. CORALLINA RVBRA ſ. CORALLINA MELITOCORTON Ph. Genev. item LEMITHOCHORTON ſed perperam.

Fucus Helminthochorton; DE LA TOURRETTE in *Journ. de Phyſique* 1782. *Sept. cum tab.* 1. *fig.* 1-10. Ob compagem cartilaginoſam et cognationem cum reliquis variis fucis, qui veſicis deſtituuntur, fucis potius quam conferuis accenſendum arbitror. Eſt Corallina minima bifida ſ. Muſcus coralloides bifidus BARREL. *Plantae per Galliam Hiſp. et Ital. obſerv. p.* 120. *tab.* 1276. *n.* 3. Lemithochorton vel Coralline de Corſe *Gazette de Santé* 1777. *p.* 20. *n.* 5. *tab.* 2. (DE LA TOURRETTE). Conferua helminthochortos; dichotoma vncialis, rufeſcens, ramis horizontalibus SCHWENDIMANN *Diſſ. Helminthochorti Hiſtoria natura atque vires, Argent.* 1780. *p.* 9. Praeterquam dictis locis depicta quoque haecce alga exſtat in REGNAULT *Botan.* ſub nomine La Coralline de Corſe *a. b.* Patria huic hactenus vnice Corſica aſſignata fuit, vbi

vbi rupibus mari inundatis item aliquando lapidibus et conchyliis in littus coniectis innaſcitur.

Eſt alga pollicaris circiter, conſtans ex fibris multis tenacibus, ceſpites ſ. faſciculos formantibus, luteo rufis vel fuſcis, intricatis ramoſis, ramis baſi horizontalibus, ſuperne erectis ſubulatis, apice bifidis vel trifidis, in diuaricatione nodoſis. Non facile poteſt confundi cum Corallina officinali L. ſ. Muſco corallino officin., a qua vt et nomine diſtingueretur, praeſens haecce Corallina rubra dicta fuit, voce Corallinae albae alteri ſeruata. Quae ipſa altior craſſior, ſubbipinnata, fragilis, articulata et alba, ſub dentibus ſtridorem excitat, infra in animalium recenſu curatius perpendenda.

Quod transfertur Helminthochorton modice tenax eſt, odoris ingrati, vt ſtirpium marinarum, ſaporis manifeſtius ſalſi. Adhaerent illi ſaepe fragmenta Madreporarum, conchylia exigua vel eius particulae, arena et ſimilia heterogenea, quae ſaepe vix ſeparari poſſunt, antequam in vſum vertitur. Aquae immerſum partes implexas explicat et nonnihil intumeſcit, et ſenſim colore rufo exuitur. Iniectum carbonibus candentibus ſtrepitum excitat leuem cum odore vegetabili.

Infu-

Infuſione cum aqua non ſolum ſal, ſed mucilaginis multum eruitur (SCHWENDIMANN *l. c. p.* 11. HAPP *Diſſ. verm. inteſt. hom. hiſtoria, p.* 47.). Eſt, qui nullum aliud ſal, quam marinum illi ineſſe agnoſcit (HAPP *l. c. p.* 47.). Addit vero alius maiori ſalis communis copiae ſal Glauberi, ſeleniten atque alcali foſſile cum non parca terrae inertis portione (SCHWENDIMANN *l. c. p.* 13.). Fuci huius vnciae duae exhibent extracti aquoſi primi drachmas quatuor cum dimidia, badii coloris inodori ſalſi et extracti reſinoſi ſecundarii vix grana ſex. Ex eodem fuci pondere nonniſi extracti reſinoſi pr. grana quindecim elicita (IDEM *p.* 13. *ſqq.*). Mirum, quod cl. HAPP (*l. c. p.* 47.) nihil reſinoſi detexerit. Infuſa aquoſa inſpiſſatione valde mucilaginoſa apparent. Deſtillata inde aqua tam odoris quam saporis expers eſt, reſiduum liquidum euaporatum gelatinam flaueſcentem offert (HAPP *l. c. p.* 47.).

Et haec quidem ſtirps noſtro tantum tempore extra Corſicam celebrata fuit, licet pluribus ſeculis antea incolis inſulae contra vermes inteſtinales vſu venerit. Etenim expugnata armis Gallorum inſula in noſocomiis militaribus a. 1775. tentata fuit. Famam dein eius auxerunt cl. STEFANOPOLI, natione

Graecus, noſocomii militaris, quod Ajacii Corſicae fuit, Chirurgus, atque cl. FLEURY, pharmacopola eiusdem noſocomii, ſcriptione, et venditione eius per omnem Corſicam facta. Vnde in Gallia annis ſubſequentibus hinc inde experimenta capta, quorum ſucceſſum perſequuntur recenſus quidam de rebus medicis ibidem edi ſoliti (*Gazette de Santé* 1777 *ad* 1779. Vid. *loca citt.* a cl. SCHWENDIMANN, *p.* 4. *ſqq.* nam ipſi mihi hi non ſuppetunt. Cfr. DE LA TOURRETTE *l. c. p.* 1.), aliaeque ſcriptiunculae (quarum mihi copia non facta eſt, memoratae a cl. SCHWENDIMANN) haud ſine teſtimonio honorifico. Acceſſerunt dein plura ab Argentoratenſibus medicis cll. LOBSTEIN, JO. JAC. SPIELMANN, EHRMANN, SCHWENDIMANN (*l. c.*) et a cl. GYSER, medico Pforzheimenſi (SCHWENDIMANN *loc. cit. p.* 18.), ſuſcepta. Nec alibi in Germania ſeſe ſubtraxit omnino practicorum attentioni, quemadmodum publice de hac enunciata, quibus vnice inhaereo, declarant: provt et in pharmacopoliis lautius inſtructis hodie praeſto eſt (V. BALDING. *n. Magaz. für Aerzte, vol.* 6. *P.* 2. *vol.* 7. *P.* 1.).

Praemonendum ante omnia, lumbricis praecipue aduerſum eſſe, nec niſi raro in taenias (DE

LA

LA TOURRETTE *l. c. p.* 1.) et aſcarides vim exſerere. Seceſſit tamen caſu quodam vna cum lumbricis copia vermium cucurbitinorum, ſed remanente dolore circa praecordia, taeniae imputato (SCHWENDIMANN *loc. cit. p.* 26. *Obſ.* 2.), etiamſi dupla doſi exhiberetur. Item ex puero trienni lego ingentem copiam aſcaridum vna cum lumbricis expulſam (GYSER in *Diſſ. cit. p.* 23. *Obſ.* 2.). Lumbrici vero magna ſubinde caterua eius ope eiecti, celerque eius vis eſt, vt iam intra nychthemerum primum poſt praebia bina vel terna viui plerumque eliminentur et continuatione eius facta copia ſaburrae euerratur. Infantili aeque ac adultae aetati accommodata medela eſt. Et ſufficit ſub variis morborum laruis, quas induere ſolet verminoſa iſta labes; quorſum ſpectant caſus bini pleuritidis (SUMEIRE in *Journ. de Medec. tom.* 52. *p.* 331. *ſqq.*), colicae (*l. c. p.* 336.) et epilepſiae verminoſae (SCHWENDIMANN *p.* 5. ex *Gaz. de Santé.*). Septemque adeo eorundem parentum liberi hiſce hoſtibus erepti fuere, materque ſimul, etiamſi grauida, vim ſalutarem inde experta eſt (SCHWEND. *l. c. p.* 27.). Nec diſplicet ſapor odorue, vt multorum aliorum anthelminticorum, quae eo faſtidium pariunt, quin varia pro lubitu aegri forma

abſque iactura virium exhiberi poteſt. In doſi non facile peccari poteſt, quoniam etiam ſolito maior non nocet.

Capi poteſt in puluere cum aqua, lacte, ſyrupo quodam, vel miſceri melle ſiue butyro ſicque pani illitum ingeri, qui modus ad fallendos infantes non omnino ſpernendus eſt, magisque mihi placet, quam ars, qua intra placentulas, bellaria, rotulas, trochiſcos absque neceſſitate (Conf. exempla in *Gazette de Santé* 1777. *n.* 26.) abditur. Infanti quarto anno minori aſſignantur grana duodecim ad triginta ſex; ab hoc anno ad decimum ſcrupuli duo ad drachmam integram exhibentur; maioribus natu drachma dimidia ad duas vsque conducit (SCHWENDIMANN *loc. cit. pag.* 34.). Commodum eſt in electuarii formam ope mellis redactum. Sed vulgo ſubſtituitur infuſum vel decoctum, aqua paratum, ita vt iſtud maiorem, hoc minorem Helminthochorti quantitatem ſibi vindicet. Nempe coctio plus ſalis euoluit. Solent quoque Galli plerumque decocto vti; e. c. ſic: Helminthochorti ℥ß coqu. c. aquae font. ℥vj Colat. c. expreſſione ℥iv add. Mell. deſpum. ℥j, vel Sacchari q. ſ.; pro doſi eſto decocti vncia vna. Infuſum fieri

fieri poteſt cum aqua feruente, digeſtione per aliquod tempus protracta, poſt colationem lacte et ſi placet ſaccharo miſcendum, vel ſolo melle vel ſyrupo edulcandum. Delicatioribus profuit decoctum inſtar clyſmatis adhibere (MARTIN *Recueil de differens remedes, p.* 5. apud SCHWENDIMANN *p.* 35. *Journ. encyclopedique, tom.* 8. *P.* 1. *p.* 510.). Sufficiunt plerumque praebia tria quantitatis dictae Helminthochorti, aliquando plura requiruntur. Tempus illud capiendi commodiſſimum matutinum eſt, aliquando veſpertinum iungitur. Connubium cum purgantibus efficaciam auget, cuius exempla varia quoque propoſuit cl. JADELOT (*Pharmacopoe des Pauvres, p.* 47. *form.* 1 *et* 2. *p.* 151. *bol. vermifug.*).

Nolo in coniecturas memet dimittere, quibusnam viribus vermibus infeſtum ſit. Salina, et ipſam aquam marinam, multum in hosce alias valere quidem nouimus, ſed vix niſi maiori copia vel diu continuata ingerantur. An mucilago in hoc fuco admixta efficit, vt ſalinus ſtimulus tanto tenacius ſeſe vermium ſenſili corpori adfigat?

Nimium omnino eſt, Helminthochorto palmam in fugandis lumbricis tribuere. Nempe manifeſte ſubinde in vno eodemque aegro alia effi-

cacia eminuerunt (BEHRENDS in BALDING. *n. Magaz. vol.* 7. *P.* 1.). Sufficit dignum eſſe, vt in ſuppellectilem medicam recipiatur, quum vitiis aliorum bene multorum vermifugorum careat.

SYRUPUS MELITOCORTI *Ph. Genev. p.* 91. adhuc notandus eſt ex Helminthochorto, ſaccharo albo, aqua fontana paratus, qui ad ſpiſſitudinem denſam coctus et refrigeratus in gelatinam coagulatur.

CONFERVA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 818. *Gen. pl. p.* 567.

571.

Pharm. CONFERVA RIVVLARIS.

Conferua riuularis; filamentis ſimpliciſſimis aequalibus longiſſimis LINN. *Spec. plant. p.* 1633. Conferua fluuiatilis ſericea vulgaris et fluitans DILL. *Hiſt. muſc. p.* 12. *tab.* 2. *fig.* 1. Depicta quoque in *Fl. Dan. tab.* 881. vbi binae figurae microſcopio auctam eam repraeſentant, item in INGENHOUSZ *verm. Schriften phyſ.-med. Inhalts von* MOLITOR *vol.* 2. *tab.* 2. *fig.* 12. quae pariter lente amplia-

ampliatam eam ſiſtit. In riuulis pacatioribus et ſtagnis.

Quod praeter conſuetudinem hanc ſtirpem inter medicamina recipiam, non ideo fit, quod PLINIUS (*Lib.* 27. *cap.* 9. ad fin.) eam extus applicatam, et quoties marceſceret, aqua humectatam vltra modum laudat, tanquam remedium ad conferruminanda oſſa confracta idoneum: ad plurimorum enim mentem haec ipſa Conferua PLINII exiſtimatur. Sed recentiori tempore idonea habita ad conclauia aëre puro ſ. dephlogiſticato replenda.

Articulata ſub microſcopio comparent filamenta iſta, pellucida, caua, et copia exiguorum rotundorum et ouatorum corpuſculorum repleta, quae materie viſcoſa magis vel minus viridi irretita ſunt; fila ſi diſſecantur, corpuſcula dicta ex extremis diuiſis erumpunt, viſcoſa materie adhuc obuoluta, dein paſſim libere aquae innatantia, et haecce initio licet motus omnis expertia ſint, poſt ſex vel ſeptem dies motum exercent progreſſiuum, vnde ad vitae vſuram concluditur. Sed horum naturam originem effectus vlterius perſequi, ab hoc loco alienum eſt, INGENHOUSZII (*l. c. p.* 218. *ſqq.*) autem indagine digniſſimum argumentum.

Quod analyſi chemica alcali volatile inde erui, vt ex animalibus corporibus, feratur (INGENHOUSZ *l. c. p.* 235.), pugnat cum aliis experimentis, quibus expreſſe nonniſi vegetabilibus particulas communes illi ineſſe edocemur (GEORGI in *Act. acad. ſc. Petropolit.* 1778. *P.* 1. *p.* 225. *ſqq.*).

Ad aliud caput de ſpeciebus aliquot aëris artificialis pertinet, enucleatius de aëre dephlogiſticato, eius natura, fontibus variis et beneficio in corpus humanum, exponere. Ex multis quidem ille corporibus extricari poteſt, ſed vel purior vel maiori copia vel minori opera eruitur ex nitro, mercurio praecipitato rubro, minio, magneſia nigra. Scatent quoque eodem ſtirpes bene multae, folia ſcilicet carnoſarum, vt Semperviui arborei, Cacti triangularis, Agaues Americanae, Semperuiui tectorum rel. ex quibus, intra campanam aqua repletam arcendo commeatum externi aëris, ſplendentis ſolis adiumento bullularum forma ille purus aër erumpit. Liberaliter quoque eundem emittit Conferua riuularis et alia Conferua in fundo receptaculorum aqueorum prognaſcens (INGENHOUSZ *verm. Schr. von* MOLITOR *vol.* 2. *p.* 58. Conf. PRIESTLEY'S *Experiments and Obſervations relating*

ting to nat. Philoſophy, vol. 2. *p.* 21. *ſqq.*). Nec deſtitui iſto aëre animales partes, experimenta cum ſerico, lana, plumis, capillis humanis rel. facta, adiuuante vel luce ſolari vel igne artificiali, edocent.

Conferua riuularis multum huius aëris erogat, et hieme quidem praeſtantiorem longe quam aeſtate, quum e contrario folia carnoſa hieme pauxillum modo eius ſuppeditent vixque meliorem aërem vulgari. Tanta vero quantitas aëris dephlogiſticati hieme colligitur ex Conferua riuulari, vt portio eius, quae circiter ſpatium pollicis vnius cubici occupat, intra ſpatium trium vel quatuor dierum plerumque pollices cubicos duodecim vel ſedecim intra triduum vel quatriduum ſole ſplendente eructet. In aqua cocta, a qua aditus omnis aëris externi ope mercurii intercluditur, nonniſi tertio die exundat; in aqua fontana non cocta autem iam primo die maiorique longe copia; quo maior ambitus ſtirpis tanto plus huius aëris obtinetur. Loco plantarum vaſis terreis exceptarum confert hanc conferuam in aqua ſoli expoſita pro lucrando aëre puro ſeruare (INGENHOUSZ in *Phil. Tranſ. vol.* 72. *P.* 2. *p.* 426. *ſqq.*).

Si itaque verum agnoſcatur, aërem dephlogiſticatum in reſpiratione et vita protrahenda ſummi momenti eſſe, deliquiis animi ſ. aſphyxiis multiplici fonte exortis ſubuenire, fulmine ictos excitare, et aſthma ſpaſmodicum aliudque a laxitate oriundum, item phthiſin pulmonum, leuare vel ſanare: ſane Conferuae huic non exigua laus debetur. Sed tutiſſimum eſt caute de beneficiis iſtis aëris huius mentem pronunciare, donec illa repetito in morbis tentamine plus fidei acquiſiuerint.

ORDO

ORDO LV.

F V N G I.

A G A R I C V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 819. *Gen. pl. p.* 568.

572.

Pharm. AGARICVS MVSCARIVS.

Agaricus muſcarius; ſtipitatus, lamellis dimidiatis ſolitariis, ſtipite voluato apice dilatato baſi ouato LINN. *Spec. pl. p.* 1640. BOLTON's *Hiſtory of Funguſſes, vol.* 1. *p.* 27. cum *tab.* Fungus muſcas interficiens C. B. Mel muſcarum venenoſum STERBECK *Theatr. fung. pag.* 214. *tab.* 22. *fig. A.* Amanita petiolo annulato, pileo (quae vox inſeri debet) ſanguineo, lamellis albis HALL. *Hiſt. ſtirp. Heluet. n.* 2373. MICHELI *Nov. Gen. plant. tab.* 78. *fig.* 1 *et* 2. Gefeinelter Blätterſchwamm, Fliegenſchwamm, gemeiner Mückenſchwamm HOFFM. *Nomenclat. fung. P.* 1. *p.* 20. Variat pileo coccineo, rubro, albo, cinereo, verrucoſo et non verrucoſo. In pratis et ſyluis frequens.

Acrimo-

Acrimonia foetoreque infeſtus eſt prae multis aliis fungis hic ipſe. Quod muſcas necet, denominationi anſam dedit; quae vis iam quoque CLUSIO (*Rar. pl. hiſt. p. CCLXXIX.*) nota fuit, vt qui illum ab iſtis valde appeti, ſed non ſine propria pernicie memorauit. Smolandi etiamnum lacte maceratum illum hoc fine adhibent (LINN. *Fl. Suec. p.* 450.). Parem vim exſerit in cimices lectularios, dum fungi aliquot autumno collecti et contuſi intra fictile bene tectum in pultem deliqueſcunt, qua ipſa ope penicilli omnes rimae et lacunae obliniuntur (LINN. *Skånska Reſa, p.* 430.).

Magis tamen ſcire intereſt, quid in corpus humanum efficiat. Inebriat iſte comeſtus, quin in furorem homines coniicit, ita vt nullum periculum reformident, nec ignis nec armorum impetum metuant. Valde probabile eſt, furorem iſtum inſanum, quem antiquiſſimo tempore inter ſeptentrionales gentes, nonnulli, qui heroës cenſeri volebant, contraxerant, eſu fungorum huius ſpeciei fuiſſe concitatum. Hi ſub iſta mentis labe erumpente ipſis principibus, quorum res agere illis datum, formidabiles, dum nulli aderant hoſtes in innoxios, bruta, corpora vita caſſa, arbores, lapides,

des, iniurias ſuas exercebant (Conf. ÖDMAN in *Vet. Acad. Handl.* 1784. *p.* 240. *ſqq.*). Lucem accendit mos, qui adhuc hodie apud gentes ſeptentrionales remotiores, vt Oſtiacos, Jakutos, Samojedas, Tungutos, Iukagos, Kurakos, Tſchutſkos, Kamſchadalenſes, obtinet, inebriationem ſibi gratam eius ope conciliandi. Quaedam harum quotidiano eius vſui indulgent ab vno ad quatuor fungos, Oſtiaci vnum modo ferunt, vel decoctum ex tribus paratum. Tſchutſki, quibus gelu prouentum huius fungi denegat, rhenonibus in commutationem datis illum redimunt. Kamſchadalenſes cum decocto Epilobii illum potant. Effectus autem eo ingeſto apud illos hic eſt, vt exhilarentur, exſultent, cantent, vociferentur, verſiculos de rebus venereis, venatione, heroibus, effutiant, vaticinentur, augmentum virium valde inſuetum ſentiant, manus hoſtiles vel aliis vel ſibi iniiciant, tremore vel et conuulſionibus tententur. Furor poſt duodecim vel ſedecim circiter horas deferueſcit, huncque excipit virium deiectio, vel iactura perfecta, tandem ſomnus, ex quo dum expergiſcuntur ſenſim absque alia mala ſequela ad priſtinam animi ſerenitatem redeunt. In ſenectute autem ſtupidi euadunt. Ipſum lotium hominum, qui huncce fungum ingeſſerunt,

geſſerunt, inebriat; et huius tetri liquidi hauſtum largiorem bibunt Schamani Tunguſenſes, tympana faſcinatoria ſua pulſaturi, quo epilepſia et reliqua ecſtaſi, ad cerimoniam illam neceſſaria, corripiantur (Conf. *Nat. Hiſt. of Kamſchatka*, *p.* 208. *ſq.* et GEORGI *Beſchreibung aller Nationen des Ruſſ. Reichs*, *p.* 78. 267. 281. 321. 329. 352.). Non multum ſane inde incitamenti capi poteſt ad hunc fungum in morbis tentandum, licet oues fungos iuniores huius generis et recentes depaſcantur auide et impune (BERNHARDT *chym. Verſuche und Erfahr. aus Vitriol- und Fliegenſchwämmen kräftige Arzneyen zu verfertigen, Leipz.* 1755. *p.* 327.), et pileus eius comminutus et lacte ad occidendas muſcas commixtus infanti quadrienni praeter vomitum et diarrhoeam nihil mali crearet (CHRIST. GODOFRED. WHISTLING *Diſſ. de virtutibus Agarici muſcarii, Ien.* 1778. *p.* 8.). Nec, quae de virtute medica eius conſtiterunt, hactenus ita confirmata ſunt, quin opus eſſet illam iterum ſub incudem reuocare. Noſtris temporibus cl. JO. CHRISTIANUS BERNHARDT (*loc. cit.* inde a *pag.* 318.) aliquam in fungum muſcarium medicorum attentionem mouit, qui eundem tam ore captum quam extus admotum aliquot caſibus adhibuit. Eius exemplo praeuio incenſus cl. WHIST-

LING

LING (*loc. cit.*) pluſculos alios addidit. Non totus autem Agaricus, ſed ſtipitis modo ea pars, quae terra tegitur (BERNHARDT), vel radix, vſurpatur, quae partes carere dicuntur nequitia reliquarum, ita inde neque nauſea nec vomitus nec temulentia vel alia noxa ſubſequuta (WHISTLING *l. c. p.* 9.). Adoleſcente aeſtate vel autumni initio colliguntur hi fungi. Pro eo partium ſelectu, quem dixi, magna copia fungorum opus eſt, vt puluis inde paretur. Nempe remoto cortice, filum per iſtam ſtipitis baſin traiicitur, et haec vel aëre ſicco, vel ad fornacem, ſiccatur. Puluis loco calido vel ſicco ſeruari debet, ne humidum attrahat et vitioſe cohaereat. Cauendum vero eſt a fungo acaris exeſo, vtpote longe inertiori.

Valuit puluis ore captus ad mitigandam epilepſiam, quin omnino compeſcendam, licet non omnibus aegris ſuffecerit (BERNHARDT *Obſ.* 5. *p.* 324. *ſq.* WHISTLING *Obſ.* 2. *p.* 13.). Ita in complicato malo cum tremore artuum et conuulſionibus diuturna continuatione auxilium attulit (WHISTLING *Obſ.* I. *p.* 10.). Idem vſus internus aliquando etiam in vitiis externis locum habet. Ita eodem indurationes tonſillae alterutrius aliarumque glan-

dularum

dularum vicinarum diſſipatae (BERNHARDT *Obſ.* 3. *p.* 321.), item tumor inſignis durusque prope laryngem (*l. c. p.* 322. *Obſ.* 4.).

Ex inſperſo autem puluere quotidie bis vel pluries vlcera ex tumoribus duris prognata (BERNHARDT *Obſ.* 1. 2.), puſtulae corneae (*l. c. Obſ.* 6. *p.* 325.), vlcus phagedaenicum poplitis cum aliis vlcuſculis propinquis (WHISTLING *Obſ.* 3. *p.* 13.), luxurians vlcus ex reliquiis tumoris cyſtici exſecti (*l. c. Obſ.* 4.), item vlcus ex fractura oſſis cum ſubſequente carie (*l. c. Obſ.* 5.) coaluerunt. Saepe combinato vſu interno et externa ſollerti pulueris inſperſione ſtrumae et fiſtulae mali moris euanuerunt (BERNHARDT *l. c. p.* 326.). Calloſas quoque margines vlcerum et fiſtularum delet (WHISTLING *l. c. p.* 21.).

Pro doſi puluis a ſcrupulo dimidio ad vnum ter adeo de die cum aqua ingeſtus (WHISTLING). Imo eius drachma vna ſemel de die cum aceto data, quod connubium dicitur efficacius fuiſſe quam illud cum aqua (BERNHARDT), ſed eadem de cauſa non ſatis tutum (WHISTLING *p.* 20.). Bonam ſpem ciet, ſi puluis inſperſus nihil doloris excitat; quodſi vero ardor in vlcere vel dolor ſubſequitur, de-

ſiſtendum

ſiſtendum eſt, ne inflammationis cauſa euadat. In exulceratione oculorum, quae acrimoniam ſalſam et humectam comitem habet, non confert.

Addo adhuc plerumque internis eius praebiis aluum moueri.

B O L E T V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 821. *Gen. pl. p.* 568.

573.

Pharm. AGARICVS QVERNVS ſ. AGARICVS CHIRVRGORVM.

Boletus igniarius; acaulis puluinatus laeuis, poris tenuiſſimis LINN. *Spec. pl. p.* 1645. BOLTON'S *Hiſtory of Funguſſes, p.* 80. *c. fig.* Fungus in caudicibus naſcens, vnguis equini figura C. B. Agaricus pedis equini facie TOURNEF. *Inſtit. p.* 562. BATTARA *Fungor. agri Arimin. Hiſt. p.* 71. *tab.* 37. *fig. E.* Agaricum igniarium MICHEL. *Nov. gen. p.* 118. Depictus quoque in REGNAULT *Botan.* l'Agaric. de Cheſne *Fl. Dan. faſc.* 16. *tab.* 953. In truncis variarum arborum antiquarum prouenit, vt Quercus, Fagi, Tiliae, Betulae, Juglandis, penetratque alte in ligneam compagem. Prae-

cipue in truncis caeſarum arborum et quidem putreſcentium enaſcitur. Eſt qui eum in viua arbore nonniſi in parte quadam computreſcente deprehendit (MONTET in *Hiſt. de l'acad. R. des ſc. de Paris*, 1762. *p.* 74.).

In oeconomia claret ob ſuam pro fomite ignis vtilitatem, cui quidem fini et inſeruit Boletus fomentarius L. (*Fl. Suec. p.* 453.). Praefertur Tiliis innaſcens, ſecundo loco eſt fagineus (HALL. *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 2288.). Alibi tamen fagineum praeparatione molliſſimum fieri legimus. Scilicet cultro aufertur cortex durus ſuperior, item pars fiſtuloſa inferior, reliquum, quod quoad contactum mollius longe eſt, vt laxior fiat fungi textura, lixiuio cinerum Fagi coquitur, tum probe lotum ſiccatur et malleo contunditur, poſtea in ſolutione nitri aqua facta coquitur et iterum ſiccatur; quidam adhuc puluere pyrio illi colorem nigrum inducunt. Ita ſcintillis vel foco lentis vitreae ſ. ſpeculi concaui facile accenditur, ſed ſerpente tantum igne, non flamma, odore quaſi lintei combuſti et remanente fauilla.

Infuſum fungi recentis aqua factum non fuſcatur vitriolo martis. Aqua coctus qui Betulis

innaſci-

innaſcitur, largitur extractum mucilaginoſum, fere inſipidum. Deſtillatione absque aqua facta vna cum phlegmate vario obtinetur oleum empyreumaticum, ſpiritui lignorum non abſimile et ex reſiduo ſal alcalinum fixum. Combuſtione vnciarum ſedecim nonniſi grana quinquaginta octo huius ſalis eliciuntur (*Act. acad. ſc. Petropol.* 1778. *P.* 2. *p.* 214. *ſq.*). Praemittere haecce non ſuperfluum, vt tanto certius de modo, quo vim medicam iamiam trutinandam exercet, iudicare liceat.

Etenim magnam celebritatem per tempus nactus hic fungus erat ſua efficacia in haemorrhagiis externis, violenta vulneratione vel diſſectione arteriarum, nominatim ſub amputatione membrorum, enatis ſedandis. Fungus coriaceus quercinus haematodes a JAC. BREYNIO (*Miſcell. nat. curioſ. Dec.* I. *Ann.* 4. 5. *p.* 184.) dictus omnino huius loci eſt, ſed veram vim non cognouit, quum modo indicet ex aliorum narratione haemorrhagiam narium ſiſtere, ſi cordi eius particula imponatur, indeque coniicit ad alios fluxus ſanguineos quoque valere. Propius rem attigit cl. JO. JACOB DILLENIUS (*Ephem. nat. curioſ. Cent.* 7 *et* 8. *p.* 344.), qui ſauciatis hirudinum applicatione vaſis ſanguiferis, et pertina-

citer ſanguinem fundentibus fungum igniarium vel Bouiſtam imponi iuſſit. Nec latuit maiores noſtros, lanuginem internam Caſtanearum cortici adhaerentem, aliaque mollia ex vegetabilium cenſu, vt hirſutiem Cydoniorum fructus, Goſſypium, ſeminum pappos, ſiſtere ſanguinem ex vulnere vrgentius manantem (REUSSNER in WELSCH. *Sylloge curat. et obſeruat. medic. p.* 75. *ſq.*). Fennorum quoque domeſticum in hunc finem non nouum dici poteſt Boletus igniarius (BERG. *Förſök om gångb. Sjukd.* 1754. *p.*69.), quo et a. 1755. Aboae profluuium ſanguinis ex lapſu in puero obſtinatum conticuit (*l. c.*).

Non apte igitur cl. BROSSARD Chirurgus (de la Chatre en Berry) inuentor dici poteſt virtutis iſchaemae huius fungi; qui tamen recentius a. 1750 academiam chirurgorum Pariſienſem de eius efficacia certiorem reddidit (MORAND in *Mem. de l'ac. R. de Chirurgie, vol.* 2. *p.* 225.) praemio quoque auctus. Hic ipſe quernum reliquis praefert. Nec alia praeparatione fungi opus eſt, quam quod ablato duriori ab vtraque parte tegmine in fruſta minora diſſecetur, et poſt deſiccationem mallei ictibus emolliatur. Applicatio ea eſt, quod fruſtum vulnere paullo amplius imponatur, et huic aliud

grandius

grandius ſuperdetur, vtrumque autem apparatu conſueto comprimente arteriam laeſam in ſitu retineatur, non neglecta caſu grauiori ſub initium torcularis applicatione. BROSSARDI experimenta felicia confirmata ſunt a variis aliis Chirurgis Gallicis (MORAND, BOUQUOT, FAGET, ROCHARD, DE MEY *Mem. de l'acad. R. de Chirurgie l. c. Philoſ. Tranſ.* 1753. inſert. cl. WARNER'S *Caſes in Surgery, p.* 338.); a quibusdam etiam in canibus inſtituta, quorum quidem ſanguis facilius coit. Succeſſerunt mox exterorum pericula crebra, cll. SHARP, WARNER (*Phil. Tranſ. vol.* 48. *P.* 2. *p.* 588. *ſqq.* 811. *ſqq.* Conf. WARNER'S *Caſes in Surgery, pag.* 349. *ſqq.* vbi multi caſus, quorum plerique fauſti), GOOCH (*Phil. Tranſ. p.* 814.), FORD, THURNHILL (*Phil. Tranſact. vol.* 49. *P.* 1. *p.* 264.), ACREL (*Chir. Händelſer, p.* 543. *ſqq.*), partim fungo fauentia, partim aduerſa. Non valuit modo poſt amputationem cruris vel brachii, ſed et ad compeſcendum ſanguinem ex mamma cancroſa reſecta, item praegreſſa lithotomia, exundantem. In aneuryſmate brachii aperto poſt applicationem fungi huius arteriae ad carpum pulſus rediit poſt viginti horas, quum id modo ligatura applicata fieret ad finem ſecundae hebdomadis vel die decimo ſeptimo (MORAND *l. c. p.* 225.).

Ne autem vniuerſaliori iuſto vel laude vel vituperio huius fungi peccetur, diſtinguendum rite inter diuerſa rei momenta eſt. Scito igitur, licet multis caſibus conducat, multis aliis non ſufficere, nec tritum eſſe ſatis. Non caret ſua virtute, ſi arteria laeſa ſuper os ſtabile decurrit, contra quod preſſio exerceri poteſt, vt in arteria temporali, maxillari externa, radiali; caret autem, vbi nulla preſſio locum habet, vt in collo, abdomine, vel vbi os vitioſe fractura, carie, luxatione mobile euaſit, hinc et vix in ſclopetariis vulneribus admitti poteſt. Efficacior eſt in haemorrhagia ex minori arteria, et in hominibus debilitatis et pauco ſanguine inſtructis; non vero tutus aperta ampliori arteria, vt crurali, nec in vegetis et plethoricis; ſimiliter non ſufficit arteria intra cutem vel muſculos retracta vel rigida et cartilaginea. Superſunt itaque plures occaſiones, quibus haemorrhagia vel ligaturam vel alia commoda auxilia requirit. Ligaturae praeferendus ceteroquin eo, quod ille absque dolore ſiſtit ſanguinem, et ſtimulo deficiente nec conuulſiones pediſſequas habet, nec inflammationem nec febrem diriorem accendit, quae omnia contraria in ligatura ſunt, quae praeterea, quoniam vsque ad finem remanere vinculum debet,

ſana-

ſanationem retardat. Fatentur haec ligaturae incommoda praxi crebriori exercitati chirurgi. Nulla ſtiptica virtus, qua ipſa arteria contraheretur, huic fungo ineſt, ſed ob mollem et teneram ſuam naturam prae reliquis vulgo vſitatis, vt linteo carpto, charta bibula et ſimilibus arctius orificio arteriae ſeſe affigit, et nouo ſanguineo riuo compreſſione coërcito tenacius reſiſtit; quo mollior et flexilior igitur ille eſt, tanto magis preſſioni obſecundat, vnde et vnicum fruſtulum ſufficit. Thrombus, qui ex hacce ſanguinis mora enaſcitur, nouum a tergo affluenti ſanguini obicem ponit. Vitia nimii ſanguinis coaguli et coarctationis arteriae longa ab orificio diſtantia, quae PARKER (*On ligature preferable to Agaric in ſecuring the bloodveſſels after Amputations*, *Lond.* 1755. qui libellus praecipue contra WARNERUM exaratus fuit) huic fungo tribuit, non iſti ſed compreſſioni per apparatum conſuetum comitem, me iudice, imputanda ſunt, nec arbitror eum iure metuere, ne transſudationem liquidi ex minimis vaſis ſanguiferis impediat. Niſi praeſto eſt fungus igniarius: ſubſtitui poteſt ſpongia vulgaris in exiguum volumen compreſſa vel haec cerâ impraegnata, quae dum, imbibendo liquidum, intumeſcit, arteriam claudit, quin adhuc firmius

affluenti ſanguini, quam Boletus igniarius, ſeſe opponit; ſed de hiſce loco alio vberius.

Haemorrhagiam narium compeſcere quoque valet (cl. WILLEMET in *Nouv. Mem. de l'ac. de Dijon* 1784. 2. *Semeſtre, p.* 92.), arbitror, intruſus naribus: ſed eſt, qui puluere per tubulum inflato potitus ſcopo eſt (ROCHARD in *Journ. de Medec. tom.* 3. *p.* 43.). Paucula quae de vſu fungi huius interno memorantur non magni momenti ſunt. Eo in decocto dato apud virum ſopitus dicitur fluxus ſanguinis largus per aluum ex cauſa ſcorbutica contingens, aliis multis fruſtra adhibitis (ROCHARD *l. c. p.* 43.). Dubius quoque euadit fungi effectus in dyſenteriae cruentae caſu, vtpote quum connubium corticis Simarubae iniret, (BRILLOUET in VANDERMONDE *Recueil periodique d'Obſervat. de Medecine, tom.* 6. *p.* 230.).

Hic fungus eſt Lapponum Duaeulet, ex quo conum parant longitudinalis ſemuncialis, baſeos trium linearum vel ſupra. Hunc inſtar moxae Sinenſium et Japonenſium accendunt, iisdem ſcopis accommodatum cenſentes (HARMENS et FIELLSTRÖM *Diſſ. med. Lapponum* in HALL. *Collect. Diſſ. pract. tom.* 6. *p.* 728.).

574.

574.

Pharm. FVNGVS SALICIS.

Boletus ſuaueolens; acaulis ſuperne laeuis, ſalicinus LINN. *Spec. pl.* *p.* 1646. Boletus *ſuaueolens;* acaulis ſemielliptoidicus niueus; ſupra conuexus, byſſino villoſulus; ſubtus tubuloſo-poroſus, poris rotundis angulatisque; Aniſum redolens ſalicinus JACQU. *Collect. bot. vol.* 2. *p.* 147. Boletus *albus;* acaulis puluinatus laeuis, poris oblongis HUDS. *Flor. Angl. ed.* 2. *p.* 626. LIGHTFOOT *Flor. Scot.* *p.* 1037. addens poros et rotundos eſſe. Agaricus villoſus et poroſus candidus ſalignus BUXBAUM *Plant. minus cognit. Cent.* 5. *p.* 8. *tab.* 5. De erſte Soort van willige Fungi, Fungus albus ſaligneus, odore iridis VAN STEERBEK *Theatr. fungor.* *p.* 251. *tab. n.* 27. *lit. D.* Conf. cl. ENSLIN Monographia in *Diſſert. de Boleto ſuaueolente Linn. Erlang.* 1784. c. *tab.* egregia, recuſa tit. *Comment. a.* 1785. Specimen, quod coram habeo, colliculis variis ſupra diſtinguitur. Villis initio tegitur, quibus ſenſim exuitur, vt laeuis appareat. Agarici albi figura, quam BOLTON's *Hiſtory of Funguſſes* ad *p.* 87. ſiſtit, differt tam ab ENSLINI icone, quam meo ſpecimine haud parum. In

Salicibus vnice creſcit, Sal. alba, fragili, vitellina, amygdalina, et harum quidem cortice, etiam in Germania, prout vicinia vrbis Gottingenſis, licet pauciſſimi botanici Germani eiusdem meminerint. Autumno et m. Octobri quidem emergit per totam hiemem colligendus, vere ſubſequentis anni ſenſim computreſcens a vermibus conſumitur.

Odorem fragrantem non omnino ingratum ſpargit, qui fortior eſt in recenti fungo, quam exſiccato, in quo mihi ſuburinoſus viſus eſt. Quaedam indiuidua plus gratiae ſpirant. Nonnulli odorem comparant cum violaceo, vt radicis Iridis Florentinae; alii (JACQU.) cum odore Aniſi vel Scandicis odoratae. Maſticatione longiori ſubinde ſapor ſentitur acidulus, poſtea amaricans, in aliis ſpeciminibus lenis iſte amaror vnice ſeſe manifeſtat.

Odor aquae deſtillatae ſiue ex recenti ſiue ex ſicco fungo paretur, longe debilior eſt, quam ipſius fungi, nec vllum iſti veſtigium olei aetherei ineſt (ENSLIN *l. c. p.* 20.). Omitto ſtudio expoſiſitionem eorum, quae deſtillatione ſicca eruuntur (*l. c. p.* 21.). Decoctione cum aqua odor exſurgit huic fungo proprius. Ex vnciis eius duabus obtinentur extracti aquoſi primi drachmae duae cum dimidia,

dimidia, inodori fere ſed amareſcentis ſubnauſeoſi et ſubſalſi; et ex eadem fungi quantitate extracti reſinoſi primi grana quinquaginta, ſaporis ſalſi atque amari, odoris manifeſtioris. Aſt extractum reſinoſum multas ſimul gummoſas partes complectitur (*l. c. p.* 21. *ſq.*). Combuſtus erogat, praeter ſal alcali, aliud, propius ad ſal mirabile Glauberi accedens, item terram ſiliceam et ferri aliquot miculas (*l. c. p.* 23.).

Vires medicas ex hacce analyſi diuinare aegrius datur. Ad experimenta igitur practica confugiendum eſt. Vltra centum retro annos iam in cenſum medicaminum receptus, nec hodie exul. Eſt hic ſine dubio, cuius meminit (ſub nomine fungi Salicis rufae) SARTORIUS (*Miſc. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *pag.* 310.), tanquam egregii remedii in phthiſi inueterata et deplorata, virtutemque confirmare ſtudet duobus exemplis, quibus mane et veſperi drachmae duae cum ſacchari tantundem datae ſaluti fuerunt, ſed non ſine connubio lactis caprilli et pultis varii generis. Nec alium fungum, ſi nomini et adſcriptae virtuti inhaereas, intellexiſſe exiſtimandus eſt BÖCLERUS (*Cynoſura Mat. med. cont.* 1729. *p.* 175.), licet deſcriptio in alium quadret,

quadret, dum Salici adnaſcentem fungum mirifice celebrari in phthiſi refert, bis de die ad drachmam dimidiam vel integram cum ſaccharo cando datum. Seruant antiquam exiſtimationem in phthiſi pulmonali vlcerosa felicia experimenta noſtris temporibus Erlangae a cll. SCHMIDEL et WENDT (ENSLIN *Diſſ. cit. p.* 25. *ſqq.*) inſtituta. Exhibebatur nimirum electuarii ex puluere eius et melle cochlear paruum quater de die, vel et pulueris eius ſcrupulus vnus cum lactis ſacchari eadem quantitate et aeque frequenter, continuatione per plures menſes facta. Quos non ſanauit omnino, hisce tamen leuamen attulit conſpicuum, ita quidem, vt aliorum conſortium aliquando requirat. Depraedicatur quoque in ſpaſticis morbis (a SCHMIDELIO in litt. ad cl. WENDT *Diſſ. cit. p.* 29.), horumque in numero nominatim ſignificatur malum hypochondriacum. Et alii ſucceſſit in aſthmate ſpaſmodico electuarium ex puluere eius et melle (*l. c. p.* 30.).

Vt in puluerem tanto commodius redigatur, confert obducere fungum antea mucilagine gummi cuiusdam, e. c. Arabici vel Tragacanthae, eademque fungum ſiccare, vel eum modice ſiccatum ſub trituratione alcohole vini humectare (*l. c. p.* 30.).

575.

575.

Pharm. AGARICVS ALBVS.

Boletus Laricis; acaulis puluinatus ſubtriangularis, conuexo-compreſſus, griſeus eminentiis hinc inde gibboſis ſulcisque horizontalibus, poris tenuïſſimis MIHI. Sic ſe habet adulta aetate. Boletus Laricis JACQU. *Miſcell. Auſtr. vol.* I. *p.* 172. *ſqq.* Deſcriptionem ampliorem accuratiſſimam polymorphi huius pro diuerſa aetate et inſertionis loco fungi concinnauit ibidem vener. WULFEN, exemplis in Carinthia obuiis innixus cum neceſſariis iconibus *tab.* 19. 20. 21. (quarum plures numero ibi exſtant, quam in JACQUINI *Diſſ. de Agarico offic. reſp.* RUBEL *Vindob.* 1778. quae in *Miſcell.* cum variis mutationibus recuſa deprehenditur). Paucis commemorauit eum LINN. *M. m. ed.* I. *p.* 175. Eſt Boletus conicus puluinatus leuis, inaequalis tubulis ſubtiliſſimis GERARD. *Flor. Gallo-provinc. p.* 12. vbi tanquam varietas Boleti igniarii ſiſtitur. Boletus Agaricum ALLION. *Fl. Pedem. tom.* 2. *p.* 351. Agaricum ſ. fungus laricis C. B. MICHELI *N. gener. pl. p.* 119. *tab.* 61. *fig.* I. Polyporus ſeſſilis conuexo-planus, annulis discoloribus fulvis, poris ochroleucis HALL. *Hiſt. ſtirp. Helvet. n.*

2284.

2284. quae autem deſcriptio cl[mo] WULFEN diſplicet. In nulla alia arbore hactenus quam Larice inuentus eſt, notante iam BELLONIO (*de arboribus conif. fol.* 26.) et MATTHIOLO; nam qui aliis quoque Pinis eum adſcribunt, vt CORDUS et ANGUILLARA, confuſionem cum aliis fungis commiſiſſe videntur. Laricis autem non ſolum inferiorem aut medium truncum obſidet, ſed et partem eius cacumini vicinam. Arbores modo occupat proceriores annoſas rimasque agentes, et in alpibus vel ſubalpinis montibus creſcentes, licet multae et huius magnitudinis et ſtationis eo deſtituantur, nunquam iuniores et humili ſtatione reperiundas. Obtinet tamen etiam in truncis larignis praeciſis et iamiam tabeſcentibus. Et ſic quidem in Carinthia ſeſe res habet. Reperitur vero praeter hancce regionem in orientalibus variis vt, teſtibus DIOSCORIDE et PLINIO, in vicinia Boſphori Cimmerii, vnde ex Sarmatia in Graeciam atque Italiam per multa ſecula translatus fuiſſe videtur; item in laricetis Roſſicis praeſertim Duinenſibus et Vralenſibus, vnde per Archangelopolin ad exteros mittitur (PALLAS *Fl. Roſſ. vol.* 1. *p.* 3.); in montibus Veronenſibus (SEGUIERUS), alpibus Auguſtae Praetoriae Pedemontii, Heluetia

tia (HALLERUS), Gallo prouincia (GERARDUS), montibus Tridentinis (MATTHIOLUS), Hungaricis (KOLLAR apud JACQU. *loc. cit. p.* 167.). Fungus vero hicce per plures annos vitam in larice continuat.

Olim in medicina vſitatus ex Oriente Venetias mittebatur. Sed nullum eſt dubium, quin iis in locis, quae patriam agnoſcit et vicinis, vſurpetur indigenus, imo ad remotiora transportetur. Ita Venetiis venditus tempore MATTHIOLI (*Comment. in* DIOSCOR. *ed.* BAUH. *p.* 474.) fere omnis partim ex Tridentinis montibus, partim Norico tractu, provenit. In Gallia quoque ex montibus Delphinatenſibus pro vſu petitur (VALMONT DE BOMARE *vol.* I. et GEOFFROY *Mat. m.* aliique). De Sibirico iam dixi. Sunt tamen, qui orientalem etiamnum praeferunt (e. c. LEWIS *M. m. p.* 21.), SPIELMANNUS (*M. m. p.* 641.) ex Aleppo optimum peti arbitratur. In Carinthia collectio eius committitur vel venatoribus vel ruſticis, qui autumno vel vere ad caedenda ligna ſaxoſas ſyluas adeunt, vbi Larices elegantiores maiori copia creſcunt. Ibi compages mollior eſt in iuniori fungo, ſiccior in adulto, ita in iſto ſuperficies colore dilute aurantiaco tingitur,

in

in hocce plerumque initio alba dein ex albo cineraſcens vel profundioris coloris item rimoſa eſt, ſeneſcens ſubſidit variis quaſi contignationibus et faſcias coloris obſoletioris (non veros annulos discolores, vt HALLERUS indicat) contrahit. Subſtantia interior primum ex luteolo alba tandem candidiſſima fit, deſiccata in rudiorem farinam, digitis friabilem, tranſit. Quidni idem in Boletis laricinis extra Carinthiam locum haberet. BELLONII (*de arbor. conif. fol.* 26.) effatum, quod tam rarus eſſet hic fungus, vt ex decem millibus Laricum vix vna eundem ferret, nimium eſt, licet omnino frequens non valde ſit.

In officinis obuius multiplicem formam gerit, plerumque ad triangulum accedentem, cuius baſis inferiora ſpectat, a poſtica parte ſinum a loco inſertionis repraeſentat, cui adhaeret ſubinde corticis arboris particula, antice ſulcis parallelis, inter quos eminentiae mox planiores mox gibboſiores, diſtinguitur, magnitudinem diuerſam habet, adeo vero leuis eſt pondere, vt e. c. fungus pedem cum palmo longus ad baſin pedalis libras modo tres cum aliquot vnciis penderet. Externe cruſta circiter ſemunciam craſſa et rimoſa veſtitur, compactiori,

pactiori, quam interna medullaris pars, ita vt vngue penetrari nequeat, extus griſea interius flaveſcente. Intra hanc medulla comprehenditur albiſſima, mox ſpongioſa et fibroſa, quae facile diſſecari cultro poteſt, item digitis diſcerpi, quos ſub hocce tentamine inquinat, mox in farinam friabilis. Fibrae dictae vbi adſunt non per totam longitudinem decurrunt, ſed ſtrata varia modo longiora modo breuiora ad lineam vsque formant. Vermibus ſaepe in officinis eroditur cruſtam corticalem praecipue deuaſtantibus, verum in ipſa quoque medulla cuniculos egiſſe deprehendi. Foraminula, quae characterem generis efficiunt, in baſeos ſuperficie vix conſpicere potui, oſtiis per ſe minutis ſine dubio ſiccatione adhuc magis contractis. Figuram et colorem officinalis egregie exprimit icon in JACQU. *Miſcell. cit. tab.* 20.

Caret odore, maſticatus autem initio dulcis, dein nauſeoſam acrimoniam et amaricantem ſaporem imprimit. Fruſtula eius flammam facillime concipiunt, prunis iniecta quaſi oleum exſudant et deflagrant, paucis cineribus relictis. Ex comparatione analyſium diuerſarum chemicarum cll. GEOFFROY, CARTHEUSER, NEUMANN, licet liqueat,

 pro-

proportionem non vbiuis eandem inter partes reconditas obtinuiſſe: euincitur plurimum ineſſe reſinae, ſcilicet ſecundum experimenta NEUMANNI (*Chym. vol.* 2. *P.* 1. *p.* 42.) medullari parti extracti reſinoſi ingrate amaricantis ad tres partes ex quatuor, reliquum mucilaginoſae naturae eſſe cum terra remixtum, cui extracti aquoſi drachmae duae cum ſcrupulis duobus inſint. Quam parum virium largiatur aquae, inde elucet, quod fungus hic etiam poſt diuturnam coctionem plurimum ſaporis ſeruat, et valde viſcidum tenaxque exiſtit. Spiritus vini rectificatus autem tingitur colore luteo et adſciſcit ingratam dulcedinem. Corticem refert cl. BOULDUC (*Mem. de l'acad. R. des ſciences de Paris* 1714. *p.* 28.), ſuppeditare ſpirituoſam tincturam maxime nauſeoſam vt vel vnica gutta linguae applicata vomitum ciëat, quod vero aduerſatur experimentis ill. JACQUIN (*loc. cit. p.* 197.) cum cortice fungi Carinthiaci captis, cui et alia experimenta huius generis debentur.

Sub contuſione tuſſiculam et nauſeam diutius inhaerentem excitat (JACQUIN *l. c. p.* 197.); item ſternutationem, et oculos irritat (NEUM. *l. c. p.* 44.). Quoniam vero per ſe aegrius in puluerem redigitur: muci-

mucilagine gummi Tragacanthae prius humectari eaque imbutus ſiccari ſolet.

Nolo antiquitati vſus medici huius Boleti diu immorari, quam ample ſatis excerptis locis ex DIOSCORIDE (*Lib.* 3. *cap.* 1.), qui Αγαρικον eum vocavit, GALENO, PAULLO AEGINETA, PLINIO, MESUE, excuſſit cl. BREYNIUS (*loc. cit.* §. 3.). Diſtinctionis, quam aſſumſerunt inter fungum marem et foeminam, non ſatis certi limites conſtant. Vterque in magna apud veteres exiſtimatione fuit, quin eo vtebantur iuſto liberalius, vt et a DEMOCRITO apud MESUËN familiare domeſticum diceretur, nec morborum ſelectu congruo, inſtar alterantis et reſolventis medicaminis; qua in re peccatum per plurium ſeculorum ſeriem, quae leuitas et anſam multis praeparatis dedit. Vtique vera eſt purgandi vis, quam illi adſcripſerunt, qua quidem bilem et pituitam euacuare ſuſtinuerunt. Faeces aluinae inde albae euadere feruntur (LINN. *Amoen. acad. vol.* 9. *p.* 266.). Lente vero effectum exercet, nec ſine nauſea vomitu et torminibus, drachmae dimidiae vel vnius, quin, vt quidam volunt, drachmarum duarum ſupraque pondere, cuius ratio in reſinoſa tenacitate quaeritur. Vnde vſus ſenſim

deſueuit, ita vt hodie a medicis pro hominibus vix niſi in compoſitis quibusdam officinalibus pro ſtimulo augendo praecipiatur. Mulomedici vero adhuc eo vtuntur ad aluum eluendam, tam per os ingeſto, quam in clyſmate. Alpicolae circa Garexium, prae vicinitate Laricum Agaricum exſiccatum domi ſeruant, et in pulmento cum Pipere mixtum in omnibus fere morbis ſine diſcrimine adhibent. Alui mouendae cauſa et vomitionis excitandae cum oleo, rarius cum lacte, miſcent; eiusque ope expellunt hirudinem minutam cum aquis potatam, dira ſymptomata apud homines et pecora creantem (*Miſcell. Taurin. vol. 3. p. 203.*); qui effectus potius venenatae indoli huius hirudinis, quam morſui, a JACQUINO adſcribitur. Nec facile cautior imitabitur Ruſſorum hodiernum morem, qui pro emetico in febribus intermittentibus hunc fungum ingerunt, item reuellendi ſcopo in fluore albo foeminarum (PALLAS *l. c.*). Baſchkirri et Sibirici inſpergunt puluerem vlceribus equorum et boum, quo eadem detergant et verminoſam pullitiem deleant (IBID.).

Serius, tanquam commoda in ſudoribus colliquatiuis phthiſicorum medela, commendatus eſt. Huius generis exemplum narrat HAENIUS (*Rat. med.*

P. 12.

P. 12. *p.* 251. *ſqq.*), nempe monachi, qui phthiſicus praeuia mulierculae commendatione in pluribus fauſto ſucceſſu Agarici fruſtulum quotidie ingeſſit eoque ſudoribus emaciantibus et eneruantibus obicem poſuit. Quum HAENIUS vnicum modo caſum enucleatum ſiſtat, et ne doſin quidem definiat, alios modo ad iteranda tentamina excitare voluiſſe videtur. Huic conſilio ſtudium accommodauit cl. BARBUT (*Journ. de Medecine, tom.* 47. *p.* 512. *ſqq.*), qui triplici caſu vim ſudores profuſos nocturnos coërcendi confirmat. Horum vnus ſpectat ad ſudores, ex febre continua ſuperſtites, ſed trochiſcorum Agarici granis duobus in puluere cum cochleari aquae veſperi per tres dies captis, ſuperbibito aquae vitro dimidio in operario, ſublatos. In alio quatuor doſibus trochiſcorum eodem pondere et ordine exhibitis ceſſarunt ſudores phthiſici. In foemina phthiſica ad ſextam doſin recurrere opus fuit. — Minus fauens de Agarico iudicium format cl. QUARIN (*Animaduerſ. pract. p.* 91.), qui Agaricum (arbitror eum intellexiſſe trochiſcos Agarici) ad duo grana exhibitum contra ſudorem colliquantem phthiſicorum nunquam ſalutarem ſe reperiſſe, ſed oppreſſionem pectoris adeo potius inde auctam fuiſſe, teſtatur.

In puluere ſolus non fidus ob cauſas dictas, veteres eum cum vino, aqua, aceto, mulſo, dederunt. Eſt qui optime in infuſo vinoſo a drachma vna ad duas imo vnciam dimidiam praecipi putat (CARTHEUS. *Mat. med. vol.* 1. *p.* 589.). Ita additamentum aromatis commendabile viſum eſt (BREYN. *l. c. p.* 23.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TROCHISCI DE AGARICO a MESUE memorati, in paucis diſpenſatoriis pharm. hodie obuii. Qui in *Cod. med. Pariſ. p.* 605. exſtant Agaricum et Zingiber complectuntur.

EXTRACTUM AGARICI *Ph. Wurt. p.* 88. Eſt reſinoſum.

EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM CROLLII *Ph. W. p.* 94. Inter tot alia draſtica et Agaricus.

PILULAE HIERAE CVM AGARICO *Ph. W. p.* 139. Intrat farraginem Agaricus trochiſcatus. Hodie obſoleti.

PILULAE MASTICHINAE *Ph. W. p.* 140. PILULAE DE SUCCINO CRATONIS *l. c. p.* 141. *etc.*

PEZIZA.

P E Z I Z A.

LINN. *Syſt. veg.* p. 823. *Gen. pl.* p. 568.

576.

Pharm. AVRICVLA JVDAE ſ. FVNGVS SAMBVCINVS.

Peziza Auricula; concaua rugoſa auriformis LINN. *Syſt. veget.* p. 823. Tremella Auricula; ſeſſilis membranacea auriformis cinerea LINN. *Spec. pl.* p. 1625. Fungus membranaceus, Auriculam Judae referens ſ. ſambucinus C. B. Agaricum auriculae forma MICHELI *Gen. plant.* p. 124. *tab.* 66. *fig.* 1. Innaſcitur truncis vel ramis arborum vetuſtarum, praecipue Sambuco, vti et Oxyacanthae (teſte HALL. *Hiſt. ſtirp. Helvet.* p. 2220.), idque quidem parti, quae ſeptentrionem reſpicit (STEERBECK *Theatr. fung.* p. 256.).

Fungus membranaceus ad aurem externam humanam accedit figura et eminentiis intra ſinus caui. Humidus gelatinam refert tenacem pellucidam odoris mucidi, ſiccatus indureſcit et fragilis fit, ita tamen, vt aqua priſtinam flexilitatem, colorem, odorem, recuperet. Siccus membranaceus eſt, inſipidus, odoris expers, extus cinereus, interne

 nigri-

nigricans, ſaliuae lentorem aliquem conciliat. Colorem ſolutionis vitrioli martis nullo modo mutat. Perperam adſtringens cenſetur et exſiccans. Ad pernicioſos fungos refert CLUSIUS (*Rar. plant. hiſt. p. CCLXXVI.*). Sed neque venenata vis nec purgans illi adſcripta euidentibus experimentis comprobatur. Centies repetitum, in gargariſmis anginam diſſipare et ex aqua Roſarum ſ. ſimili vel vino impoſitum inflammationes, nominatim oculorum, discutere. Nec certius eſt auxilium in ſurditate aliisque auris affectionibus, ad quod figurae ſimilitudo credulos adduxit. Vtinam confirmatae eſſent aliae multiplicis generis virtutes, quas recenſuit ex ſcriptis auctorum JO. PHIL. BREYNIUS (*Diſſert. de fungis officinal. p.* 28. *ſqq.*).

577.

Pharm. CREPITVS LVPI ſ. BOVISTA.

Lycoperdon Bouiſta; ſubrotundum: lacerato dehiſcens LINN. *Spec. plant. p.* 1653. Lycoperdon ſaccatum cinereum polline obſcure viridi HALL. *Hiſt. ſtirp. Helvet. n.* 2172. Multis varietatibus, magnitudine, ſuperficie, figura, colore, diſtinctis ludit haec ſpecies, ad quarum cognitionem du-

cit

cit HALLERUS *l. c.* et HUDSON. *Fl. Angl. ed. 2. p.* 642. Ad nos pertinet Lycoperdon vulgare *δ*, ſ. Lycoperdon maximum SCHÄFFERI *Fung. Bav. tom. 3. t.* 294. Fungus maximus rotundus pulverulentus dictus Germanis Boviſt JO. BAUH. *Hiſt. tom. 3. p.* 848. Icon: REGNAULT *Botan.* La Veſſe de Loup. Exemplum praegrandis Bouiſtae exſtat in MARSILII *Fungi Carrarienſis Hiſtoria;* aliud in BENED. BERGII *Comment.* in *Kongl. Vet. Acad. Handl. vol.* 23. *p.* 324. cuius ambitus vlnas duas et digitos tres exaequauit, grauitas octodecim libras ſuperauit. Etenim aëre pluuioſo et ſolo pingui enormiter grandeſcit. Reperitur in pratis et paſcuis ſterilibus.

Tunicis tribus tegitur, intra quas medulla continetur, in iuniori fungo flaueſcens, ſolida, ſenſim in celluloſam compagem reſoluta, in qua pollen obſcure viridis, vel brunus, generatur, qui per orificium, in quod ſurſum ſponte fungus dehiſcit, praecipue ſub compreſſione excutitur. Compreſſus digitis vel calcatus pedibus crepat, vnde nomen. Prout ſiccatus ſeruatur leuis et liuidus eſt, puluere bruno repletus. Nec antea colligi debet, quam donec compages ſuccoſa in puluerem lentam tranſierit, dein loco ſicco ſeruandus.

Odoris aeque ac ſaporis expers eſt, nec colorem ſolutionis vitrioli martis mutat. Nulla neque alcalinae nec acidae naturae veſtigia vulgaribus tentaminibus, neque in puluere nec extracto aquoſo, deteguntur (BREYN. *Diſſ. de fung. officin. p.* 36.). Ineſſe tamen alcali volatile aeque copioſe, ac in vlla materia animali, deſtillatione cognitum (SCOPOLI in CRELLS *chem. Annal.* 1784. *vol.* 1. *p.* 335.). Oculis infeſtus puluis deprehenſus eſt, ita tamen, vt quidam ophthalmias arguant (MUYS apud BREYN. *l. c.*), alii coecitatem (Vulgaris opinio in Suecia. Vid. LINN. *Flor. Suec. p.* 460.). In lacte decoctus hic fungus muſcas interimit (BREYN. *l. c.*).

Plurimum celebritatis ſibi acquiſiuit vi, qua ad haemorrhagias ſiſtendas pollet. Quo fine valet tam puluis inſperſus ſauciatis vaſis, quam ſpongioſum et mollius eius tegmen applicatum. Ita conſopita ſunt profluuia ſanguinea varia interna, quorum fontem attingere valuit Bouiſta, vt ſtillicidium copioſum ſanguinis ex naribus, contra quod puluis vitello oui miſtus commode turundis illinitur (BREYN. *l. c. p.* 34.); haemorrhagia ex dente per congeſtionem ex ſpirituoſis largiter potis, quam vnice compeſcuit Bouiſtae fruſtum intruſum (TULP. *Obſerv.*

Obſerv. med. p. 90.); haemorrhoides profuſae, quibus ſuffecit peſſarii inſtar ano inſerta (FEL. PLATER. *Prax. tom.* 3. *l.* 2. *cap.* 5. *p.* 646.). Frequentius autem longe adminiſtratur in haemorrhagiis ex vulneratione vel amputatione arteriarum enatis. Magna hoc nomine iam dudum in exiſtimatione fuit apud chirurgos celebriores, vt FELICEM WURTZ, NUCK, MUNNIKS, VERDUIN, RAU (BREYN. *l. c. p.* 35.), qui ſedulo in praxi ſua hunc fungum in vſum traxerunt. Recentiori tempore fiduciam auxerunt experimenta ſollertia a cl. hippiatro LA FOSSE in equis dedita opera facta (de quibus a. 1750. academiam R. ſcientiarum certiorem reddidit), dum ſanguis exundans reſecta arteria temporali, amputato femore alterutro, item cauda praeciſa vel applicato fungi fruſtulo et firmato particula veſicae vel inſperſo puluere, fluere ceſſauit. Trucidato equo ecce in arteria comparuit membrana fere transparens cum thrombo conico, cuius apex interiora reſpexit (PARSONS in *Phil. Tranſ. vol.* 49. *P.* 1. *p.* 38. Tract. cl. LA FOSSE, patris, *Obſervations et decouvertes faites ſur les Chevaux* legere mihi non ſuppetiit. Confirmat efficaciam filius in *Dictionnaire raiſonné d'Hippiatrique, tom.* 2. *p.* 384. et *tom.* 3. *p.* 128.). Non autem in haemorrhagiis exiguarum arteriarum modo

modo conducit, ſed et ampliorum, adiuuante tantum modica compreſſione; cl. BISSET (*Medical Eſſays and Obſervations, p. 303.*) Agarico chirurgorum adeo praefert Bouiſtam. Stipticum dici non poteſt eo ſenſu, quo Gallas, Biſtortae radicem, Granatorum corticem, alumen, ita vocamus; hinc non coarctando vaſa vim ſuam praeſtat, ſed partim incraſſando ſanguinem, ſponte iam ad coagula pronum, tenuiſſimo, quem continet puluere, partim molli et ſpongioſa natura, qua ſeſe arctiſſime oſtio vaſis affigit, ligatura ſuffultus. Nempe applicato fruſto huius fungi ſuperimponitur aliud maius vel tunica fungi, et deligatio ſolito modo per faſciam perficitur.

DESIGNA-

DESIGNATIO SPECIERVM
IN QVINTO VOLVMINE CONTENTARVM.

ORDO XLIII. PALMAE.

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
497. Palma.	*Cocos butyracea.*	pag. 1
498. Dactyli.	*Phoenix dactylifera.*	6
499. Sagu.	*Sagus* RUMPH.	13

ORDO XLIV. PIPERITAE.

500. Piper nigrum; album.	*Piper nigrum.*	22
501. — longum.	— *longum.*	35
502. Cubebae.	— *Cubeba.*	37
503. Acorus verus. Calamus vulgaris.	*Acorus Calamus.*	39
504. Arum.	*Arum maculatum.*	44

ORDO XLV. SCITAMINEAE.

505. Zingiber.	*Amomum Zingiber.*	52
506. Cardamomum minus.	— *Cardamomum.*	61
507. Grana Paradiſi.	— *Grana Paradiſi.*	67
508. Galanga.	*Maranta Galanga.*	69
509. Curcuma.	*Curcuma longa.*	73
510. Coſtus.	*Coſtus arabicus.*	80
511. Zedoaria.	*Kämpferia rotunda.*	82

ORDO

ORDO XLVI. LILIACEAE.

Nomen pharmaceuticum.	Nomen ſyſtematicum.	
512. Lilium album.	*Lilium candidum.*	88
513. Scilla.	*Scilla maritima.*	91
514. Allium.	*Allium ſatiuum.*	122
515. Porrum.	— *Porrum.*	134
516. Victorialis longa.	— *Victorialis.*	135
517. Cepa.	— *Cepa.*	137
518. Aſphodelus.	*Aſphodelus ramoſus.*	140
519. Helleborus albus.	*Veratrum album etc.*	142
520. Sabadilli.	*Veratrum? Sabadilla.*	166
521. Aſparagus.	*Aſparagus officinalis.*	179
522. Ananas.	*Bromelia Ananas.*	186
523. Colchicum.	*Colchicum autumnale.*	193
524. Hermodactylus.	— *illyricum?*	215
525. Crocus.	*Crocus ſatiuus.*	220
526. Aloë.	*Aloës ſpecies variae.*	238
527. Lilium Conuallium.	*Conuallaria maialis.*	260
528. Sigillum Salomonis.	— *Polygonatum.*	263

ORDO XLVII. ENSATAE.

529. Iris Florentina.	*Iris Florentina.*	265
530. — noſtras.	— *Germanica.*	269
531. Acorus paluſtris.	— *Pſeud-acorus.*	275

ORDO XLVIII. ORCHIDEAE.

532. Salep.	*Orchis maſcula etc.*	278
533. Satyrium.	— *biſolia etc.*	292
534. Vanilla.	*Epidendrum Vanilla.*	297

ORDO XLIX. TRIPETALOIDEAE.

535. Sanguis draconis.	*Calamus Rotang etc.*	301

ORDO

ORDO L. CALAMARIAE.

	Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
536.	Sarſaparilla germanica.	*Carex arenaria.*	310
537.	Cyperus longus.	*Cyperus longus.*	316
538.	— rotundus.	— *rotundus.*	317

ORDO LI. GRAMINA.

539.	Triticum.	*Triticum hybernum.*	319
540.	Gramen.	— *repens.*	338
541.	Secale.	*Secale cereale.*	343
542.	Hordeum.	*Hordeum vulgare etc.*	360
543.	Auena.	*Auena ſatiua.*	383
544.	Saccharum.	*Saccharum officinarum*	390
545.	Milium.	*Panicum miliaceum.*	430
546.	Oryza.	*Oryza ſatiua.*	433
547.	Schoenanthus.	*Andropogon Schoenanthus.*	443
548.	Nardus Indica.	— *Nardus.*	445

ORDO LII. FILICES.

549.	Polypodium.	*Polypodium vulgare.*	449
550.	Filix mas.	— *Filix mas.*	453
551.	Filix foemina.	*Pteris aquilina.*	472
552.	Capillus veneris.	*Adiantum capillus veneris.*	475
553.	Lingua veruina.	*Aſplenium Scolopendrium.*	478
554.	Ceterach.	— *Ceterach.*	480
555.	Trichomanes.	— *Trichomanoides.*	481
556.	Ruta muraria.	— *Ruta muraria.*	482
557.	Equiſetum.	*Equiſetum aruenſe.*	483

ORDO LIII. MVSCI.

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
558. Lycopodium.	*Lycopodium clauatum.*	486
559. Muſcus erectus.	— *Selago.*	492
560. Adianthum aureum.	*Polytrichum commune.*	494

ORDO LIV. ALGAE.

561. Vſnea.	*Lichen ſaxatilis.*	496
562. Muſcus iſlandicus.	— *Iſlandicus.*	499
563. Pulmonaria arbor.	— *pulmonarius.*	520
564. Muſcus cumatilis.	— *aphthoſus.*	523
565. — — caninus.	— *caninus.*	524
566. — — pyxidatus.	— *cocciferus etc.*	529
567. Roccella.	— *Roccella.*	533
568. Muſcus arboreus.	— *plicatus.*	536
569. Quercus marina.	*Fucus veſiculoſus.*	537
570. Helminthochorton.	— *Helminthochorton* DE LA TOURR.	543
571. Conferua riuularis.	*Conferua riuularis.*	550

ORDO LV. FVNGI.

572. Agaricus muſcarius.	*Agaricus muſcarius.*	555
573. — quernus.	*Boletus igniarius.*	561
574. Fungus ſalicis.	*Boletus ſuaueolens.*	569
575. Agaricus albus.	*Boletus laricis.*	573
576. Auricula Judae.	*Peziza Auricula.*	583
577. Crepitus lupi.	*Lycoperdon Bouiſta.*	584

INDEX ALPHABETICVS STIRPIVM

QVINQVE VOLVMINIBVS PRAECEDENTIBVS COMPREHENSARVM

NOMINIBVS PHARMACEVTICIS SVPERSTRVCTVS.

A.

Abelmoſchus, vol. III. pag. 376.
Abies, I. 27.
Abrotanum foemina. Vid. Santolina.
— — *mas*, I. 116.
Abſynthium maritimum I. 128.
— — *ponticum*, I. 124.
— — *vulgare*, I. 117.
Acacia noſtras, III. 234.
— *vera*, II. 404.
Acanthus, II. 204.
Acetoſa, III. 492.
Acmella, I. 135.
Aconitum, III. 5.
Acorus paluſtris, V. 275.
— — *verus*, V. 39.
Adianthum aureum, V. 494.
Agaricus albus, V. 573.
— — *muſcarius*, V. 555.
— — *quernus*, V. 561.
Ageratum, I. 170.
Agnus caſtus, II. 195.
Agrimonia, III. 147.
Alchemilla, III. 149.
Alkanna vera, II. 85.
—— (*ſpuria*), II. 100.
Alliaria, II, 317.
Allium, V. 122.
Alnus, I. 72.
Aloe, V. 238.
Althaea, III. 396.
Ammi verum, I. 260.
— *vulgare*, I. 261.
Amomum, III. 316.
Amygdalae amarae, III. 256.
— — *dulces*, III. 247.
Anacardium occidentale, IV. 413.
— — *orientale*, II. 192.
Anagallis, II. 1.
Ananas, IV. 186.
Anethum, I. 288.

Anime, II. 432.
Aniſum ſtellatum (*Fructus*) III. 562.
Aniſi ſtellati cortex, III. 566.
Aniſum vulgare, I. 298.
Angelica ſatiua, I. 250.
— *ſylueſtris*, I. 254.
Anthophylli, III. 337.
Anthora, III. 29.
Anſerina, III. 135.
Apium, I. 303.
Aquifolium, IV. 10.
Aquilegia, III. 1.
Arbor vitae, I. 31.
Armoracia, II. 348.
Arnica, I. 157.
— *Suedenſis*. *V*. *Conyza media*.
Ariſtolochia anguicida, I. 358.
—— —— *fabacea*, II. 452.
—— —— *longa*, I. 351.
—— —— *rotunda*, I. 351.
—— —— *trilobata*, I. 357.
—— —— *vulgaris*, I. 356.
Artemiſia, I. 124.
Arthanita. *V*. *Cyclamen*.
Arum, V. 44.
Aſarum, I. 359.
Aſparagus, V. 179.
Aſphodelus, V. 140.
Aſſa dulcis. *V*. *Benzoe*.
—— *foetida*, I. 240.
Atriplex ſatiua, IV. 329.
Auena, V. 383.
Aurantium, III. 284.
Auricula muris. *V*. *Piloſella*.
—— *iudae*, V. 583.

B.

Badian. *V*. *Aniſum ſtellatum*.
Balauſtium. *V*. *Granatum*.
Balſamita mas, I. 132.
Balſamum meccanum. *Vid*. *Meccanum Balſ*.
—— *copaiuae*. *V*. *Copaiv*. *B*.
Barba hirci. *V*. *Tragopogon*.
Barbaraea, II. 318.
Bardana, I. 83.
Baſilicum, II. 155.
Beccabunga, II. 208.
Bedeguar, III. 174.
Been nux, II. 402.
Behen album, I. 94.
—— *rubrum*, I. 176.
Belladonna, I. 430.
Bellis maior, I. 149.
—— *minor*, I. 153.
Benzoe, IV. 540. 658.
Berberis, IV. 79.
Betonica, II. 158.
Beta rubra, IV. 278.
Betula, I. 69.
Bezetta coerulea, IV. 139.
Biſtorta, IV. 407.

Bombax,

Bombax. V. Goſſypium.
Bonus Henricus, IV. 267.
Borago, II 95.
Botrys vulgaris, IV. 270.
—— *mexicana*, IV. 273.
Bouiſta. V. Crepitus lupi.
Branca urſina (*perperam*), I. 256.
—— —— (*vulgo*), II. 204.
Braſſica, II. 329.
Bruſcus. V. Ruſcus.
Bryonia, I. 419.
Bugloſſum, II. 99.
Burſa paſtoris, II. 355.
Buxus, IV. 262.

C.

Cacao, III. 378.
Caieput (*Oleum*), III. 319.
Calamintha, II. 130.
Calamus vulgaris, V. 39.
Calcatrippa. Vid. Conſolida regalis.
Calcitrapa, I. 98.
Calendula, I. 174.
Campechenſe lignum, II. 429.
Camphora, IV. 445.
Camphorata, IV. 333.
Canella malabarica. V. Caſſia lignea.
—— *alba*, IV. 566.
Cannabis, IV. 608.
Caoutſchuc. V. Reſina elaſtica.
Capillus veneris, V. 475.
Capparis, II. 305.
Cardamine, II. 319.
Cardamomum, V. 61.
Cardiaca, II. 180.
Cardopatia. V. Carlina.
Carduus benedictus, I. 96.
—— *Mariae*, I. 86.
—— *tomentoſus*, I. 87.
Caricae, IV. 578.
Carlina, I. 88.
Carpathicus Balſamus, I. 14.
Carpobalſamum, IV. 46.
Carthamus, I. 90.
Carum, I. 292.
Caryophyllata, III. 122.
Caryophyllus aromaticus, III. 333.
Caſſia caryophyllata, III. 314.
—— *Fiſtula*, II. 395.
—— *lignea*, IV. 441.
Caſſiae Flores, IV. 417.
Caſtanea, I. 52.
Cataputia maior. V. Ricinus vulg.
—— *minor*, IV. 100.
Catechu (*terra*), II. 415.
Centaurium minus, II, 18.
Cepa, V. 137.
Ceraſa nigra, III. 209.
—— *rubra*, III. 205.
Cerefolium ſ. Chaerophyllum, I. 280.

Ceterach, V. 480.
Chamaedrys, II. 119.
Chamaemorus. V. Norrlandicae baccae.
Chamaepitys, II. 121.
Chamomilla noſtras, I. 143.
—— —— *romana*, I. 150.
Cheiri, II. 339.
Chelidonium maius, II. 300.
Chenopodium anthelminticum, IV. 275.
China (*Radix*), I. 339.
Chinchina (*Cortex*), I. 546.
Cicer, II. 372.
Cichoreum, I. 100.
Cicuta (*terreſtris*), I. 213.
—— *aquatica*, I. 271.
Cicutaria, I. 283.
Cina. V. Santonicum.
Cinnamomum, IV. 417.
Citrullus, I. 401.
Citrus, III. 265.
Coccognidium, IV. 634.
Cocculus indus, I. 343.
Cochlearia, II. 341.
Coffea, I. 386.
Colchicum, V. 193.
Colocynthis, I. 407.
Colubrinum lignum, I. 485.
Coneſſi. V. Profluuii cortex.
Conferua riuularis, V. 550.
Conuoluulus maior albus, I. 510.
Conſolida maior. Vid. Symphytum.
—— —— *media*, II. 123.
—— —— *regalis*, III. 31.
Conyza coerulea, I. 173.
—— *media*, II. 156.
Copaiuae balſamum, IV. 47.
Coriandrum, I. 278.
Cortex Peruuianus. V. Chinchina.
—— *Lauola. V. Aniſi ſtellati cortex.*
Corylus, I. 66.
Coſtus, V. 80.
Cotula foetida, I. 151.
Crepitus lupi, V. 584.
Crocus, V. 220.
Cubebae, V. 37.
Cucumis, I. 405.
—— *aſininus*. I. 413.
Cucurbita, I. 399. 401.
Culilawan, IV. 524.
Cupreſſus, I. 32.
Curcuma longa et rotunda, V. 73.
Cuſcuta, I. 194.
Cyanus, I. 93.
Cyclamen, II. 25.
Cydonia, III. 196.
Cyminum, I. 266.
Cynogloſſa, II. 102.
Cynosbatos, III. 172.
Cyperus longus, V. 316.

Cype-

Cyperus rotundus, V. 317.

D.

Dactyli, V. 6.
Daucus ſatiuus et ſylueſtris, I. 209.
—— *creticus*, I. 235.
Dentaria, I. 513.
Dictamnus albus, III. 108.
—— —— *creticus*, II. 139.
Diervilla, I. 385.
Digitalis, I. 490.
Doronicum, I. 167.
Dulcamara, I. 423.

E.

Ebulus, IV. 22.
Elaterium, I. 415.
Elemi, IV. 28.
Endiuia, I. 102.
Enula, I. 154.
Epithymum, I. 195.
Equiſetum, V. 483.
Eruca, II. 337.
Eruum, II. 371.
Eryngium, I. 206.
Eryſimum, II. 315.
Eſula maior, IV. 105.
—— *minor*, IV. 103.
Eupatorium, I. 133.
Euphorbiae variae, IV. 96.
Euphorbii Gummi, IV. 88.
Euphraſia, II. 186.

F.

Faba, II. 368.
—— *craſſa*. *V. Telephium.*
Fagus, I. 53.
Farſara, I. 139.
Filipendula, III. 118.
Filix mas, V. 453.
—— *foemina*, V. 472.
Flammula, III. 86.
—— —— *jouis*, III. 103.
Foeniculum aquaticum, I. 267.
—— —— *vulgare*, I. 287.
Foenugraecum, II. 386.
Fragaria, III. 142.
Frangula, IV. 5.
Fraxinus, III. 535.
Fumaria, II. 449.
Fungus melitenſis.
—— *roſaceus*. *V. Bedeguar.*
—— *ſalicis*, V. 569.
—— *ſambucinus*. *V. Auricula iudae.*

G.

Galanga maior et minor, V. 69.
Galbanum, I. 262.
Galega, II. 383.
Galium album, I. 373.
—— *luteum*, I. 371.
Gambogium. *Vid. Gummi guttae.*

Genipi album, I. 129.
—— *verum*, I. 169.
Geniſta, II. 360.
Gentiana alba, I. 247.
—— *rubra*, II. 11.
Geranium moſchatum, III. 396
—— *robertianum*, ibid.
Geum riuale, III. 132.
—— *vrbanum*. *V. Caryophyllata.*
Ginſeng, I. 330.
Glycyrrhiza, II. 374. 379.
Gnaphalium, I. 112.
Goſſypium. III. 367.
Gramen (*Radix*), V. 338.
Grana Paradiſi, V. 67.
Granatum, III. 262.
Gratiola, II. 197.
Guaiacum, III. 399.
Gummi arabicum, II. 404.
—— *ceraſorum*. *Vid. Ceraſa nigra.*
—— *guttae*, IV. 106. 654.
—— *Senegal*, II. 414.

H.

Hedera arborea, I. 307.
—— *terreſtris*, II. 174.
Heliotropii ſuccus, IV. 139.
Helleborus albus, V. 142.
—— —— *foetidus*, III. 70.
—— —— *niger*, III. 43.
—— —— *viridis*, III. 68.
Helminthochorton, V. 543.
Hepatica nobilis, III. 102.
Herba britannica, IV. 343.
Hermodactylus, V. 215.
Herniaria, IV. 331.
Hippocaſtanum, IV. 62.
Hirundinaria, I. 543.
Hiſpidula. *V. Gnaphalium.*
Hordeum, V. 360.
Hydropiper. *Vid. Perſicaria vrens.*
Hyoſcyamus, I. 444.
—— —— *albus*, I. 455.
Hypericum, III. 518.
Hyſſopus, II. 133.

I.

Ialappa, I. 502.
Iaponica terra. *V. Catechu.*
Iaſminum, II. 31.
Imperatoria, I. 254.
Ipecacuanha, I. 521.
Iris Florentina, V. 265.
—— *noſtras*, V. 269.
—— *paluſtris*. *Vid. Acorus paluſtris.*
Iuglans, I. 57.
Iuiubae, IV. 7.
Iuniperus, I. 34.

L.

Lacca, IV. 152.
Lactuca, I. 108.

Lada-

Ladanum, III. 514.
Lamium album, II. 178.
Lapathum acutum, IV. 341.
Lauendula, II. 135.
Lauroceraſus, III. 213.
Laurus, IV. 528.
Lens, II. 369.
Lentiſcus, I. 77.
Leuiſticum, I. 249.
Lignum ſanctum. *V. Guaiacum.*
Lilium album, V. 88.
—— *Conuallium*, V. 260.
Linaria, II. 183.
Lingua auis. *V. Fraxinus.*
—— *ceruina*, V. 478.
Linnaea, I. 397.
Linum, III. 474.
—— *catharticum*, III. 490.
Liquidambar, I. 67.
Lithoſpermum, II. 98.
Lobelia, I. 514.
Lupinus, II. 356.
Lupulus, IV. 621.
Lycopodium, V. 486.
Lyſimachia purpurea, III. 510

M.

Magellanicus cortex. *V. Winteranus cortex.*
Maiorana, II. 142.
Malabathrum, IV. 441.
Malua arborea, III. 363.
—— *vulgaris*, III. 364.
Mandragora, I. 441.
Mangoſtana, III. 525.
Manna, III. 542.
Marrubium album, II. 160.
Marum verum, II. 107.
Maſtix, I. 77.
Matricaria, I. 148.
Matriſylua, I. 374.
Mechoacanna, I. 507.
Melilotus, II. 384.
Meliſſa canarienſis, II. 157.
—— *citrina*, II. 127.
—— *turcica*, II. 157.
Meliſſophyllum, II. 131.
Melo, I. 403.
Mentha criſpa, II. 146.
—— *piperita*, II. 150.
—— *ſylueſtris*, II. 152.
Mercurialis, IV. 222.
Meſpili, III. 200.
Mezereum, IV. 628.
Milium, V. 430.
—— *ſolis.* *V. Lithoſpermum.*
Millefolium, I. 165.
Morſus diaboli, I. 179.
Morus, IV. 596.
Moxa. *V. Artemiſia.*
Mungos, I. 375.
Muſcus arboreus, V. 536.
—— *caninus*, V. 525.

Muſcus clauatus. V. Lycopodium.
—— *cumatilis*, V. 523.
—— *erectus*, V. 492.
—— *islandicus*, V. 499.
—— *pyxidatus*, V. 529.
Myrobalanus emblica, IV. 127.
Myrtillus, II. 73.
Myrtus, III. 312.
—— *Brabantica*, I. 73.

N.

Nardus. V. Spica indica.
Napellus. V. Aconitum.
Naphae Flores. Vid. Aurantium.
Napus, II. 336.
Naſturtium aquaticum, II. 309
—— —— *hortenſe*, II. 352.
—— —— *indicum*, IV. 77.
Nepeta, II. 156.
Nephriticum lignum, II. 402.
Nigella, III. 35.
Ninſi, I. 258.
Norrlandicae baccae, III. 153.
Nummularia, II. 9.
Nux vomica, I. 477.
Nymphaea alba, III. 532.

O.

Olibanum, I. 39.
Oliuae, II. 33.
Ononis, II. 365.
Opium, II. 219.
Opobalſamum. Vid. Balſ. de Mecca.
Opopanax, I. 286.
Opuntia, III. 342.
Orleana terra, III. 392.
Oreoſelinum, I. 236.
Origanum creticum, II. 140.
—— —— *vulgare*, II. 141.
Oryza, V. 433.
Oxycoccus, II. 72.

P.

Paeonia, III. 37.
Palma Chriſti. Vid. Ricinus vulgaris.
Palmae Oleum, V. 1.
Paralyſis. V. Primula veris.
Pareira braua, I. 344.
Parietaria, IV. 570.
Parthenium. V. Matricaria.
Paſtinaca, I. 284.
Pauanae lignum, IV. 149.
Pechurim Faba, IV. 549. *Cortex*, IV. 554.
Perfoliata, I. 306.
Perſica, III. 241.
Perſicaria vrens, IV. 409.
Peruuianus cortex. V. Chinchina.
Petaſites, I. 138.
Petroſelinum macedonicum, I. 262.

Petroſelinum vulgare, I. 301.
Peucedanum, I, 238.
Phu. V. Valeriana maior.
Phytolacca, IV. 335.
Piloſella, I. 111.
Pimenta. V. Amomum.
Pimpinella alba, I. 294.
—— *italica*, *Herba*, I. 188. *Radix*, I. 190.
—— *nigra*, I. 296.
Pinea, I. 13.
Pinus, I. 1.
Piper indicum, I. 475.
—— *jamaicenſe*. *V. Amomum.*
—— *longum*, V. 35.
—— *nigrum et album*, V. 22.
Piſtacia, I. 74.
Plantago latifolia, I. 190.
Polium creticum, II. 112.
—— *montanum*, ibid.
Polygala amara, II. 445.
—— *vulgaris*, II. 444.
Polypodium, V. 449.
Poma, III. 177.
Populus, I. 47.
Porrum, V. 134.
Portulaca, III. 354.
Primula veris, II. 22.
Profluuii cortex, I. 541.
Pruna, III. 227.
Prunella, II. 181.
Pſyllium, I. 193.
Ptarmica, I. 169.
Pulegium, II. 153.
Pulmonaria arborea, V. 520.
—— —— *maculata*, II. 97.
Pulſatilla nigricans, III. 93.
Pyrethrum, I. 152.
Pyrola, II. 79.

Q.

Quaſſia, III. 432.
Quercus, I. 61.
—— *marina*, V. 537.

R.

Radicula, II. 321.
Ranunculus albus, III. 91.
—— —— *bulboſus*, III. 88.
—— —— *paluſtris*, III. 82.
—— —— *pratenſis*, III. 75.
Rapa, II. 324.
Raphanus niger, II. 321.
—— *ruſticanus*. *V. Armoracia.*
Reſina elaſtica, IV. 167.
Rhabarbarum monachorum, IV. 346.
—— —— *ſibiricum*, IV. 356.
—— —— *verum*, IV. 362.
Rhamnus catharticus, IV. 1.
Rhaponticum, IV. 353.
Rheum. V. Rhabarbarum.
Rhodia, III. 353.

Rhodium

Rhodium lignum, II. 363.
Rhoeas, II. 212.
Ribes nigrum, III. 307.
—— *rubrum*, III. 304.
Ricinus maior, IV. 164.
—— —— *vulgaris*, IV. 195.
Roccella, V. 533.
Ros ſolis ſ. Rorella, III. 500.
Roſa ſylueſtris, III. 172.
Roſae damaſcenae, III. 157.
—— —— *rubrae*, III. 166.
Roſmarinus hortenſis, II. 171.
—— —— *ſylueſtris*, II. 75.
Rubia tinctorum, I. 363.
Rubus idaeus, III. 151.
Ruſcus, I. 341.
Ruta, III. 112.
—— *muraria*, V. 482.

S.

Sabadilli, V. 166.
Sabina, I. 41.
Saccharum, V. 390.
Sagu, V. 13.
Salep, V. 278.
Salix, I. 44.
Saluia, II. 164.
Sambucus, IV. 13.
Sandaracha, I. 34.
Sanguis Draconis, V. 301.
Sanicula, I. 207.
Santalum album, II. 87.
Santalum citrinum, ibid.
Santolina, I. 134.
Santonicum, I. 113.
Saponaria, III. 505.
Sarcocolla, I. 198.
Sarſaparilla, I. 334.
—— — *Germanica*, V. 310.
Saſſafras, IV. 534.
Satureia, II. 145.
Satyrium, V. 292.
Saxifraga alba, III. 355.
—— —— *rubra*, III. 118.
Scabioſa, I. 177.
Scammonium, I. 494.
Scilla, V. 91.
Schoenanthus, V. 443.
Sclarea, II. 170.
Scolopendrium. Vid. Lingua ceruina.
Scordium, II. 114.
Scorzonera, I. 103.
Scrophularia aquatica, II. 190.
—— (*vulgaris*), II. 188.
Sebeſten, II. 105.
Secale, V. 343.
Sedum maius, III. 350.
—— *minus*, III. 344.
Semperuiuum maius. V. Sedum maius.
Senecio, I. 172.
Senega, II. 436.
Senna, II. 388.

Serpen-

Serpentaria virginiana, I. 348.
Serpentum Radix, *V. Mungos.*
—— *Lignum*, I. 383.
Serpyllum, II. 126.
Seſamum, I. 493.
Seſeli creticum, I. 213.
—— *maſſilienſe*, I. 283.
Sigillum Salomonis, V. 263.
Siler montanum, I. 248.
Siliqua dulcis, II. 434.
—— *hirſuta*, II. 358.
Simaruba, III. 457.
Sinapi nigrum, II. 323.
Solanum, I. 427.
Soldanella, I. 512.
Sonchus, I. 110.
Sophia chirurgorum, II. 313.
Sorbus aucuparia, III. 203.
Spica celtica, I. 187.
—— *indica*, V. 445.
Spigelia (*Herba*), I. 378.
—— *marylandica* (*Radix*), I. 380.
Spina ceruina. *V. Rhamnus catharticus.*
Spinacia, IV. 327.
Squilla. *V. Scilla.*
Squinanthus. *V. Schoenanth.*
Staphiſagria, III. 32.
Stoechas arabica, II. 138.
—— *citrina*, I. 112.
Stramonium, I. 456.
Styrax ſ. Storax, II. 80.
—— *liquida*. *V. Liquidamb.*
Suber, I. 64.
Sumach, IV. 25.
Symphytum, II. 92.

T.

Tabacum, I. 464.
Tacamahaca, I. 50.
Tamarindi, II. 425.
Tanacetum, I. 130.
Taraxacum, I. 105.
Telephium, III. 348.
Terebinthina communis, I. 26.
—— —— *cypria*, I. 75.
—— —— *Veneta*, I. 16.
Tertianaria, II. 182.
Thalictrum, III. 107.
Thea Bohe et viridis, IV. 225.
Thlaſpi, II. 354.
Thus. *V. Olibanum.*
Thymelaea, IV. 639.
Thymus, II. 124.
Tilia, III. 527.
Tilli grana, IV. 149.
Tormentilla, III. 140.
Tragacanthae gummi, II. 380.
Tragopogon, I. 104.
Tribulus aquaticus, IV. 86.
Trichomanes, V. 481.
Trifolium fibrinum, II. 27.
Triticum, V. 319.

Tunica, III. 503.
Turpethum, I. 510.
Tuſſilago. *V*. *Farfara*, I. 139.

V.

Valeriana maior, I. 186.
—— *minor*, I. 180.
Vanilla, V. 297.
Verbaſcum (*Folia*), I. 487.
(*Radix*), I. 489.
Verbena, II. 209.
Veronica, II. 205.
Victorialis longa, V. 135.
Vinca Pervinca, I. 540.
Viola, I. 517.
Virga aurea, I. 170.
Viſcum, I. 199.
Vitis idaea, II. 69.
Vlmaria, III. 120.
Vlmus, IV. 601.
Vrtica, IV. 587.
—— *romana*, IV. 595.
Vſnea, V. 496.
Vua vrſi, II. 54.
Vuae, I. 310.
Vuluaria, IV. 276.
Vuularia, I. 342.

W.

Winteranus cortex, IV. 557.

X.

Xanthium, I. 141.
Xylobalſamum, IV. 46.

Z.

Zedoaria longa et rotunda, V. 82.
Zingiber nigrum et album, V. 52.

ERRATA ALIQVOT VOLVMINIS PRIMI.

pag. 80. lin. 3, 4. *lege*: ſacram anchoram. p. 478. lin. 5. 6. *leg*. Ignatii affinis quibusdam videtur.

VOLVM. QVARTI.

p. 110. lin. 9. *loco* eam *leg*. illud. p. 125. lin. vlt. *loco* haec *leg*. hoc. p. 443. lin. 4. *loco* Cinnamomi *leg*. Cinnamomum. p 486. lin. pen. *loco* plano *leg*. pleno. p. 643. lin. 6. *loco* terreſtris *leg*. arboreae. p 656 lin. 9. *loco* viridi *leg*. viuide.

VOLVM. QVINTI.

p. 39. 53. *loco* Hort. Malab. tom II. *leg*. tom. II. p. 80. l. 15. *loco* nomen *leg*. vox haecce, p. 220. 224. 525. *loco* de ſc. *leg*. des ſc.

JO. ANDREAE MVRRAY D.

EQVITIS ORD. REG. DE WASA
M. BRIT. REG. A CONSIL. AVL. PROFESSORIS MED. ET BOT. ORD. IN ACAD.
R. GOTTING. PRAEFECTI HORT. R. BOT. SOCIET. SCIENT. STOCKH. VPSAL.
GOTHENB. LVND. FLORENT. LVGD. DIVION. AVREL. HARLEM. ET VLISSING.
MEDIC. PARIS. NANC. ET HAVN. COLL. MED. EDINB. ATQVE SOCIET.
OECON. BERN. CELL. GEORGOPHIL. ET PARIS. MEMBRI

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM QVAM PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM IN PRAXEOS ADIVMENTVM CONSIDERATVS.

VOLVMEN SEXTVM.

POST MORTEM AVCTORIS
EDIDIT
LVDOV. CHRISTOPH. ALTHOF
MED. DOCT.

GOTTINGAE
Apud IO. CHRIST. DIETERICH.
1792.

LUDOVICUS CHRISTOPH. ALTHOF
M. D.

LECTORI BENEVOLO
S. D.

Prior huius voluminis pars, ea nimirum, quae de ſtirpibus, genere et ſpecie cognitis, agit, typis iam excuſa erat, cum praematura ſane, nec ſatis lugenda, quamuis praeuiſa, morte nobis eriperetur Auctor, eruditione haud vulgari praeclarus, tantisque in primis de materia medica meritis longe lateque conſpicuus. Altera pars, quae medicamina vegetabilia ignoti generis vel ſpeciei comprehendit, exarata quidem erat, ſed iterum perluſtranda, locaque paſſim ex ſcriptoribus citata iterum conferenda erant, antequam typothetae committi poterat. Hanc mihi paucis ante obitum horis tradidit beatus Auctor, vt recognitam prelo ſubiici curarem. Ea praeterea, pro ſingulari erga me beneuolentia, mecum communicauit, quae ad volumina priora augenda collegerat. Nihil itaque eſt in hoc volumine, ſi indicem excipias, quod non Auctori debeatur.

Indicem enim, quem in calce voluminis quinti adiecerat beatus Auctor, emendaui, locupletiorem reddidi, nominibus ſtirpium ſyſtematicis auxi, eaque ſuo loco inſerui, quae in hoc volumine continentur.

Quae autem de plantarum quarundam in prioribus voluminibus iam pertractatarum, viribus, nuperius vel primum, vel curatius perſpectis, commemoranda ſuperſunt; ea nouae huius operis editioni, quae propediem in lucem prodibit, reſeruantor.

Haec praemonenda putaui, ne quid immerito tribueretur editori.

Scripſi in Georgia Auguſta, menſe Martio MDCCXCII.

A.

Stirpes

in praecedentibus voluminibus omiſſae, ſed genere vel ſpecie cognitae, vt lege ordinum naturalium inſeri poſſint.

---

18. b.

(Vol. I. p. 64. pone Quercum Robur.)

Pharm. GALLAE TURCICAE.

Quercus Cerris; foliis oblongis lyrato-pinnatifidis, laciniis transuerſis acutis, ſubtus tomentoſis LINN. *Spec. plant. p.* 1415. Cerrus Robur III. CLUS. *rar. plant. Hiſt. p.* 18. *c. fig.* quae recuſa a DODON. *Pempt. p.* 825. Quercus cortice hiſpido glande minore C. B. Arbor exigua, interdum humanam altitudinem non ſuperans, in Mauritania, Hiſpania (Caſtella veteri CLUS.), Auſtria (CLUS. JACQU.), Galliae Burgundia (MILL.), locis montoſis creſcens.

GALLA et productum et domicilium inſecti cuiusdam eſt, Cynipis Quercus folii (LINN. *Syſt. regni*

anim. p. 918. *n.* 5.) et Cynipis Quercus inferae L. (*l. c. n.* 6.). Ineſt hisce ac tot aliis inſectis ea natura, quod ſtirpibus congeneribus delectentur. Ita e. c. Curculio Scrophulariae non vnam Scrophulariae ſpeciem conſumit, Chryſomela Gottingenſis pluribus Menthae ſpeciebus inhaeret, Cynips Roſae in variis Roſis effingit Bedeguar. Non mirum igitur, quod praeter vulgarem Quercum ſ. Robur L., in qua gallae hinc inde vere gignuntur (CLUS. *l. c. p.* 19.), nominatim in Suecia (LINN. *Skånska Reſa p.* 268. *Amoen. acad. vol.* 3. *p.* 324. *Syſt. animal. p.* 918.), item in Heluetia (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1626.), alias ſpecies occupet, vt vel illi, qui Cluſianas icones intuetur, comparet. Quod vero Quercum Cerrin praefigam, non ideo fit, quod CLUSIUS praegrandes huius gallas deſcribit, et tam frequentes, vt ramulus vix palmam ſuperans nouem vel pluribus gallis inſtruatur, ſed quod Gallis Turcicis hanc originem tribuunt varii (e. c. BERG. *Mat. med. p.* 739. *Ph. Edinb. nov. p.* 27. CULLEN'S *Treatiſe of the Mat. med. vol.* 1. *p.* 201.). Cuius quidem aſſerti rationem equidem aeque parum hactenus noui, ac eius, quod Quercus Aegilops L. etſi non ſine adiuncta dubitatione alibi (*Diſpenſ. Brunſ. p.* 76.) aſſignetur. In pluribus Quercus partibus Cyni-

Cynipes tubercula generant, in foliis, petiolis, pedunculis, ramulis, cortice, gemma, bacca. Gallae, quae in inferiori foliorum ſuperficie Quercus Roboris in Suecia generantur, magnitudinem Auellanae habent, globoſae, opacae, rubrae (LINN. *Syſt. l. c.*). Mirum in Britania non reperiri (ALSTON's *Mat. med. vol. 2. p.* 286.). Quas CLUSIUS (*l. c.*) deſcribit et depingit, Quercui Cerri L. inhaerentes, tantum non omnes ramulis inſident, praegrandes ſunt, exigui mali magnitudinis, ſphaericae, aliquot tuberculis reſperſae, rubentes, dum recentes ſunt.

Nimirum Cynips foemina aculeo caudae perforat epidermidem et ouula deponit, quae ſtagnationem et accumulationem ſuccorum gignunt, ſimulque, dum hi ſenſim indureſcunt, domicilium aptum laruarum et pupparum effingunt, donec hae inuolucro depoſito forma muſcae clauſtra foramine ſolventes auolent. Europaeae gallae plerumque non indureſcunt et deteriores ſunt, attamen atramento in commodo connubio idoneae (HALL. *l. c.*). Praeſtantiores ex Aſia minori, nominatim Alepo, aduehi ſolent, quae plerumque coloris coeruleſcentis vel nigreſcentis ſunt, vel griſei, ſuperficiei inaequalis et verrucoſae, et exiguo pedunculo ex inſertione

inſtructae. Iuniores colorem profunde coeruleum prae ſe ferunt, ponderoſiores, texturae firmioris et ſummae efficaciae. Aetate prouectiores et per inſectum iam egreſſum perforatae, intrinſecus eroſae, leues, flauidae et vilioris pretii exiſtunt. Hinc et mercatores has ipſas tingunt colore coeruleo, vt iuniores referant; ſed dignoſcuntur foramine et colore iuſto profundiori et craſſius illito (FABRICII *Briefe aus London, p.* 229.). Neceſſe igitur eſt, colligere gallas, antequam inſectum illas perforauerit (DU HAMEL *Traité des arbres vol.* 2. *p.* 210.). Externa ſeu corticalis pars durior eſt et fortior, quoad virtutem, quam interna friabilis.

Sapor valde acerbus et ſtipticus, odore nullo. Et aqua et ſpiritus vini extrahit particulas adſtringentes, quae inſpiſſando coadunantur, ita tamen, vt ſpiritus parciorem quantitatem extracti largiatur, ſcilicet $\frac{3}{4}$, idque magis adſtringentis, aqua maiorem, ſcil. $\frac{7}{8}$ (NEUM. *Chemie, vol.* 2. *P.* 2. *p.* 346.). Aqua infuſa eruitur ſal griſeum, acidum, cuius vncia dimidia pro ſolutione requirit vnciam vnam et dimidiam aquae feruidae, vel vncias duodecim frigidae; ſpiritu vini facile ſoluitur; igne aperto flammam facile capit; deſtillatione ſublimatum offert,

refe-

referens Sal Benzoës, vt alias dotes ſilentio transeam (SCHEELE *Vet. Acad. Handl.* 1786. *p.* 30 *ſq.* Cf. RICHTER in CRELL'S *Annal.* 1787. *vol.* 1. *p.* 139.). Vix vllum ſtipticum vegetabile hocce potentius exſtat, quae ipſa eius natura ex matrice, ſiue Quercu ipſa, deriuanda, nihil animalis admiſcetur. Hinc in connubio vitrioli martis nigredinem profundam inducit, et vulgatiſſimum additamentum pro parando atramento ſcriptorio praebet. Apud veteres materies pingendarum litterarum varii quidem coloris erat, ſed niger color apud hosce quoque vſitatiſſimus, qui quidem vetuſtiori tempore ex aliis rebus, quam quibus nos vtimur, obtinebatur (De quo argumento CANEPARIUS *de atramentis cuiuscunque generis,* cuius *editio Roderot.* 1718. iam praeſto eſt, et recens auctor WEHRS *vom Papier, p.* 581 *ſqq.* conſulendi.). Interim experimentis factis in codicibus a ſeculo nono ad decimum quintum vsque manu ſcriptis conſtitit, atramentum ſimile noſtro in vſu fuiſſe (BLAGDEN in *Phil. Tranſact.* 1787. *p.* 451.). Compendiarius vſus maxime commendat vulgare noſtrum atramentum ex vitriolo martis, gallis, gummi arabico et liquido commodo, quod vulgo aqua eſt. Vitriolum martis aqua ſolutum decomponitur ſenſim, et ochram in fundum dimittit ea

proportione, qua phlogiſton ferri diſpergitur. Addita autem vegetabili quadam ſubſtantia ſtiptica, vt gallis, quae aliquid phlogiſtici continent, particulae ferreae attrahuntur ab ea, et combinantur cum ea, vnde nigredo. Ne vero vtraque pars fundum vna petat, mucilaginoſum vel glutinoſum requiritur, quod aquam tam ſpiſſam reddit, vt dimittere dicta non poſſit. Simul eo praecauetur, ne liquidum per chartam penetret. Praeſtat in hunc ſcopum mucilaginoſum vegetabile, vt gummi quoddam, quum gluten animale putredinem et foetorem excitet. Vt vero color tam profundus quam durabilis fiat, ſcita proportione partium opus eſt, ſcilicet gallarum vncia vna et dimidia, vitrioli vncia dimidia, aquae vnciis viginti (Conf. RINMAN's *Förſök til Järnets Hiſtoria, p.* 670 *ſq.*). Id taedium parit, quod ſaepe nigredo litterarum ſenſim palleſcat, vel plane deleatur, praecipue ſi ab acceſſu aëris illae arceri nequeant. In conſeruanda iſta videntur veteres recentioribus antecelluiſſe. Reſuſcitatur ſcriptura optime per lixiuium ſanguinis primo illitum, ſuccedente poſtea cautâ illitione acidi debilis; ne vero nigredo rediuiua exundet, charta bibula applicata abſorbere oportet ſuperfluum liquidum (BLAGDEN in *Phil. Tranſ. l. c. p.* 455.). Alius ſolutionem

tionem vinoſam gallarum litteris illinendam in hunc ſcopum commodam declarat (CRELLS *chem. Annalen* 1786. *vol.* 2. *p.* 545.). Non minus emolumentum redundat ex miſcela vitrioli martis et gallarum ad tingenda fila et texta lanea, ſericea, goſſypina, lintea (Vid. LEWIS *phil. Commerce of arts, p.* 403 *ſq.* POERNER *chem. Verſ. zum Nutzen der Färbekunſt, vol.* 1. *p.* 351. RINMAN *l. c. p.* 637.), item coria, cornua aliasque materies, vt adeo in arte tinctoria praecipuam baſin pro colore nigro producendo conſtituat, et pro varia proportione mox niger, mox violaceus, mox brunus emergat.

Tinctura gallarum, ex puluere earum et ſpiritu vini parata, ferrum in aquis ſolutum detegitur. Vncia dimidia gallarum ruditer contuſa digeri poteſt cum ſpiritus vini vnciis duabus ſubſequente colatione. Color non debet eſſe nimis ſaturatus, ſed quo debilior eſt, eo ſenſilior (WESTRUMB *kleine phyſik. chem. Abhandl. vol.* 1. *P.* 2. *p.* 85.). Si ferri exiguum ineſt, enaſcitur pupureus color, ſi multum, niger; quin ſi vel tria modo grana vitrioli martis in cantharo aquae ſoluuntur, haec per vnicam iam tincturae guttam manifeſte intra quinque minuta prima purpuraſcit, quum tamen in tribus vitrioli granis ferrum nonniſi $\frac{1}{24}$ grani efficiat (BERGM. *Opuſc. vol.* 1. *p.* 97.).

p. 97.). Hinc ad copiam ferri in acidulis martialibus ſi arte parari debent, determinandam eiusmodi tinctura conducit. Vſus fuit cl. MONRO (*Medic. Eſſays and Obſervations of Edinb. vol.* 3. *p.* 51.) in hunc ſcopum tinctura gallarum aquoſa ſaturata, cuius primo tantum aquae cuidam martiali natiuae ex menſura definitae guttatim inſtilletur, donec color non amplius mutetur. Hisce factis aequalis numerus guttarum tincturae gallarum inſtillatur aquae ſimplici, iam in mineralem factitiam vertendae, intra vitrum ſimilis dimenſionis, craſſitiei et pelluciditatis, et dein tot guttae ſolutionis vitrioli martis inſtillantur aquae, quot requiruntur, vt color idem ſit ac aquae mineralis. Explorata hac ratione ſemel ferri quantitate neceſſaria in exigua aquae copia, poſtea iuſtum ferri pondus pro impraegnanda magna aquae quantitate facile definitur. Sed quum aquae ferrum vehentes aliis etiam partibus imbutae ſint medicamentoſis, aëre fixo, ſalinis, hasce addere in factitiis omnino opus eſt. Quomodo id fiat, nemo concinnius expoſuit etiam poſt fata ſummae laudabili BERGMANO, qui initium encheireſeos ab impraegnatione aquae per aërem fixum facit, et ferrum immutatum adhibet (*Opuſc. vol.* 1. *p.* 212. *ſq.*).

Ineunte

Ineunte ſeculo praeſenti in Gallia a cll. RENEAUME et HOMBERG gallae commendabantur contra febres intermittentes ex multis, vt fertur, documentis felicis euentus, et in eo cortici Peruuiano praeferendae iudicabantur, quod amaritie careant, calorem non accendant, minori doſi valeant, recidiuis aegrius locum concedant, et paruo pretio veneant. Argumentis conuellere dicta tanto minus opus eſt, quum alii medici Gallici BOULDUC, LEMERY, pater et filius, et GEOFFROY, experientiam ſibi pluribus caſibus aduerſam opponant (*Hiſt. de l'acad. R. d. ſc.* 1711. *p.* 37.). Metuo ſtiptica fortiora in febrium intermittentium curatione, quum ſuffocent potius febres, quam ſanent, et obſtructiones viſcerum ciere ſoleant. In miſcela tamen Gentianae vel aliorum amarorum nihil mali gallae attulerunt (CULLEN's *Treatiſe of the Mat. med. vol.* 2. *p.* 46.). Flatibus in inteſtinis ex relaxatione collectis, et dolores lateris vel ventriculi, vomitum, meteoriſmum, tuſſim &c. cientibus, profuerunt in mixtura ex gallarum granis decem ſenſim aſcendendo ad drachmam vnam, aquae deſtillatae vnciis ſex cum ſyrupi cuiusdam vnciis tribus, cochleatim longioribus interuallis vel breuiori horae exhibita in Gallia (GODART in *Journ. de Med.* 1778. *p.* 242. 367.).

Aluum non conſtipauit, quin in multis ſoluit, et praecaueri hoc poteſt purgante per vices dato (*l. c. p.* 369.). Decoctum earum in clyſmate profuit in doloroſis affectionibus lumborum et coxae ex relaxatione inteſtini recti, qua ſaepe congeſtiones haemorrhoidales excitantur (*l. c. p.* 371.). Conſpirat egregie cum hisce vltimo loco dictis vſus gallarum in Scotia in haemorrhoidibus coecis, dum vel vnguentum ex pulueris ſubtilis gallarum et axungiae porcinae vel butyri aequalibus partibus illinitur (Ita BELL in *Syſtem of Surgery, vol.* 2. *p.* 257. CULLEN *l. c. p.* 46. vero octuplum axungiae deſiderat), vel ſi ſedes valde alta in inteſtino recto eſt, infuſum ſaturatum gallarum immittitur. Externa decocti, inſtar epithematis vel in iniectione, applicatio ad relaxatas partes confirmandas, vt in prolapſu ani vel vteri, haud rara eſt.

CYNARA

CYNARA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 607. *Gen. pl. p.* 410.

31. b.

(Vol. I. p. 88. pone Onopordum Acanth.)

Pharm. CYNARAE *Capita virentia; Folia.*

Cynara Scolymus; foliis ſubſpinoſis pinnatis indiviſisque, calycinis ſquamis ouatis LINN. *Spec. pl. p.* 1159. Cinara hortenſis foliis non aculeatis C. B. Icon: BLACKWELL's *Herbal tab.* 458. Perennis, in agris Italiae, Siciliae, inferioris Galliae ſpontanea.

Sed colitur in hortis, per hyemem apud nos fimo obtegenda, et praecipue quidem ob CAPITA, quae magnitudine antiſtant omnibus reliquarum ſtirpium affinium. Sed vel huius reſpectu varietates exſtant capitibus grandioribus, item minoribus. Reſecantur capita ante floſculorum coeruleorum eruptionem; tumque baſi ſquamarum calycinarum adhaeret interius caro ſuccoſior et receptaculum florum diſcum conſtituit craſſiorem ſuccoſiorem. Coctione vtraque pars emollitur, et ſapore ex amaricante dulci placet, praecipue receptaculum, in connubio ſapidi embammatis ex ouis, butyro, ſale vel ſimilibus. Reliquum, dentium imperio obnitens, reiici-

reiicitur. Quidam frixis capitibus vtuntur. Alii cocta poſt refrigerium cum oleo, aceto et pipere ingerunt. Taedium ſub eſu Cynarae potius quam inſalubrem eius naturam accuſandam arbitror; attamen ſuccum biliosſum inde gigni et melancholicum GALENUS arguit. Facile contra digeritur, nec ob mucilaginis tantillum, quod cum dulcedine copulatur, nutriendi vi omnino caret. Arabes lotium inde pelli notarunt, et ſic corpus a ſordibus liberari; putidam adeo vrinam inde reddi et venerem ſtimulari SEBIZIUS (*de aliment. facult. p. 346.*). — Floſculi recentes aqua frigida macerati per duo nychthemera admixto tantillo ſalis veſci lac coagulant (YOUNG *Diſſ. de lacte* in SANDIFORT *Theſ. diſſ. vol. 2. p. 534.*). Hinc et Arabes et Mauri eosdem pro parando caſeo adhibent (SHAW's *Travels, p. 241.*).

FOLIA. Horum et quidem maiorum inferiorum coſtae elixae, vt alia olera, comedi ſolent.

Memoranda vero hic praecipue ſunt ob ſuccum, qui in hydrope a quibusdam extollitur. Huius et vini maderaici ope partes aequales ad tria cochlearia mane et veſperi intra hoc malum feliciter hauſtae (*Journal etranger.* Excidit locus.). Magnum praeſidium etiam ſimilis miſcela fuit in Dania,

nia, e. c. ſucci vnciae quatuor cum vino generoſo (AASKOW in *Act. ſoc. med. Havnienſ. vol.* 1. *p.* 201.), praeſertim in hydrope ſcorbutico.

43. b.

(Vol. I. p. 110. pone Lactucam ſatiuam.)

Pharm. LACTVCAE SYLVESTRIS *Herba.*

Lactuca viroſa; foliis horizontalibus carina aculeatis dentatis LINN. *Spec. pl. p.* 1119. Lactuca ſylueſtris odore viroſo C. B. Θϱιδαξ ἀγϱια DIOSC. vt videtur. Icon in COLLIN *Obſerv. circa morb. P.* 6. Pl. biennis, in aggeribus et ſepibus Europae auſtralioris creſcens.

Scatet, vt congener Scariola, lacte amaro acri, viroſo, quae ſpecies igitur natura ſua deflectunt a reliquis ſemifloſculoſis et tuentur nequitiam aliarum lacteſcentium ſtirpium. Viroſa dicta cenſetur efficacior quam altera. De iſta ſcimus ipſos vapores inebriare itidem comeſtam id facere (HALL. *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 15.). Lac eius prout cum papauerino conuenit odore et ſapore, ita probabile hanc Lactucam fuiſſe, quae antiquitus (DIOSC. *M. m. lib.* 4. *c.* 65.) opio lucri fraudulenti cauſa admiſta fuit, quin etiamnum ſubinde admiſceri.

Sed

Sed alia eaque potior ratio, cur peculiari commentatione eam proſequar, continetur vi, quam in hydrope aliisque quibusdam morbis recentius illam exſeruiſſe narratum eſt. COLLINUS (*libro cit.* qui vnice de huius viribus agit, edito a. 1780.) primus ad eam tentandam animum aduertit, vſus quidem, vt refert in libro ipſo, Lact. Scariola, depingens autem in tabula Lactucam viroſam, in quam bene deſcriptio amplior HALLERI (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 15.) quadrat. Hic etiam declarat verius pro varietatibus vnius eiusdemque ſpeciei, quam peculiaribus ſpeciebus haberi. — Male a rhizotomis vel pharmacopolis huic ſubinde Sonchus oleraceus L. ſubſtituitur.

Vt autem initio ſtatim noſcatur, qua ſpeciatim de re ſermo ſit, monendum herbae ſuccum in extracti denſitatem inſpiſſatum adhiberi. Scilicet ſuccus ex recenti planta et antheſi vicina expreſſus, et per nychthemerum loco frigido ne fermenteſcat ſeruatus, decantatur, et, poſtquam ebulliuerit per aliquot momenta, colatur et ope albuminis ouorum et traiectione per pannum laneum depuratur, et dein leni igne ad dimidium euaporatur; ab igne remotus et refrigeratus ſecunda vice per albumen ouorum breui coctione praegreſſa per pannum traiicitur,

tur, clarior redditur, demum leni igne in extracti ſpiſſitudinem denſatur. Eiusmodi extractum non raro ſpiculis ſalinis micat. Ideo autem depuratio tam ſollicite peragitur, vt particulae terreae, quibus obuelantur ſalinae, a quibus ſumma vis, plurimam partem auferantur (COLLIN. *l. c. p.* 14. *ſq.*). Neglecta depuratione iuſta, dupla vel tripla doſi opus eſt. Conſerua herbae recentis inanis reperta (JOSEPH. DE PLENCIZ *Act. et obſerv. med. p.* 107.). Ex multo maiori numero 24 caſibus praeſtantiam huius extracti confirmare annìſus eſt COLLINUS, initio experimentorum inde ab anno 1771. facto. Hoc ipſum materiam lentam glutinoſam viſcera obſtruentem attenuat, ſoluit, et idoneam reddit, vt per lotii vias, cutem, vel, ſi pulmones obſederit, per ſcreatus reiiciatur. Icterum a tali vitio in hydropicis natum feliciter curat ſimulque bilis vices ſupplet. Praecipue autem in hydrope valuit, ſiue ille ab eiusmodi viſcido obſtruente ſiue nimia laxitate ſolidorum et humorum diſſolutione originem traheret. Sufficit interdum in hiſce quotidie grana octodecim, viginti, triginta capere, qua minori doſi in vitio diſſolutionis et laxitatis acquieſcere licet. Inueteratae autem viſcerum obſtructiones maiores doſes ſibi vindicant, a drachma vna ad tres. Nec

maior

maior doſis nocet, licet omnino nauſeam excitet. Sub decurſum curationis vrinam pellit, ſaepe etiam ſudorem copioſe. Aluum plerumque ſimul mollem reddit, non vero diarrhoeam ciet. Raro opus eſt, hydrope ſublato, roborantia ſubiungere, ſubinde tamen id neceſſe videtur. Sub vſu ipſo autem creber potus non negligendus eſt.

Fatendum omnino pauciores imitatores experimentorum excitaſſe hanc ſtirpem, quam multas alias Vindobonae primum celebratas; ſaltim euentus peregrinorum a pauciſſimis publici iuris factus eſt. Vnicum caſum modo ſiſtit cl. JOSEPH. A PLENCIZ (*l. c.*), in quo extractum cito efficaciam ſuam prodidit. Aduerſum illi eſt iudicium L. B. A QUARIN (*Animadv. pract. p.* 188.), qui ſaepe in hydrope queritur fruſtra propinatum, addens qui huic remedio fauerent, vt eius famam tueri poſſent, extracti Scillae magnam doſin admiſcuiſſe. COLLINUS eiusmodi connubium non memorat.

Media via ſemper ſoleo inter magnas laudes et magna vituperia virium medicaminum ire. Et in hocce conſilio ratione ſtirpis, de qua agitur, confirmor cl. DURANDE (*Hiſt. de la Soc. R. de med. tom.* 2. *p.* 297.) experientia, qui ſucceſſu in hydrope ſe

quidem

quidem deſtitutum hacce Lactuca dolet, ſed ob anodynam et aperientem efficaciam ſub variis conditionibus ſalutarem haud parum inuenit; nominatim in febribus intermittentibus, in quibus ſtimulus bilioſus neruos irritat, in colica hepatica et affectionibus aliis doloroſis.

GLOBVLARIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 119. Gen. pl. p. 47.*

84. b.

(Vol. I. p. 179. pone Scabioſam Succiſam.)

Pharm. ALYPI *Folia.*

Globularia Alypum; caule fruticoſo, foliis lanceolatis tridentatis integriſque LINN. *Spec. pl. p.* 139. Thymelaea foliis acutis, capitulo Succiſae C. B. Hippogloſſum valentinum CLUS. *rar. pl. hiſt. p.* 90. *c. fig.* Alypum monſpelienſium, ſ. Frutex terribilis JO. BAUH. *Hiſt. pl. vol.* 1. *p.* 598. NISSOLE *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris* 1712. *p.* 341. *tab.* 18. Globularia fruticoſa, myrti folio tridentato GARID. *Hiſt. des plantes d'Aix, p.* 210. Suffrutex in Gallo-Prouinciae, Valentiae et Murciae, item Italiae, ſyluis ad rupes et ſaxoſa creſcens.

 Habent

Habent pleraeque regiones medicamina quaedam ſibi familiaria, quae alibi ſaepe vix nomine nota ſunt, in ampliori recenſu autem omitti nequeunt, dum certiora quaedam, quam vulgo per itineratores licet, de iis in medium proferri poſſunt. Haec eſt ratio, cur et Alypum reliquis ſtirpibus interſeram, quod quidem in Gallo-Prouincia praecipue medico vſu inclaruit.

Amarities inſignis ſtirpis iam dudum notata, nec vis efficaciter aluum mouens latuit praecedentia tempora (v. clus. jo. bauh. *loc. citt.*). Quin cum Tithymalo comparata (j. b.). Placuit quoque olim empiricis in Gallo-Prouincia, Sennae eam ſubſtituere, ſed ambiguo euentu, ob draſticam eiusdem vim (nissole *l. c. p.* 342.). A circumforaneis eius Hiſpaniae regionis, quae olim Baetia dicta, decoctum lue venerea affectis quondam non ſine magno ſucceſſu oblatum fuit (clus.). Sed neque ex horum experimentis multum bonae frugis capi poteſt, neque ex aliis ſerioribus ruſticorum Gallo-Prouinciae, quibus cognoſcitur puluerem Alypi ad pondus drachmae vnius (garidel *l. c.*), vel infuſum ex eius drachmis duabus et aquae drachmis octodecim circiter factum (tournefort apud garidel *l. c.*), absque

que hypercatharſi vim exercuiſſe. Oportuit accedere medici attenti examen, quod ipſum iamiam nobis ſuppetit, a cl. RAMEL M. D. praeſtitum (in *Journ. de Medec.* 1784. *tom.* 62. *p.* 379. *ſq.*). Hic ipſe herbam non ſolum ruſticis ibidem hodie vſitatam alui purgandae cauſa nouit, ſed ipſe tam in noſocomio quam apud ciues oppidi Gallo-Prouinciae inferioris Aubagne ſaepiſſime adhibuit, item in ora Africana. Sic igitur Alypum ſordes primarum viarum, ex tono labefactato collectas, egregie euerrit; diarrhoeas ex eadem cauſa ſubnatas compeſcit; hydropes relaxatione et diatheſi aquoſa humorum oriundos tollit (*l. c. p.* 382.). Sed praecipue efficaciam ſuam declarat in febribus intermittentibus (*l. c. ſq.*), duplici ſua natura, qua et ſordes eliminat et roborat. Praecedit in curatione eius talis adminiſtratio, vt aluum moueat, quo fine foliorum eius drachmae duae cum ſale cathartico et manna iunctim dantur; ſordibus rite ſubactis Alypum ſolum inſtar febrifugi in decocto propinatur, ſcilicet ex foliorum vncia dimidia, per quadrantem horae in tribus vnciis aquae cocta, parato, hocque colato et in duas partes diuiſo, quarum vna capitur mane, altera paullo ante paroxyſmum vel quarta hora poſt meridiem. Nimium ſi purgat, diminuenda doſis

 eſt.

eſt. Nolo addere plura, quae ex coniectura probabili vnice petita videntur. Scopo purgandi vncia vna decocti conceditur. Sicciores additamento drachmae dimidiae cremoris tartari opus habent; palato velificamur additis aliquot ſegmentis mali citrei. Nec delicatiores abhorrent in prouincia Galliae ſignificata ab vſu huius remedii; nec nocet hominibus ſyſtematis neruoſi ſenſilioris (*l. c. p.* 386.).

PARIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 315. *Gen. pl. p.* 198.

142. b.

(Vol. I. p. 142. pone Ruſcum Hypogloſſum.)

Pharm. PARIDIS *Herba; Radix.*

Paris quadrifolia; LINN. *Spec. pl. p.* 526. Solanum quadrifolium bacciferum C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 139. Planta perennis locis nemoroſis creſcens et ineunte aeſtate florens.

Suſpecta planta, colore lurido, odore viroſo et narcotico. Gallinas fructus necant (C. GESNER, *Epiſt. p.* 99. *a*, ex peregrina narratione). Nec omnino nullum nociuae naturae argumentum deſumi poteſt ex nominibus vernaculis, quorum Wolffsbeere, Raiſin

ſin de Renard, Trollbär (Suec. h. e. baccae faſcinatoriae) exempla praebent. Sed maneamus in iis, quae in corpore humano comperta ſunt, etſi paucioribus documentis, quam rei pondus requirit. Opio aemula FOLIA et fructum declarat C. GESNERUS (*l. c. et p.* 53. *a.*), et recepta ſtirps in antidotum Saxonicam. Haec ipſa compoſitum remedium erat (*l. c. p.* 99. *a.*), hinc experimentum, quod in ſe ipſe cum eadem cepit, non ad ſolam Paridem applicari poteſt. Inclyta illa antidotus olim contra peſtem erat, in qua notum opii olim magnam fiduciam fuiſſe. Plura diſcimus ex propriis cl. BERGII (*Mat. med. p.* 313.) periculis, qui pulueris foliorum ſiccatorum ſcrupulum vnum quauis veſpera pueris 10 vel 12 annorum tuſſi conuulſiua correptis dedit, vnde alvus leniter fluxit, ſomnus pacatior euaſit, ſymptomata aliquantum mitigata. Conuulſiones ſaepe hocce puluere compeſcuit.

RADIX filiformis, geniculata, craſſitie culmi frumentacei, extus albido bruna, interne alba. Vomitum dupla Ipecacuanhae doſi excitare, iam dudum notauerat ſummus LINNEUS (*Fl. Lapp. p.* 117.). Nuperius id confirmatum, dum grana 35 ad 50 modicum modo effectum praeſtiterunt (COSTE et WILLEMET *Eſſays ſur quelques plantes indigenes, p.* 12.).

CYTINVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 688. *Gen. pl. p.* 506.

151. b.

(Vol. I. p. 362. pone Aſarum Europaeum.)

Pharm. HYPOCISTIDIS *Succus.*

Cytinus Hypociſtis; LINN. *Syſt. veg. l. c.* Aſarum Hypociſtis *Spec. pl. p.* 633. Hypociſtis C. B. Hipociſtis flore luteo TOURN. *Coroll. p.* 46. *tab.* 477. DU HAMEL *Traité des Arbres, vol.* 1. *p.* 170. *tab.* 68. vbi initia eius cernuntur. Planta perennis paraſitica, carnoſa trium vel quatuor pollicum, radicibus ſpecierum variarum Ciſti in calidioribus regionibus innaſcens. Reperitur in regionibus aridis et arenoſis, in quibus frutices iſti creſcere ſolent, et praeſertim Ciſto ladaniferae adhaeret (GERARD *Fl. Galloprov. p.* 157.), vt Gallia inferiori, Hiſpania, Luſitania, Italia; maiori adhuc copia in Graecia et Aſia minori obtinet.

Stirpis, vel paſſim modo ſucci inde expreſſi, meminerunt iam THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES (*M. m. lib.* 1. *c.* 127. *p.* 64.), PAULLUS AEGINETA aliique Graecorum, quibus planta Υποκιστις dicitur.

Inclaruit ſucco, quem ex fructibus recentibus contuſis exprimunt et ſolis calore in extractum ſolidum

lidum denſant (GEOFFROY *M. m. Traité, tom.* 4. *p.* 372.). Narrat quoque DIOSCORIDES quosdam ſtirpem arefactam contuſamque macerare et decoquere, demum poſt colationem praegreſſam ſuccum inſpiſſare. Transfertur Maſſiliam ex Creta et Languedocia pro venditione ad exteros. Maſſam repraeſentat nigram, in fragmento ſplendentem, fragilem, ſaporis ſubacidi adſtringentis, inodoram. Maſticatione adhaeret primum dentibus, ſed ſaliua ſenſim ſoluitur. Tam aqua, quam ſpiritus vini, illum ſoluit. Nigredinem contrahit ſolutio eius addito martis vitriolo.

Vires eius ſolent exigi ad modulum ſucci Acaciae verae (*Appar. med. vol.* 2. *p.* 412.), a quo praeſens differt eo, quod fere omnino ſpiritu vini recipitur, quum ſuccus Acaciae ſui parum modo vel nihil illi impertiat (LEWIS *M. m. p.* 317.). Veteres eodem haemorrhagias et profluuia aluina coërcebant, et ob tonicam vim magni faciebant. Noſtra aetas vilipendit ob rariorem ſtiptica adhibendi opportunitatem, et quod alia efficacia proſtant. Compoſita varia maiorum noſtrorum ampli ambitus etiamnum intrat, vt TROCHISCOS DE CARABE, THERIACAM, MITHRIDATIUM.

154. b.

(Vol. I. p. 374. pone Galium Mollug.)

Pharm. APARINES *Herba.*

Galium Aparine; foliis octonis lanceolatis carinis ſcabris retrorſum aculeatis, geniculis villoſis, fructibus hiſpidis LINN. *Syſt. veg. p.* 127. Απαρινη DIOSC. Aparine vulgaris C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 495. Planta annua, ad ſepes creberrima, etiam in cultis.

Facile confunditur cum Valantia Aparine, quae, ne dicam de claſſico charactere, diſtinguitur caule breuiori, firmiori et rectiori, parum ramoſo, floſculo hermaphrodito ſeſſili, lateralibus maſculis pedicellatis, ternis vel quaternis; quum in Galio dicto caulis ſit ad aliquot pedes longior, fragilis, pedunculis vnifloris.

Tota ſtirps recens ſcatet ſucco aquoſo. Guſtata prodit ſaporem amaricantem, quem excipit ſubacris. Odoris vero expers eſt. Fruſtra quaeritur in plerisque materiae medicae indicibus. Nolo coniicere vires ex guſtatu, qui quidem herbam ab opprobrio inertiae liberat, ſed manebo in iis, quas experientia ſuggerit, qua vt vlterius confirmentur

virtutes

virtutes tanto magis excitandi ſunt practici, quum ad vulgatiſſimas ſtirpes haec ipſa pertineat. HERBAM contritam et axungia exceptam externa applicatione ſtrumas diſcutere, DIOSCORIDES (*M. m. lib.* 3. *cap.* 104.) iam notauit. Serius in Italia vis in ſcrophuloſis tumoribus confirmata, profuitque ibidem tam in clauſis quam apertis, butyro feruente macerata (GASPARI *Oſſervazioni ſtoriche, mediche etc.* 1731. *p.* 17. *ſq.*). Simili modo adhibita in ditione Veronenſi in epidemica conſtitutione, qua praeeunte febre glandulae ad collum intumuerant induratae, profuit; teſticulorum vel mammarum intumeſcentia, quae aliis contigit, fomentatione decocti huius herbae diſcuſſa (*l. c. p.* 20.). Sub nuperioribus tamen quibusdam periculis (CULLENI, qui adſtringentibus aceenſet in *Treatiſe of the Mat. med. vol.* 2. *p.* 37.) exſpectationi non reſpondit. Incipiente hydrope ſuccus, ad tres vncias cum vino bis de die captus (DE MAYERNE *Prax. med. P.* 1. *p.* 390.), tam aperiendo, quam lotium ducendo, opem praeſtare videtur. Noſtris temporibus antiſcorbutici egregii laude Aparine celebrata eſt; quo fine confert, cyathum ſucci expreſſi quouis mane per nouem vel decem dies haurire, vel ſub recentis herbae inopia infuſum theaeforme ſiccae ſubſtituere

(*Medical and philoſophical Commentaries, vol.* 5. *p.* 326. *ſq.* Item EDWARDS'S *Treatiſe on the Gooſe graſſ, or Clivers and its efficacy in the cure of the moſt inveterate Scurvy, Lond.* 8. Videtur haec ſcriptiuncula a. 1784. prodiiſſe.). Caſus recenſiti inter alia ſymptomata dolores et eruptiones ſcorbuticas memorant. Infantibus quoque tuto praebetur.

IGNATIA.

LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 227. *Suppl. plant. p.* 20.

183. b.

(Vol. I. p. 485. pone Strychnon colubr.)

Pharm. FABA St. IGNATII vulgo FABA INDICA Ph. Pariſ.

Ignatia amara; LINN. *Suppl. pl. p.* 149. Ignatiana philippinica LAUREIRO *Flor. cochinchin. tom.* 1. Igaſur ſeu nux vomica legitima Serapionis CAMELL. in *Phil. Tranſ. vol.* 21. *n.* 250. *p.* 88. *tab.* 1. *fig.* 4. 5. 6. Cucurbitifera Malabathri foliis ſcandens, Cotolongay et Cantara Philippinis orientalibus dicta PLUCKEN. *Mant. p.* 60. Arbor inſularum Philippinarum.

Serius Strychnos ſpecies viſa eſt arbor (Vid. BERG. *Mat. med. p.* 146.); nouiſſime peculiare genus conſti-

conſtituere illam debere didicimus. Faba ſic dicta per Jeſuitas ex inſulis iſtis translata fuit, vnde ratio nominis ab auctore huius ordinis deſumta.

Fructus pomum pyriforme eſt, vniloculare, intra corticem craſſum ligneum continens copiam SEMINUM, ſaepe viginti, pro ſede diuerſa formae multiplicis. Haecce, prout ſicca ea ſeruamus tenuiſſime ſubſtriata, ab vna parte gibba, ab altera multangularia ſunt, ſubcompreſſa, diametri fere pollicaris, extrinſecus pallide fuſca et farina quaſi conſperſa, ſed tenaciter inhaerente, interne fuſco viridia, compagis corneae, vt tamen cultro ſcindi poſſit. In cotyledones non dehiſcunt. Ex hac deſcriptione Fabae nomen vitioſum eſſe cognoſcitur.

Innotuerunt inde ab a. 1699. per GEORG. JOSEPHUM CAMELLI, qui RAYUM et PETIVERIUM de iis certiores reddiderat, vnde enata commentatio in phil. Tranſactionibus cit.

Inſigni amaritie inſtruitur ipſum ſemen guſtatum, vt vel exiguum ſegmentum, per momentum linguae applicatum, ſenſum hunc per linguam ſatis durabilem diffundat. Non vero inſtar ſimplicis amari conſiderandum eſt, ſed narcoticas vires iunctas habet.

Dimi-

Dimidium fere extracti aquoſi primi largitur, reliquum fere nonniſi terreſtres partes conſtituit, vt tamen et aqua reſinoſas partes, quae parcius inſunt, euoluat; nam per ſpiritum vini prima extractione eliciuntur reſinae ſcrupuli duo cum dimidio (NEUMANN *Chym. med. vol. 2. P. 2. p.* 294.). Infuſum vtriusque generis valde amarum eſt. Aegrius in puluerem contunditur, hinc infuſionibus raſurae cum aqua vel ſpiritu vini factis praecipue vtuntur.

De narcotica indole teſtantur caſus funeſti tam in brutis, quam et aliquando in hominibus, obſeruati. In brutis iidem effectus apparuerunt, quales a nuce vomica. Nempe pulueris drachma dimidia, cum mica panis in bolum ſubacta, et cani maiori ingeſta, hic poſt ſemihorium male affici coepit et ſaliua ex ore large effluxit, poſt horam conuulſionibus quater correptus periit (SIDRÉN et ALM *Diſſ. de nuce vomica, Vpſ.* 1780. *p.* 13.). Alius mediocris magnitudinis canis ex ſcrupulo dimidio ſubtriſtis et inquietus valde et pauidus inter ſaliuae crebrum profluuium poſt viginti conuulſiuos inſultus hora octaua a ſumta faba exſtinctus eſt (*l. c. p.* 24.). Puluis vel in inteſtino ieiuno vel ileo vel coeco in hisce repertus poſt mortem eſt. Vt ne vero cum meri-

tiſſimo

tiſſimo CULLEN (*Treatiſe of the Mat. med. vol.* 2. *p.* 64.) exiſtimes in amaritie ipſa latere virus, contraria ſunt experimenta cum amaris inſignis gradus ſtudio capta e. c. cum extracto Gentianae, Centaurii minoris, Trifolii fibrini, fellis bouis, quae omnia nihil mali inſigniori doſi attulerunt (ALM *Diſſ. cit. p.* 15.) — Apud homines facile vomitum ciet alvumque mouet (*l. c. p.* 91.); imo exempla ſunt ſpasmorum et conuulſionum, riſus inuoluntarii, anguſtiae pectoris, vertiginis, ſudorum frigidorum inde et apud homines natorum (CAMELLI), vel ex teneriori eorum natura vel iuſto maiori doſi. Ita Hiſpani in inſulis dictis hisce malis afficiuntur, quum Indi impune ſemen ingerunt. Mirum igitur, quod cl. VALENTINUS (*Hiſt. ſimpl. reform. p.* 198. §. 4.) auſus fuerit, infantibus adeo ſugentibus illud praecipere, vnde non aliud malum, praeter borborygmos, conſequutum refert. Mitius quoque de illo ſentit cl. LAUREIRO (*l. c.*) a granis ſex ad duodecim concedens aqua vel vino captum, et vertiginem ſpaſmosque, ſi a maiori doſi generantur, aqua frigida et fluido Limoniorum dispelli affirmans, nuceque vomica blandius pronuncians.

Id ſaltim nemo dicta perpendens inficiabitur, non ſine prouida cautione aegris adminiſtrari poſſe.

Ridenda

Ridenda omnino credulitas incolarum inſularum Philippinarum, quae in magna varietate morborum natura contrariorum fere cuiuis accommodatum putat, et inſtar amuleti applicatum vel collo ſuſpenſum ad arcenda contagia et veneficia adhibet (CAMELLI, VALENTYN.). Praecipue inclaruit vi febrifuga, etiam ſerioribus experimentis confirmata. Placuit hoc fine pauca grana raſurae cum aqua Cardui benedicti per nychthemerum macerare illudque liquidum ante paroxyſmum ſuppeditare, quo ipſo ſaepe febris ceſſauit (NEUM. *l. c. p.* 291.). Grana octo adultis, grana ſex infantibus exhibita in febribus intermittentibus, contra corticem Peruuianum rebellibus (FOUR DE BOURIEU in *Hiſt. de la Soc. en Med. vol.* 1. *p.* 340.). Quin grana duo eiusdem potentiae ac integra doſis corticis Peruv. habita fuerunt (LEWIS *M. m. p.* 412.). Alius propinandi ſemen modus haud minus commodus eſt in infuſione cum aqua feruida. Ita ex ſeminis granis duobus et aquae vnciis duabus liquidum emerſit nauſeoſum, amarum, quod bis per diem datum, quatuor homines a febre quartana ſanauit, in octo aliis autem iners fuit (LIND *Diſ. in hot climates p.* 306.).

In epilepſia aliisque conuulſiuis vel ſpaſticis motibus plures illud extollunt (*Act. Berolin. Dec.* 2. *vol.*

vol. 10. *p.* 12. HERM. *Cynoſ. Mat. med. tom.* 2. *p.* 231.). Sanatus eſt infans tenellus, epilepſia fere ſepties afflictus, aliquot huius granis (VALENTIN. *l. c. p.* 198.). Sed nihil temere moliendum cum medicina effectus tam ambigui, nec ſatis adhuc explorati.

196. b.

(Vol. I. p. 521. pone Violam odoratam.)

Pharm. VIOLAE CANINAE *Radix.*

Viola canina; caule adultiore adſcendente, foliis oblongo-cordatis LINN. *Spec. pl. p.* 1324. Viola martia inodora ſylueſtris C. B. Icon: CURTIS *Fl. Lond.* Planta perennis, frequens in ſyluis caeduis et dumetis.

Inſuetum eſt, illam inter medicamina admittere. Nam quod fraudulenti homines ſaepe *floribus* additis, qui odore omni carent, ſyrupum violarum corrumpant (RICHT. *corrupt. medic. p.* 39.), reprehenſione dignum eſt. Nec emolliendi et refrigerandi efficacia adeo *Herba* eminet, vt pro fomentatione, clyſmate et lotione, commendari (prout fecit THEODORUS TABERNAEMONTANUS in *Kräuterbuch, p.* 687.) poſſit.

RADICIS

RADICIS haud ita pridem primum mentio facta fuit, in qua et plurimum efficaciae latet. Haec tenuis, varie flexa, hinc inde nodoſa, fibris bene multis, cortice ex fuſco albido, parenchymate albo. Sicca odorem mucidum ſpirat, ceterum inſipida. Ex cognatione radicem eius, vt iſtam Violae odoratae et V. Ipecacuanhae, vomitum ciëre et aluum mouere iam coniicitur. Pondus vero accedit graue experimentis factis in hominibus. Vnicum eiusmodi ſiſtitur a. 1778. a cll. COSTE et WILLEMET (in *Eſſais ſur quelques plantes indigenes*, *p.* 7.), nec ſatis exacte deſcriptum, in quo decoctum ex radicis ad minimum drachma vna vomitionem vnam et alui deiectiones ſeptem excitauit. Plura Gottingae a cl. NIEMEYER (*Diſſ. de Violae caninae in medicina vſu*, 1785) inſtituta radice ſicca et leni calore ſiccata, et quidem in hominibus diuerſae aetatis, victui crudo et craſſo aſſuetis et magnas medicaminum doſes requirentibus. Confectaria ex vndecim caſibus deducenda paucis complectar. Itaque pulueris ſcrupulus vnus, ad drachmam dimidiam exiguis interuallis repetitus, vnicam vomitionem creauit et quinquies vel ſexies aluum ſollicitauit (*l. c. Caſ.* 1. 2.). Fuerunt, quibus, ex eiusmodi doſibus eodem ordine repetitis, modo aluus ſoluta (*Caſ.* 3. 7.). Decoctum non

non valde dilutum, ex radicis drachmis duabus ad vnciam dimidiam, partitim captum, neque ſurſum neque deorſum effectum exſeruit (*Caſ.* 4.). Nec miſcelae pulueris cum aqua (*Caſ.* 4. 5.), nec infuſi, (*Caſ.* 6.) haecce vis fuit. Tartaro emetico autem ſtimulatus puluis vtrumque euentum poſt ſe traxit, vt facile cogitatu eſt (*Caſ.* 8-11.). Auguria ex hisce periculis, quoad varietatem experimentorum paucis, nolo addere. Fidem ſtabiliet futura aetas. Inter mitiora euacuantia collocari meretur.

196. c.

(Vol. I. poſt Violam caninam.)

Pharm. VIOLAE TRICOLORIS *Herba.*

Viola tricolor; caule triquetro diffuſo, foliis oblongis inciſis, ſtipulis pinnatifidis LINN. *Spec. pl. p.* 1326. *β.* Viola tricolor hortenſis repens C. B. Jacea ſ. Flos trinitatis CAMER. *epit.* MATTHIOL. *p.* 912. Icon: *Fl. Dan. tab.* 623. CURTIS *Fl. Lond.* Annua, in pratis, aruis montanis temperatioris Europae habitat, ſponte in hortis ſeſe diſſeminans.

HERBA recens maſticata ſubamaricans cum ſapore florum Naphae aemulo, ſaliuam viridem reddens et mucilaginoſam, et in lingua diu poſt ſen-

ſum acredinis relinquens. Odorem fortius contrita ſpargit, ad illum nucleorum Perſicae nonnihil accedentem. Conquaſſata ob mucilaginem tenacitatem cataplaſmatis acquirit. Infuſum aquoſum ſiue recentis ſiue ſiccae herbae ſimilia criteria prodit. Infuſione protracta autem gratia odoris aufugit.

Deſtillatione ſiccae vel recentis herbae cum aqua vna cum hac pauxillum olei ſupernatantis erumpit odoris dicti, ſaporis ſubacris (HAASE *Diſſ. de Viola tricolore, p.* 7.). Extractum aquoſum pr. conſtituit dimidium ponderis ſiccae herbae, $\frac{1}{8}$ autem circiter recentis (*Ibid. p.* 8.). Aliae analyſes aliorſum petendae (Vid. HAASE *Diſſ. cit.*). Effectus licet medicaminum in corpus humanum ne ex ſubtiliſſima analyſi tuto eruantur: aliqua tamen lux accenditur in eorum diiudicatione, qui mox recenſebuntur, ſi ad partes oleoſas aethereas, mucilaginoſas et acre, quod lingua reuelat, attenditur.

Infuſum aqua factum aluum laxat, etiam quibusdam ſtomachum ſubuertit teſte medico celebri Suecico (BERGIO in *Mat. med. p.* 709.), qui et ſiccam herbam purgare, ſed maiori doſi, narrat. Alius vero concedit quidem, purgantem vim emergere in pueris tenerioris aetatis ex decocto ſiccae, parato ex herbae

herbae vncia dimidia et aquae libra vna, et paullatim hauſto, negat autem emeticam, licet in quibusdam nauſea accederet (HAASE *l. c. p.* 14.). Puluis radicis ad drachmam vnam captus conatus vomendi quidem excitauit, non autem veram vomitionem, lotium ſimul largiter mouit (*Ibid.*).

Atque haec herba praeterito et illum praecedente ſeculo in haud exigua exiſtimatione fuit, vt, inter virtutes magis ambiguas, epilepſiae, aſthmati, praecipue autem morbis cutaneis, ſcabiei, pruritui, vlceribus mederi affirmarent, prout legere eſt apud MATTHIOLUM (*Comment. in* DIOSC. *p.* 822.), FUCHSIUM (*Hiſt. ſtirp. p.* 804.), JO. BAUHINUM (*Hiſt. pl. tom.* 3. *p.* 547.) aliosque, qui breuiter enunciatis eadem fere ediſſerunt. Amplior reliquis eſt in viribus proponendis THEODORUS (*Kräuterbuch, tom.* 2. *p.* 691.), miſcelam variam et aquam, ſyrupum, ſal quoque huius Violae commendans.

Longum vero poſtea ſilentium de iſta apud medicos obtinuit, donec cel. STRACK (*De cruſta lactea infantum eiusdemque remedio diſſertatio, quam acad. ſcient. Lugd. Gall. praemio coronauit;* 1776. *Franc. ad Moen.* 1779. 8.) ſtirpem iterum celebraret. Indeque ab hoc tempore confirmata veritas a vetuſtio-

ribus medicis prolata, in affectionibus variis cutis chronicis haud exigui momenti Violam hanc eſſe; ſed coaeui noſtri id primum praeſtiterunt, vt res in verum aegrorum commodum deduci poſſet. Si hoc praecipuum artis eſt: parum refert, vtrum recentiores propria ſagacitate ducti eandem in vſum vocauerint, an contra nonniſi praecedentis aetatis veſtigiis admoniti. Etenim ſunt, qui vocem antiquam Germanicam Freyſam ſ. Freiſam idem ſignificare dicunt ac cruſtam lacteam, alii (FRISCH *Teutſch-Latein. Wörterbuch*, *p.* 290.) idem ac epilepſiam; certe nomen Freyſamkraut iam antiquitus noſtrae ſtirpi in Germania tributum fuit. STRACKIUS in exploranda et confirmanda eius contra cruſtam lacteam praeſtantia vnice verſatus eſt. Hoc malo lactantes infantes magis quam ablactati corripiuntur, attamen et ſerius aliquando infeſtat, et vltra ablactationem perdurat, faciemque praecipue deturpat. Iſte vero ſanauit illud vitium herbae recentis pugillo vno, cocto in lactis vaccini ſufficiente quantitate (quam ille non indicat); vel et pulueris herbae drachma dimidia per bihorium in lacte cocta et mane veſperique hauſta; variandae exhibitionis cauſa pultem quoque ex decocto hocce lacteo adiecto, pane vel farina, parari curauit. Sic poſt octo dies eruptio

vber

vber ſuccedit, et lotium, niſi iam antea prae natura morbi decreſcentis foetore vrinam felinam retulerit, hanc ſpirat (STRACK *l. c. p.* 43. SCHÄFFER in verſ. Germ. libri ARMSTRONG *v. d. Kinderkrankheiten,* 1786. *p.* 72.). Continuatio protrahitur, donec cruſta delapſa fuerit et cutis pura appareat. Ad recidiuas auertendas, e re eſt, diutius herbam adminiſtrare, donec facies mollis nec amplius tumida conſpiciatur, cutis quoque omnino ſana, et lotium foetoris expers (*loc. cit. p.* 44. *ſq.*). Fidem fecit cel. viro, vt dicit, experientia viginti annorum (*p.* 30.). Contra eundem morbum alii haud pauci hanc ſtirpem adhibuerunt non minori ſucceſſu, vel eadem ratione vel alia mutata. Ita cel. METZGER (*Verm. med. Schriften, vol.* 2. *p.* 239.) puſionem nutricibus debilitatum herba variis cibis lacteis cocta intra ſex hebdomades a cruſta lactea liberauit, remanente modo pruritu, quem aqua ſaturnina GOULARDI ſuſtulit. In Suecia pluries ſucceſſit (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 2. *p.* 153. 378. *vol.* 4. *p.* 95. *vol.* 9. *p.* 27.); et caſu ſingulari ibidem proficuum viſum, infuſum ſaturatum iunctim infanti lactanti et nutrici exhibere (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 2. *p.* 153.). Viola bicolor aruenſis C. B. etiam in Suecia tentata longe debiliorem effectum exſeruit (*Vecko-*

ſkrift, vol. 9. *l. c.*). Cl. HAASE diſſertatio (*de Viola tricolore. Erlang.* 1782.), vt in vniuerſum lectu de viribus huius ſtirpis digniſſima, ita de virtute eius in cruſta lactea memorabiles hiſtorias ſiſtit (*Caſ.* 5. 14. 16.). Harum ſeorſim dicenda illa de puero tuſſi grauiſſima cum metu ſuffocationis ſimul affecto, quae autem pectoris mala vna cum cruſta lactea decocto Violae omnino ceſſarunt (*Caſ.* 5.), vt et inde lux affulgeat aſſerto maiorum de vi eius in liberando pectore.

Quod alibi (*Progr. de medendi tineae capitis ratione Paralipomena* in *Opuſc. vol.* 2. *p.* 228.) innui, inter exanthemata pleraque capitis, variis etſi nominibus inſignita, non tantum diſcrimen intercedere, ac vulgo putatur, id quum multis documentis, et inter haec quoque remediorum eorundem in diuerſis hiſce exanthematibus aequali vi manifeſtatur, et auxilio Violae huius in tinea capitis, achoribus, ſerpigine. Seorſim noto, matronam ſexaginta annorum, per dimidium annum tinea laborantem, fere integre eandem decocto Violae lacteo ſuperaſſe; perfectae ſanationi obſtitit modo herbae penuria (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 2. *p.* 377.). In muliere ruſtica intra ſeptem hebdomades idem

felix

felix euentus contigit (*l. c. vol.* 4. *p.* 95.). Ita continuatione pertinaci puella tredecim annorum ſanata (*l. c. vol.* 8. *p.* 4.). In puero trienni induratio et intumeſcentia glandularum colli ſimul ſuberat, attamen per quatuor hebdomades ſanabatur; hic idem reddidit lotium felini inſtar olens (HAASE *Diſſ. cit. caſ.* 4.). Virgo nobilis ſeptendecim annorum, achoribus frontis cum ſerpigine infeſtata, inde conualuit (*l. c. caſ.* 12.); item puella achoribus per totam faciem foedata (*l. c. caſ.* 13.). Superfluum erit plura tineae curatae exempla afferre (Conf. *Veckoſkrift för Läkare, vol.* 4. *p.* 74.). — Patet hisce exemplis, et adultioribus et aetate prouectis opem in hisce anguſtiis ſtirpem ferre. Odor lotii peculiaris deſcriptus etiam in pueris tinea correptis ſentitur Violae decocto valde ſaturato hauſto (HAASE *l. c. p.* 14.). Imo foemina rheumatica poſt eius vſum vna cum aluo liquida vrinam foetidiſſimam minxit (*l. c. caſ.* 8.). Id quoque omnibus commune eſt, quod eruptio capto remedio vberior ſubſequatur.

Sed ſeorſim ſignificandum, herpetis eximium eſſe remedium (*Veckoſkrift, vol.* 4. *l. c. vol.* 8. *p.* 115.). Hoc vitio aegrotauit foemina per decem annos, li-

berata ab eodem demum decocto ſtirpis lacteo et ſolutione mercurii ſublimati extus applicata (*Bemerkungen üb. verſch. wicht. Gegenſtände d. Wundarzneykunſt, p.* 77.). Addo dictis morbis cutaneis impetiginem (HAASE *diſſ. cit. p.* 15. *caſ.* 1. *caſ.* 21.), ſcabiem (*l. c. caſ.* 3. 20.), furunculos totum fere corpus obſidentes in connubio achorum (*l. c. caſ.* 2.), faciem intumeſcentia variarum partium, liuore et cruſtoſa aſpredine deformem (*l. c. caſ.* 5.), guttam roſaceam (*l. c. caſ.* 12.), puſtuloſum exanthema in pedibus praecipue erumpens (*l. c. caſ.* 17.), maculas et ſquamas in cute (*caſ.* 19.), in quibus omnibus auxilium Viola exoptatum exhibuit.

Antequam ad alios morbos tranſeam, adiiciendum dictis puto, quosdam aduerſum de ea iudicium tuliſſe. Improbat illam cl. MURSINNA (*Med. chirurg. Beobacht.* 2. *Samml. p.* 107.), qui nec foetorem vrinae felinae apud aegros animaduertit. Cl. ACKERMANN (in *Commentar. de reb. in ſc. nat. et medic. geſtis, vol.* 27. *p.* 170.) rurſus fatetur, ſe quidem aliquoties in cruſta lactea laudato illam adhibuiſſe, aliquando tamen fruſtra, reſtringit quoque efficaciam in vlceribus aliisque morbis cutaneis. Mirum, quod STRACKIUM (*l. c. p.* 40.) ſtirps in cruſta lactea nun-

quam

quam fefellerit. Rediit aliquando malum, ſed iterum ceſſauit Negat cl. HENNING (*Beob. über einige Arzneymittel*, *p.* 65.) ſibi vnquam in affectionibus cutaneis, etiamſi diu continuaretur, ſucceſſiſſe.

Extendere quoque vis ſtirpis ad alia mala ſeſe patitur. Loquor primum de arthritide et rheumatiſmo (HAASE *l. c. caſ.* 7. 8. 9.). Fuit foemina, quae vna cum ſcabie ab arthriticis doloribus Viola immunis euaſit (*loc. cit. caſ.* 7.). Iuuenis, qui ex venere impura varos frontis et gonorrhoeam contraxerat, ſucco expreſſo ad vncias duas dato et decocto herbae vtrumque malum deuicit (*loc. cit. caſ.* 10.). Alius ex intempeſtiua gonorrhoeae ſuppreſſione tumore teſticuli mulctatus, cataplaſmatis ex herba, lacte et aqua cocta, applicatione externa, iuncta cum potu decocti et laxante conualuit (*Diſſ. cit. p.* 32.). Adiuuerunt quoque pilulae ex extracto aquoſo et pulvere Violae curationem vlceris pedis pertinacis (*l. c.*). — Incidit et recentius caſus epilepſiae, in infante ſeptem menſium eius ope diſcuſſae (*l. c. caſ.* 15.).

Qua forma herba aegris adminiſtranda ſit, paſſim hactenus ſignificaui, ſed iunctim quae illam ſpectant complecti opus eſt, et alii modi ſubiiciendi. Pleriſque placuit decocto lacteo praeeunte STRACKIO

vti. Quoniam iſte autem proportionem inter herbam et lac reticuit: monendum, cl. WENDT pro puero tenello manipulum herbae ex libris duabus lactis coqui curaſſe (HAASE *Diſſ. caſ.* 16.), et duplam quantitatem herbae pro eadem aquae vſurpatam a matrona, ita vt bis dimidium conſumeretur (*Vecko-ſkrift för Läkare, vol.* 2. *p.* 377.). Eſt, qui linteo inditam in lacte coxit (SCHÄFFER in ARMSTRONG *l. c.*). De pulte et additamento in cibis lacteis iam dixi. Nec deſtituitur infuſum aquoſum (*l. c. p.* 153.) ſua vi, cuius de die menſuram vnam foemina in vitio cutaneo ingeſſit (HAASE, *caſ.* 19.). Decoctum cum aqua vel ſaturatius exhibetur e. c. ex herbae manipulo vno in libris aquae duabus cocto et per diem conſumto (*l. c. caſ.* 7.); item ex herbae drachmis ſex et aquae libra dimidia; vel magis dilutum pro potu ordinario e. c. ex herbae manipulis duobus in aquae tribus menſurae partibus (*l. c. caſ.* 17.), vel ex herbae manipulo vno et aquae menſura vna (*caſ.* 1.). Potus eiusmodi apte iungitur cum alia efficaciori medicina ex hac Viola parata. Sapor decocti gratior reddi poteſt ſeminibus aromaticis vt Foeniculi, Coriandri, additis (*caſ.* 2.). Simpliciſſima forma in puluere cum ſaccharo eſt (SCHÄFFER *l. c.*), tenellis tamen liquidum facilius ingeri poteſt. Suc-

cus

cus addita aqua, qua opus ob mucilaginoſam herbae naturam, commode exprimitur; huius adultis vnciae duae datae pro doſi (HAASE, *caſ.* 10. 11.). Ferri et poteſt extractum eius gummoſum, quod cum puluere in pilulas redigitur, ad drachmam vnam vel duas quotidie per dimidias mane et veſperi datas. Aqua ſolutum et rite mixtum cochleatim propinatur (*Diſſ. cit. p.* 31.). Infanti lacte ſolutum commode ingeritur (*Veckoſkrift, tom.* 4. *p.* 95.). Hisce ſi tempeſtiue vtimur, vix herbae aqua deſtillata, quae oleo praegnat, vel ſyrupo florum, vel julepio ex eodem, indigemus (HAASE *Diſſ. cit.* §. 9.).

Praeſente primarum viarum colluuie praemittitur vſui purgans; deficiente vero iſta, ſibi a purgante metuit STRACKIUS (*l. c. p.* 47.) in cruſta lactea, ne eo criticus per cutem aut lotium exitus interpelletur. Quidam tamen aegri mollem inde aluum experiuntur. Prodeſt egregie in ſcabie cum interno vſu lotionem decocti iungere (HAASE *Diſſ. cit. caſ.* 3 *et p.* 32.); in lichenibus autem vehementiorem excitat pruritum, ſanationi aduerſum. Pulvis vlceri inſperſus mitiores dolores creat, ſi cum aqua in cataplaſma reducitur, qua ratione vlcus purius euadit et foetor ex parte euaneſcit. Cura-

tio

tio aliquando paucis hebdomadibus abſoluitur, ſubinde aliquot menſes ſibi vindicat. Malum ſi poſt aliquod tempus redit, ad priorem medicinam recurrendum eſt.

Scopo tinctorio etiam herba accommodata eſt, et ſub vario additamento color pallide flaueſcens, brunus, cinereus, coeruleus, palide viridis, inde redundat (V. experimenta cl. HAASE recenſita in *Diſſ. cit.* §. 11.).

201. b.

(Vol. I. p. 617. pone Cinchonam officinalem.)

Pharm. CORTEX PERVVIANVS RVBER.

Praeter ſpeciem Chinchinae, in quam ſupra (*Appar. medic. vol.* 1. *p.* 546.) ample commentatus ſum, et cui innumeri homines valetudinem ſuam vitamque debent, plures aliae ſerius inclaruerunt, quarum notitia fere omnis botanicos adeo ante paucos annos latuerat, ſed quae paſſim pariter beneficae generi humano repertae ſunt, et quidem in pluribus eorum morbis, quibus vſitatus hactenus cortex Peruuianus medelam attulit. Vnde iterum elucet, ſtirpium cognationem ad notitiam virium non parum adiumenti impertire.

Excellit

Excellit reliquis exiſtimatione CORTEX ſic dictus PERUVIANUS RUBER, quod nomen ei primi tribuerunt Angli, *Red Peruvian bark*, nec non ſubinde *Flat bark* illum vocantes.

A qua ſpecie Cinchonae ille proueniat, etiamnum latet: ex hoc genere tamen eſſe, inde coniiciunt cll. COMBE et GROSCHKE, quod in collectione herbaria LINNEI Equ., quae poſt mortem filii emtione cl. SMITT M. D. ad Anglos peruenit, figura reperiatur, quae non quadrat in alias cognitas Cinchonae ſpecies (Vid. cel. BLUMENBACH *med. Biblioth. vol.* 2. *p.* 486.). Quicquid lacunae in hocce argumentationis genere ſuperſit, non firmiori ſane fundamento nititur coniectura, a multis e. c. FABRICIO (*Briefe aus London, p.* 230.), HEYER (CRELLS *chem. Annal.* 1784. *vol.* 2. *p.* 24.), imo a cl. SAUNDERS (*Obſervations on the ſuperior Efficacy of the red Peruvian bark in the Cure of fevers, ed.* 4. *p.* 5.) declarata, corticem rubrum ex truncis et ramis craſſioribus eiusdem arboris, quae corticem vulgarem erogat, detrahi, hunc vero ex iunioris arboris vel tenellis ramis, et conſequenter non iuſtam maturitatem aſſequutum eſſe et debiliorem virtutem exercere; additum adeo, corticem rubrum forſitan ex arboribus

bus emortuis deglubi (FABRICIUS). Nam ipſe numeroſa corticis huius exempla inter ſeſe comparans, rubedinem et firmam texturam et craſſitiem maiorem in tenuioribus corticis exemplis aeque ac craſſioribus, quae amplioribus ramis vel truncis debentur, reperi. Vix crediderim, tantam diuerſitatem a ſtatione vel altiori vel profundiori vel ſolo deduci poſſe.

Sermo eſt de cortice, qui longioribus et craſſioribus longe fruſtis transfertur, quam vulgaris, et ponderoſior longe eſt. Concaua intrinſecus ſunt fruſta, dimidium fere plerumque rami exaequant, qui ſeſquipollice ſubinde maior, vulgo tamen minor eſt. Craſſities ſaepe lineas duas ſuperat. Extrinſecus aſper et fiſſuris multis transuerſalibus diſtinctus, ſaepe caneſcens et lichene flaueſcente tectus comparet. Latet ſub hacce epidermide et acceſſorio dicto tegmine ſtratum coloris fuſco rubri compactum, fragile, et aliud interius rubicundum, magis fibroſum lignoſum. In quibusdam corticis veri rubri ſpeciminibus pallidiorem hanc rubedinem inueni quam in aliis; an pallidior euaſit hisce caſibus ſoli radianti expoſitus, ſalua tamen vi (SKEETE'S *Experim. on the Peruv. bark, p. 93.*)? Puluis huius

corticis

corticis longe intenſiorem rubedinem habet vulgari, amaritie illi antiſtat, nec minorem in lingua adſtrictionis ſenſum excitat. Nihil vero odoris prodit. Aliquando tamen rubedinem ſeruat, licet ſaporis expers, et conſequenter efficaciae; vnde exploratio per guſtum ante vſum praecedat. Plura exſtant indicia, iam ante decennium, et quod excurrit, proximum, quo in Anglorum manus caſu ille peruenit, variis naturae ſcrutatoribus et practicis innotuiſſe. Inter tres iſtos cortices Chinchinae, quorum meminit apud POMETUM (*Hiſt. generale des Drogues*, 1694. *p.* 132.) peregrinans muſicus BERNARD, vnius deſcriptio in corticem rubrum quodammodo quadrat. Cum cuius effatis de eo conſpirant ea, quae Chirurgus ARROT (*Phil. Tranſact. vol.* 40. *p.* 83.) et DE LA CONDAMINE memoriae prodiderunt (Conf. *Appar. medic. vol.* 1. *p.* 550.), et quae in codicibus manu ſcriptis JOSEPHI DE JUSSIEU notata exiſtunt (*Hiſt. de la Societé de Med. de Paris*, 1779. *p.* 253.), adeo vt cl. BAKER (*Medic. Tranſact. vol.* 3. *p.* 161.) probabile iudicet, rubrum eundem eſſe ac eum, quem teſte ARROT Hiſpani *Caſcarilla colorada* vocarunt. Cortex, quem LISTERUS (*de Hydrophob.* in *Append. oper.* MORTON, *p.* 70.) tanti fecit, licet coloris non meminerit, in reliquis cum hocce

con-

conuenit, an vero recte trunco eiuſdem arboris adſcripſerit, nondum quidem conſtat? Quem cl. GEOFFROY (*Matiere medic. Traité, tom.* 2. *p.* 309.) tanquam optimum depraedicat ad rubrum proxime accedit. Sunt et veterani practici noſtri temporis, qui meminerunt in iuuentute ſua rubrum in pharmacopoliis tanquam vſitatum obuium fuiſſe. Horum e numero COTHENIUS (in *Nouveaux Memoires de l'Ac. d. ſc. de Berlin* 1783. *p.* 82.) eſt, qui ante ſexaginta annos in Pomerania venalem fuiſſe et optimo ſucceſſu praeceptum narrat. Ita ſenex quidam Anglus aſſeuerauit, inter prima ſua praxeos auſpicia rubrum corticem frequenti in vſu fuiſſe (BAKER *l. c. p.* 161. Conf. narratio ſenis medici SMITH, forſitan eiuſdem. FOTHERGILL apud SAUNDERS *p.* 157.). Quantum equidem ſentio, vix firmari idoneis argumentis poteſt, SYDENHAMI et MORTONI tempore hunc corticem loco exilioris, qui poſtea vſu venit, inualuiſſe, eique praecipue praeſtantiorem efficaciam deberi, cuius iſti mentionem faciunt, quorſum inclinat cl. SAUNDERS *l. c. p.* 1.). Saltim *tenuem* ex ramulis cinnamomei coloris MORTONUS (*Oper. med. Amſtel. in* 8. *tom.* 2. *p.* 97.) tanquam praeſtantiſſimum proponit. Nec ſatis conuincor Hiſpanos rubro cortice vnice vti, alterum peregrinis nationibus vendi (COTHENIO

ſentiente

ſentiente *l. c. p.* 83.). Ad ſententiam JOSEPHI DE JUSSIEU, qui a. 1739. Loxae commoratus fuit, ruber primo tempore, quo fama Chinchinae inclaruit, in vſum tractus fuit, ſed dicto anno, eo teſte, tanta iam arboris ibidem penuria exſtitit, vt pauciſſimi modo trunci ſupereſſent. Ipſe vero huic praerogatiuam tribuit ſummam et extractum inde parauit, quod vltra quadraginta annos adhuc integritatem et potentiam ſuam ſeruauit (*Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris, vol.* 3. *p.* 255.). Quanam autem data occaſione recentius in artis exercitium vocatus fuerit, certius nouimus. Nempe in bello inter Hiſpanos et Anglos geſto nauis quaedam Hiſpanica, Lima in portum Gaditanum tendens ab Anglica a. 1779. capta fuit et Lisbonam deducta (prout a. 1702. in alia naue Hiſpanica ab Anglis capta accidit; apud SAUNDERS *l. c. p.* 156.). In hac praecipuam mercem conſtituit cortex hicce ruber, qui partim in Anglia remanſit, partim modico pretio exteris venditus. Poſt aliquam, vt in re inſolita fieri ſolet, cunctationem experimenta tam in noſocomiis Londinenſibus, quam alibi in Anglia, dein hinc inde in America ſeptentrionali et inſulis Indiae occidentalis, item in multis regionibus Europaeis aliis praeter Britanniam ſuſcepta fuerunt, in febribus inter-

 mittenti-

mittentibus praecipue, in quibus praeſtare vulgari creditus. Hinc inde ſenſim penuria eius ſubnata, vnde et valor nimium creuit, et aſtutia eundem corrumpendi fraudulentos inuaſit; donec ſerius a. 1786. iterum 30 adeo ciſtae eodem repletae ex Hiſpania in Angliam transferrentur (SKEETE *on the Peruvian Bark, p. 355.*). Ad augendam eius exiſtimationem multum contulerunt, praeter ſignificatam ſcriptionem cl. SAUNDERS, in qua propria experimenta cum multis aliorum combinantur, aliae tres, Edinburgi incitamento praemii Harvejani concinnatae: intelligo IRVING's *Experiments on the red and quill Peruvian Bark, Edinb.* 1785; SKEETE's *Experiments and Obſervations on quilled and red Peruvian Bark, Lond.* 1786; et KENTISH's *Exp. and Obſerv. on a new ſpecies of Bark, Lond.* 1784.

Retardauit adminiſtrationem huius corticis hinc inde fraus, qua alii cortices nonnihil ſimiles ſubſtituti fuerunt. Ita maiora fragmenta vulgaris corticis, reliquis corticis rubri intermixta, exſtiterunt (ORLOVII *Progr. de cort. Peruv. rubro, Regiom. p.4.*). Alibi (Berolini) tres vel quatuor corticis ſpecies venditae eodem nomine (PYL in verſ. *commentat.* cl. COTHENII *Praef.*). Ita cortex rubro ſimillimus, diu

in

in quibusdam pharmacopoliis inſtar reiectitii ſeruatus, hac opportunitate venditus fuit (*l. c*). Quin exemplum exſtat, pigmento quodam rubro vulgarem, quoad internam ſuperficiem oblitum fuiſſe. Vnde colligitur, infidam inprimis eſſe venditionem corticis huius in puluere, qui facilius corruptelam admittit.

Quum non tam nouas in cortice rubro vires eruere, quam praeſtantiam eiusdem in morbis haud paucis iisdem, quibus vulgaris alias opponitur, ſibi datum practici putarent: comparatio frequens vtriusque in experimentis facta eſt. Sic et in chemicis, ad quae vires intenderunt haud pauci. Grauitate ſpecifica ruber ſuperat alterum (COTHENIUS *l. c. p.* 74.). Experimentum vero ad hanc determinandam aliquando variat (SCHOT Diſſ. *Examen cort. Peruv. rubri, Harderv.* 1785. *p.* 13. qui chemica potiſſimum perſequitur). Facilius in puluerem ſubigitur altero. Stratum vero fuſco rubrum facilius puluerulentam formam ſub piſtillo acquirit, altero fibroſo; et iſtius infuſum aquoſum profundius tingitur affuſa ſolutione vitrioli martis, quam huius (IRVING *l. c. p.* 28.). Vnde e re eſt puluerem, tempore contuſionis priorem, poſteriori praeferre. Maiorem longe

 quanti-

quantitatem ſolubilium partium ruber cortex altero vulgari tam ſpiritui vini quam aquae impertit (SAUNDERS *l. c. p.* 27. IRVING *l. c. p.* 93.). Et vtrumque menſtruum ſaturatiorem colorem ex rubro contrahit, quam ex altero; aquoſum manifeſte amarius eſt. Plus quoque longe reſinae ruber continet quam alter; nimirum ex exploratione cl. HAGEN (in ORLOVII *Progr. l. c. p.* 7.) reſinoſi extracti $\frac{1}{4}$, gummoſi $\frac{1}{8}$, vel teſte cl. AIKIN (apud SAUNDERS *l. c. p.* 174.) extractum reſinoſum rubri corticis ſeſe habet ad extractum idem alterius, vt 3 ad 2 (Conf. etiam de extractis variis vtriusque experimenta cl. COTHENII item cl. SCHOT in *Diſſ. cit.* quae inter ſe variant.). Nec decoctum corticis rubri eandem decompoſitionem patitur, et expoſitum aëri libero hunc diutius fert longe absque acore, quam decoctum corticis vulgaris, in quo ipſo enaſcitur intra paucos dies (FOTHERGILL apud SAUNDERS *p.* 114.). Ex iudicio ſenſuum adeo infuſum frigidum corticis rubri ſuperat vi decoctum optimi corticis alius (SAUNDERS). Cryſtalli, ex extracto ad modum Garayei parato redundantes, albidiores ſunt iis alterius corticis, et ſaporem valde amarum habent, Quaſſiae aemulum (HERMSTADT in CRELLS *chem. Annal.* 1785. *vol.* 1. *p.* 117.). Aqua eiusdem deſtillata albido

albido colore tingitur, et manifeſtius globuli aetherei olei in eiusdem ſuperficie conſpiciuntur, quam in aqua deſtillata corticis vulgaris (IRVING *l. c. p.* 33. *not.*). Pluribus experimentis chemicis inhaerere hoc loco, minus opus eſſe videtur; relegandi potiſſimum, qui ea deſiderant ad ſcripta citata, quorum titulus indicat, dedita opera auctores in corticem rubrum inquiſiuiſſe. Praetereo ſtudio experimenta, validioris ignis impetu inſtituta (de quibus vid. COTHENIUS, SCHOT *ll. cc.*).

Admiſtus partibus animalibus, hasce longe diutius contra putredinem tueri, quam alter deprehenditur (SKEETE in SAUNDERS'S *Obſerv. p.* 26. et in EJUSD. proprio *libro cit. p.* 106. *ſq.* item IRVING *l. c. p.* 117. *ſq.*).

Maximi vero ponderis eſt noſſe, quid in ipſo corpore humano efficiat. Pleraque huius generis experimenta ad febrem intermittentem ſpectant. Et ſane ſi vel in hac vnice vulgari cortici praeferendus ſit, praeconio valde honorifico ornandus eſt. Ita eſſe haud pauca obſeruata ſuadent. Etenim a pluribus animaduerſum, in minori doſi ſufficere. Vereor, ne nimis ſubtiliter ex ingenio ſuo CAMPERUS drachmas rubri ſex potentia aequiparauerit vnciae

 ciae

ciae vni alterius praxin ſuam in Friſia citans, vbi febris haec endemia eſt (SIMMONS apud SAUNDERS *l. c.*). Aliis dimidia doſis ſatisfecit (SAUNDERS *l. c. p.* 56. 180. BRABANT, qui auct. verſ. Latinae *libri* EJUS *l. c. p.* 179.). Celerius quoque febrem ſufflaminat, ita vt aliquando alterum ſubſequuturum paroxyſmum iam auertat (SAUNDERS *l. c. p.* 57. RIGBY apud EUND. *p.* 122.). Nec parui cenſendum, quod corpus contra recidiuas egregie muniat, ita vt redeunte vigore priſtino non opus ſit repetitionibus crebris, vt aliter moris eſt, aegrum ſollicitare (SHERWIN apud EUND. *p.* 112. MADDOCKS *ibid. p.* 141.). Sufficit etiam in pertinacioribus febribus, vt quartanis diuturnis, et quibus complicationes variae moleſtae acceſſerunt, e. c. tuſſis, dyſpnoea, raucedo (SAUNDERS *p.* 58. COLINGWOOD in *medic. comment. vol.* 10. *p.* 274.), vel icterus (SIMMONS apud SAUNDERS *l. c. p.* 167.). Et efficaciam praeſtat, quando ſpe auxilii ex altero excidimus (SAUNDERS *l. c. p.* 58. MADDOCKS *ibid. p.* 141. SHIRREFF *ibid. p.* 151.). Nouiſſimum eius documentum in virgine habui, quae quotidiana vehementi per duas cum dimidia hebdomades afflicta et rite a me tractata, fruſtra vſa fuerat per plures apyrexias cortice vulgari, ſed paucis pulueribus ſcrupuli vnius corticis rubri hunc

ſtatim

ſtatim effectum ſenſit, quod paroxyſmus, qui olim ſtatus fuit, quatuor horas ſerius rediret et longe mitius, demum continuato vſu ſileret omnino nec rediret, etiamſi celer virium reditus pertaeſam eam repetitionis redderet. Alia quoque in praxi mea velocis et conſtantis effectus caſus mihi obuiam venere. Fuit qui vncias ſex corticis tenuis fruſtra ingeſſerat, ſed vncia vna et dimidia rubri erat ſanatus (COLINGWOOD *l. c. p.* 273.). Equidem puluere maxime delector, alii quoque, ad ſcrupulum vnum, drachmam dimidiam (SHIRREFF apud SAUNDERS *p.* 152. *ſq.*), ſcrupulos duos (FARRE *l. c.* apud SKEETE *p.* 118.). Nec nocuerunt maiores doſes drachmae vnius vel ſcrupulorum quatuor, quauis ſecunda vel tertia hora (FARRE *l. c. p.* 116.). Omnes tamen tam inſignem doſin non ferre, inde cognoſcitur, quod vir alias robuſtus ex drachma vna animo linqueretur, nec aegritudine ſua niſi emetico dato liberaretur. Aliis placet infuſum frigidum (SAUNDERS *p.* 59.), vel puluis vna cum ſaturato decocto et tinctura eius addita (JACOB apud EUND. *p.* 87.), quibus ambagibus arbitror non opus eſt; alius acquieuit electuario addito oleo Menthae Piperitae et ſeminum Carui (BISHOP *ibid. p.* 93.); aliis e re viſum extracto reſinoſo vti (JACOB *l. c. p.* 89. BRABANT *l.*

c. p. 179.). Tincturae quidam plurimum tribuerunt (FARRE apud SKEETE *p.* 118.).

Licet et ipſe magni hunc corticem faciam, nolim tamen tantopere deprimi vulgarem iſtum tenuem, vt multi praeconum rubri faciunt. Innumeros aegros a febre intermittente aliisque multis morbis eius ope ſanatos, quis negare audebit; multos non ſanari, in vitio medici iuſto timidioris vel aegri iuſto negligentioris cauſam ſaepe habet. Nec aſſentiri poſſum inde praeſtantiam habere rubrum, quod ex trunco vel ramis petitus ſit, prout cerdones praeferunt ſcopo coriario corticem craſſum tenuiori, quod argumentum LISTERI nimis crebro repetitum a recentioribus practicis. Nam dubium ſupra propoſui, an vterque cortex ex eadem arbore ſit; et quodſi eſſet, quo iure aliquis in adſtrictionis vi, quae omnino in craſſiori cortice eminet, totam dignitatem corticis Peruuiani quaerit? Ab hacce ſi vnice virtus febrifuga Chinchinae dependeret, locum cedere deberet cortici Quercus, Gallis, radicibus Tormentillae, Biſtortae etc., quae ſuffocant quidem febrem, non curant.

Commemoranda quoque aduerſa quaedam huic cortici in febribus intermittentibus effata. Edinburgen-

burgenſes plures medici ſunt, quibus vel nullam praerogatiuam mereri prae vulgari viſus, vel qui illum virtute caſſum repererunt; diſplicet quoque variis Belgicis medicis (KENTISH *l. c. p.* 46.). Ita medicus Gothoburgenſis DUBB praerogatiuam negat (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 5. *p.* 162.). Dolet et cl. VOGLER (*Pharm. ſel.* 1788. *p.* 27.) exſpectationi ſuae non reſpondiſſe rubrum. Sed quid mirum ſi non omnibus auxilio fuerit; quale ſpecificum tam infallibile eſt, quin aliam ſubinde medendi normam admitteret. Aliquando, etiamſi modica doſi, ſtomachum grauauit, nauſeamque et vomitum excitavit; vnde ab adminiſtratione eius receſſit cl. BAKER (*Med. Tranſ. vol.* 3. *p.* 162.).

Aſt et in aliis morbis, etſi paucioribus exemplis, vires eius tentatae ſunt. Ex hoc numero rheumatiſmus acutus fuit, praecipue tertianam duplicem mentiens, in quo tutiſſimum illo vti in connubio antiphlogiſticae medelae poſt ſeptimum diem a febris rheumaticae initio (SAUNDERS *l. c. p.* 75. *ſq.*). Ita in periodicis doloribus praeſertim capitis conducit, quando tonicis locus eſt (MADDOCKS *l. c. p.* 143. *ſq.*); prout etiam rheumatiſmo periodico medelam praebet (COLINGWOOD *l. c. p.* 274.). Febres

lentas neruoſas celerius tollit, quam alter cortex, etiamſi nulla criſis percipiatur (ID. *l. c.*). In febre putrida, ſumma virium proſtratione et delirio ſtipata, eximium vſum praeſtat (FOTHERGILL *l. c. p.* 118.). Sphacelo, qui febrem malignam excepit, in connubio anodynorum et vini limitem poſuit (BISHOP *l. c. p.* 93. Conf. liber cl. SKEETE *p.* 118.).

201. C.

Pharm. CHINCHINAE CARIBAEAE ſ. JAMAICENSIS *Cortex.*

Cinchona Caribaea; pedunculis vnifloris LINN *Sp. pl. p.* 245. *Syſt. veget. ed.* 14. *p.* 214. JACQU. *Obſerv. bot. P* 2. *p.* 27. *tab.* 47. *Amer. pict. p.* 35. *tab* 63. Conf. cl. WRIGHT deſcriptio in *Philoſ. Tranſ. vol.* 67. *a.* 1777. *p.* 504. *ſq.* et icon *tab.* 10. Arbor in inſulis Caribaeis ſpontanea, nominatim in Jamaica, latere ſeptentrionali ſolo lapidoſo prope littus marinum.

Altitudinem pedum viginti (WRIGHT *l. c.*) ad quadraginta (ID. in *Med. comment. vol.* 5. *p.* 398.) attingit, trunco quoad proportionem modice craſſo, ſed duro, tenaci et coloris intrinſecus flauido albi. Corticis numeroſis ſpeciminibus, quae mihi miſit

cl.

cl. WRIGHT, edoceor, eundem variare inſigniter pro parte, ex qua deglubitur. Ex trunco ſeparatus fragmenta conuexo plana, ſpithamam circiter longa, ſeſquilineam ſubinde craſſa, repraeſentat, in quibus duo ſtrata facile diſtinguas, aliud externum craſſius, ad lineam fere vsque ex epidermide enatum, multis profundisque fiſſuris ſcabrum, flauidum, ſpongioſum, facile inter digitos conterendum, inſipidum; aliud firmum, fibroſum, profundius, vel ex virideſcenti brunum, ex dulci nauſeoſe et intenſe amarum. Specimina ex ramis ſeparata conuexa vel conuoluta exiſtunt, epidermide tenui griſea rugoſa obducta, cui adhaerent ſubinde manifeſtius lichenes leproſi, nec demta hacce aliud quam brunum ſtratum cernitur. In ramulorum cortice omnia teneriora et pallidiora ſunt. Cortex, qui praeſto eſt radicis, fragmenta plana refert, exuta epidermide. Saporem raphanaceum et aromaticum, quem cl. WRIGHT ſignificat, ſub primo guſtatu immixtum nullibi ſentio, nec manifeſtam adſtrictionem. In meis exemplis omnibus et ſingulis, quin et feſtucis interna ſuperficies cryſtallulos ſcintillantes emiſit. Arbitror ſtratum externum tanquam iners reiiciendum eſſe. In puluerem redactus refert hicce corticem Peruuianum vulgarem. Aquam tam frigidam

gidam quam calidam imbuit ſuis virtutibus. Vncia eius dimidia, cum aquae fontanae libris duabus ad vnam cocta, ſaturatum decoctum praebet, et coloris profundioris, quam ex triplo corticis vulgaris, coloris bruni, ſed non turbidi (WRIGHT). Debilior longe adſtringendi vis illi ineſſe videtur, vel ex iudicio experimenti cum martiali admixto (SKEETE's *Exper. and Obſ. of the Peruvian bark, p. 339.*).

In febribus remittentibus, qualibus accuratius non determinat cl. WRIGHT, iſte ſaepe in Jamaica corticem hunc tentauit optimo euentu, praemiſſo ſurſum vel deorſum euacuante. Ventriculum roborare, nauſeam et vomitum compeſcere, morboſam primarum viarum colluuiem corrigere ſicque morbum vincere obſeruauit. In vniuerſum merito pro efficaci tonico et antiſeptico declaratur.]

Hactenus deſunt per partes enucleatae de eius vi hiſtoriae; nec tantum famae excitauit, vt per commercia officinas noſtras intraret.

201.d.

201. d.

Pharm. CHINCHINAE SANCTAE LVCIAE *Cortex.*

Cinchona floribunda; floribus paniculatis glabris, capſulis turbinatis laeuibus, foliis ellipticis acuminatis glabris SWARTZ *Prodr. veget. Ind. occid. p.* 41. (Citat *Act. nat. curioſ.* 1787. qui ipſe annus nondum prodiit). Cinchona floribus paniculatis glabris, laciniis linearibus tubo longioribus, ſtaminibus exſertis, foliis ellipticis glabris BANKS in DAVIDSON'S *Account* in *Phil. Tranſ. vol.* 74. *p.*453. cum fig. *tab.* 19 (floribus clauſis) item DAVIDSON in *Tranſ. of the Amer. phil. Society, vol.* 2. *p.* 292. Cinchona *montana;* foliis ouatis vtrinque glabris, ſtipulis baſi connato-vaginantibus, corymbo terminali, corollis glabris DE BADIER in ROZIER *Obſervat. ſur la Phyſique, tom.* 34. *p.* 129. *tab.* 1. (floribus apertis et praeſtantior quam ſupra citata icon). Quinquina-Piton ou des Montagnes, Quinquina indigene de la Guadeloupe et de la Martinique Gallis (DE BADIER). Nomen Piton ſignificat loco natali ſummitatem montium (MALLET). Arbor in inſula St. Lucia, Martinica, Hiſpaniola, Guadelupa, creſcens.

Male

Male a quibusdam, vt cl. DAVIDSON (*Amer. Tranſ. l. c. p. 292.*), item cl. KENTISH (*Exper. and Obſ. on the Peruvian Bark, p. 51.*), Cinchona haec et Caribaea pro iisdem declarantur, quum corticum vires aeque ac arbores ipſae differant. Nec ad Caribaeum corticem, ſed ad illum St. Luciae pertinent experimenta a cl. KENTISH (inde a *p. 51.*) narrata.

Arbor aemulatur in inſula Lucia ſtaturam Ceraſi, delectatur vmbra, hinc ſub altioribus arboribus ſeſe abdit, et plerumque in medio monte prope riuos ſitu ex ſeptentrione occidentali inſulae reperitur. Occupat vulgo argillam tenacem rubrum. Lignum leue et ſpongioſum eſt caretque amaritie corticis, ſed haecce ineſt foliis, et flores, ſemina &c. apparent hiſce magis amara et adſtringentia DAVIDSON *ll. cc.*). Arbores vetuſtiores tamen craſſiorem truncum gerunt, quam qui a viro brachiis comprehendi poſſit (DE BADIER). In Guadelupa et Martinica haud procul a ſummitate montium creſcit.

Circa annum 1780. detecta arbor ab ANDERSONIO in inſula St. Lucia, vbi paullo poſt cum cortice in noſocomio generali experimenta capta (DAVIDSON). Aſt in Galliam cortex iam anno 1777. ex Martinica a cl. DE BADIER parua quantitate translatus

latus fuit. Nouas dein ſuppetias ibidem procurauit praefectus Martinicae DE TACHER. Senſim quoque in Angliam et parcius in Scotiam peruenit. Paucioribus tamen modo hiſtoriis in Europa de effectu conſtitit; in inſulis Americanis crebrior eius vſus fieri videtur.

Sub epidermide griſea, hinc inde maculis albis, forſitan ex lichenis initio, difformibus latis veſtita, parenchyma latet pallide brunum fibroſum, nonnihil tenax. Specimina, quae coram ſunt ex vario fonte, conuolutam formam habent, dodrantalis imo pedalis longitudinis, diametri digiti maioris, craſſitiei dimidiae lineae vel tenuioris.

Sapor eius primum adſtringens, ſed ſuperatur hicce mox inſigni amaritie, Gentianae ſaporem aemulante et nauſeoſa; odore caret, nec ſpirat exhalando liquida eo impraegnata vllum. Omne fere ſolubile aqua extrahi poteſt, et ſola frigida infuſio iam illi colorem valde rubrum et amaritiem cum adſtringendi ſenſu ipſius corticis impertit. Idem color et ſapor ex infuſione aquae calcis. Quartam extracti aquoſi nigri amariſſimi partem largitur (MALLET in *Mem. ſur le Quinquina de la Martinique connu ſous le nom de Quinquina-Piton*, 4. *p.* 8.): quin alius

$\frac{2}{3}$ co-

$\frac{2}{3}$ coctione eruit (WILSON in *Phil. Tranſ. vol.* 74. *p.* 453.). Spiritus vini, cortice digeſtione impraegnatus, poſt biduum turbatur ex gummoſa materie, ſed aqua commiſceri poteſt absque pelluciditatis iactura (ID. *p.* 9.). Tinctura ſpirituoſa pariter grate rubra eſt, et extractum praebet, amaritie Aloi non cedens, quarta parte corticis grauius. Qualecunque menſtruum ex dictis ſit, color enaſcitur addito martiali aliquo praeparato intenſe niger (DAVIDSON). Amplior experimentorum horum aliorumque ſimilium recenſus aliunde petendus (Ex MALLET *l. c.* KENTISH *l. c. p.* 58. DOLLFUSS in CRELLS *chem. Annal.* 1787. *vol.* 2. *p.* 147.), vbi et in comparatione chemica corticis vulgaris cum iſto St. Luciae res verſatur.

De viribus autem eius in corpus humanum nonniſi immediata eius adminiſtratione certe iudicari poteſt. Sane vel hae innotuerunt, quae ne coniectura quidem comprehendi poterant. Etenim, ſiue oſcitantius ſiccetur ſiue maiori ſollertia, facile vomitoria et alui deiectiones excitat (DAVIDSON in *Amer. Tranſ. l. c. p.* 291.). Si in puluere exhibetur, ventriculus non vltra grana viginti fert; hinc nunquam vltra viginti grana data (ID. in *Phil. Tranſ. cit. p.* 454.)

p. 454.). Quin grana octo aliquando eundem effectum excitarunt (MALLET *l.c. p.* 13.). Sed eadem et decocti et boli cum ſyrupo Althaeae parati euacuandi poteſtas (MALLET *p.* 12.). Vnde repugnat facile in vſu pergere.

Praecipua eius laus in febre intermittente fuit; in qua ipſa euacuandi eius poteſtas permiſit, vt iam ſecundo paroxyſmo eoque nondum exſpirante praeberetur (DAVIDSON in *Amer. Tranſ. l. c.*). Plurium caſuum ſucceſſum breuiter exponit cl. MALLET, vnde conſequitur etiam in protractiori febre valuiſſe et ſubitam vim exſeruiſſe, modo iuſtam continuationem non recuſarent. Tutiſſimum eſt, paruis doſibus granorum quinque octo, decem, acquieſcere ſub iuſtis interuallis, et Canellam albam vel aliud aroma ad ventriculum placandum addere (KENTISH, *p.* 79.). Quin in quartanis contra vulgarem corticem, item rubrum obſtinatis, valuit ter de die ad octo grana cum Canellae albae quinque granis datus (*l. c. ſq.*). Sic et immorigerae tertianae eius ope ſublatae (*l. c.*). In noſocomio Guyano Londini quum tentaretur ad drachmam dimidiam, nauſea quibusdam aegris moleſta fuit, nec velocitate effectus ſeſe commendauit; hinc omiſſus eius vlterior vſus (SKEETE *on the Peruvian Bark, p.* 352.).

 Praeter

Praeter puluerem aliis commodius viſum, infuſum frigida aqua, vel aqua calcis, paratum exhibere, ea proportione, vt corticis vncia vna pro aquae pintis tribus ſumerentur (DAVIDSON in *Phil. Tranſ. cit. p.* 454. *Amer. Tranſ. l. c. p.* 291.). Sufficit infundere corticis drachmae vni, vel in quibusdam caſibus dimidiae, per duodecim horas pintam vnam aquae (KENTISH *l. c. p.* 79.). Elegans tinctura ſpiritu vini cum Canella alba enaſcitur, ſed longe intenſiorem ſaporem habet illa, quae ex ſeminibus fit (DAVIDSON *l. c.*). Extractum aquoſum vel ſpirituoſum a ventriculo melius fertur, et videtur extractum vtroque menſtruo paratum continere omnem corticis efficaciam (ID. in *Amer. Tranſ. cit. p.* 291.). Decoctum (MALLET, *pag.* 12.) ſine dubio reliquis omnibus praeparatis ingratius capitur.

In dyſenteria putrida et dyſenteria febre intermittente copulata egregiam virtutem praeſtat, cuius non minima pars haec eſt, quod euacuet (DAVIDSON in *Amer. Tranſ. l. c. p.* 293.).

Efficaciae quoque exemplum in diſpepſia (KENTISH, *p.* 80.), aliud in dyſpnoea (*l. c. p.* 88.) exſtat. Sed pauciora iuſto hactenus experimenta ſuppetunt, quam vt hic cortex diu vſitato palmam praeriperet.

201. e.

201. e.

Pharm. CHINCHINA DE SANTA FÉ.

Sub hoc nomine exſtant corticis duae ſpecies, quae a cl. ORTEGA Madrito ad Baronetum JOSEPHUM BANKS miſſae fuere, item in collectione rerum naturalium LINNEI, filii, poſt mortem deprehenſae.

Ab hoc vna (A) vocata *Cinchona Peruuiana*, adſcriptumque fuit ſpecimini, illud a. 1780. a LOUIS NÉE Loyae in Peruuiano regno repertum. Huius cortex magis flauus apparet, quam alter. Refert ſapore vulgarem corticem Peruuianum, non vero aeque efficax viſus; ſubinde mixtus cum eodem in iisdem ciſtis, quibus transmittitur, obtinet (GROSCHKE in BLUMENBACH *Bibl. vol.* 2. *p.* 490.). In meis ſpeciminibus, quae ſubplana ſunt, fragmentis palmam longis lineam dimidiam craſſis, ſub cuticula alba verrucoſa compagem fibroſam ex flauo brunam modice tenacem conſpicio, ſaporem ſentio longe minus amarum, quam in reliquis omnibus Cinchonae corticibus. Ex dictis conſtat Peruuianum regnum patriam agnoſcere.

Altera ſpecies (B) a LINNEO, filio, *Cinchona Bogetenſis* (non Bogerenſis) dicta. Plantae eius ſiccae adſcriptum fuit nomen cl. MUTIS et LOUIS NÉE 1780,

et patria St. Fé in Carthagena. Colorem eius obſcuriorem eſſe notat cl. GROSCHKE, quod et in meo ſpecimine ita ſeſe habet, tam quoad epidermidem, quam ſubiectum corticem, cuius ſuperficies ſuperior rubicunda, ſapor non valde amarus, ſed tanto acerbior. In mappis geographicis intra Terram firmam notatur quaedam Santa Fé de Bogeta, quae ſine dubio ad indicia dicta pro eius loco natali habenda eſt.

Sunt hae ſine dubio eaedem ſpecies corticum, quae iuſſu Regis Hiſpaniae tam ad ſocietatem medicam R. Pariſienſem (*Hiſt. de la Soc. R. de Med.* 1779. *p.* 257. *ſq.*), quam ad ſocietatem R. Londinenſem (BAKER in *Med. Tranſ. vol.* 3. *p.* 155.) explorationis cauſa per cl. ORTEGA, Prof. Bot. Madritenſem, vna cum ſtirpibus ſiccis miſſae fuerunt. Ex Cinchonae genere eſſe agnouerunt Pariſienſes botanici. Cl. BUCQUET (*Hiſt. de la Soc. de Med. l. c. p.* 259.) extractum ex vtroque parauerat, cuius proportionem et naturam data opera hic omitto. Vterque cortex circa a. 1779. magna copia admixtus vulgari cortici Londini repertus eſt, et inſuper ſimul haud parum ſpurii cuiusdam corticis. Ex iudicio ſaporis et externi habitus poſtponit iſtos ex Santa Fé multum vulgari cl. BAKER, cui de ſapore effato quoque ſubſcribo.

Quan-

Quantum ſcio, in Europa ſerio neuter hactenus praeſcriptus aegris fuit, ſed manſit in cimeliis collectorum ſuppellectilis medicae. Tractatum vero peculiarem de eo conſcriptum: *Memoria o Diſſertazione ſopra la nuova China del regno de St. Fé, nell' America meridionale cive Alcune Riffleſſioni ſopra la Medeſima fatte dal Dottore* ASTI *ed a lui ſcritte in due Lettere* 1784. 1785. *al chiar. Borſieri. In Mantua* 1786. 4. quoad titulum modo noui.

Deſignantur inſuper aliae ſpecies Cinchonae in St. Fé oriundae, a botanicis hucusque non ſatis determinatae, ſed in collectione ill. BANKS obuiae, ſcil. Cinchona corymboſa a cl. ORTEGA miſſa, Cinchona pubeſcens ab eodem (GROSCHKE *l. c.*), quarum vero cortices vſu medico non inclaruerunt. Patet ex omnibus nomine St. Fé adſcripto locum natalem non ſatis indicari, quum plurium prouinciarum auſtralis Americae loca exſtent hocce nomine inſignita.

201. f.

Pharm. CHINCHINAE ANGVSTIFOLIAE *Cortex.*

Cinchona anguſtifolia; foliis lanceolatis pubeſcentibus, floribus paniculatis SWARTZ in *N. Vet. Ac. Handl.* 1787. *p.* 119. *c. ic. tab.* 3. Cinchona anguſtifolia; floribus paniculatis glabris, capſulis oblongis pentagonis, foliis lineari lanceolatis pubeſcentibus ID. in *Prodr. veget. Ind. occid. p.* 42. Arbuſcula, habitans ad ripas fluuiorum inſulae Domingo.

Ibidem eam inuenit cl. SWARTZ, qui vnicus eiusdem et virtutis corticis hactenus meminit. Cortex inferioris trunci partis craſſus, ſcaber, rimoſus eſt, griſeus praeterea vel obſcuri coloris, interna ſuperficie viſcoſus; ſuperioris autem partis et ramorum minus viſcoſus. Sapor intenſe amarus et praeterea nonnihil dulcis cum leui aromate. In comparatione cum vulgari cortice Peruuiano apparet, infuſum tam aquoſum calidum quam ſpirituoſum profundiorem colorem ex eadem quantitate adſciſcere et hunc corticem breuiori tempore decoctione cum aqua erogare partes ſuas ſolubiles (SWARTZ in *Vet. Ac. Handl. l. c. p.* 121. *ſq.*). Vitriolo martis mixtum

nigro-

nigrorem profundum contrahit. Aemulari vires vulgaris medicas paucula SWARTZII experimenta ſuadent.

Nolo heic peculiari articulo augere numerum corticum huius generis cortice *Cinchonae corymbiſerae* FORSTERI (*Nov. Act. ſcient. Vpſal. vol. 3. p.* 176. LINN. *Suppl. plant. p.* 144. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 214.) intra tropicos in inſulis Tongatabu et Eaoowe maris pacifici habitantis, quoniam modo formam et ſaporem eius nouimus, qui amariſſimus, ſubadſtringens, ſimillimus cortici Peruuiano deſcribitur. Equidem mea ſpecimina, quae cl. ABILDGAARD, Profeſſori Hafnienſi, debeo, omnibus numeris congruere ſpecimini ſub litt. (B.) corticis de S. Fé reperio. Conuolutam formam habent. Id modo addo, cautum eſſe debere medicum in eligenda prae aegris vna vel altera horum nouorum corticum ſpecie, ne fallatur nomine. Nam pharmacopolae ſeruant ſub eodem ſaepe diuerſiſſimos forma, et conſequenter etiam virtute, cortices, vt pluries comperi. Dono mihi quoque miſit cl. WRIGHT cortices *Cinchonae albae* ſ. Caſcarillae Hiſpanorum, *Cinchonae brachyurae*, *Cinchonae triflorae*, qui omnes ſapore amaro vel et ſimul aromatico inſignes vires ſpondent, ſed omittendi hic ſunt, quum

de experimentis ex inſtituto cum iisdem factis mihi nihil innotuerit.

De *cortice Anguſturae, cortice Chinchinae regio* ſ. *Chinchinae flauo*, item *cortice Chinchinae Surinamenſis* infra intra vegetabilia ignoti generis agetur.

RHODODENDRON.

LINN. *Syſt. veg. p.* 337. *Gen. pl. p.* 218.

214. b.

(Vol. 2. p. 74. pone Vaccinium Myrtillum.)

Pharm. RHODODENDRI *Herba.*

Rhododendron Chryſanthum; foliis oblongis inpunctatis ſupra ſcabris venoſiſſimis, corolla rotata irregulari, gemma florifera ferrugineo-tomentoſa LINN. *Suppl. pl. p.* 237. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 405. Rhododendron Chryſanthum; foliis ouatis ſcabris, margine reflexis, ſubtus glabris, vmbellis terminalibus, corollis flauis irregularibus PALLAS *Flor. Roſſ. tom.* 1. *P.* 1. *p.* 44. *tab.* 30. *Reiſe durchs Ruſſ. Reich, vol.* 3. *p.* 369. *tab. n. fig.* 1. 2. KÖLPIN *prakt. Bemerkungen üb. d. Gebrauch d. Sibir. Schneeroſe* 1779. cum *ic.* ex PALL. Itiner. cit. Andromeda foliis ouatis, vtrinque venoſis, corollis campanulatis obliquis longiſſimis GMEL. *Flor. Sibir.*

bir. vol. 4. *p.* 121. *tab.* 54. absque flore. Frutex creſcens in ſummis montibus niualibus iugi Saianenſis ad Jeniſeam fluuium, in elatioribus alpium inter Sibiriam et Dauriam, in alpeſtribus elatioribus circa lacum Baicalem; per omnem frigidam Sibiriam orientalem etiam in humilioribus montibus in Camſchatca et inſula Beringia tam in ſummis rupeſtribus, quam locis depreſſis muſcoſis ad radices montium et ſtagna. In alpinis pedali minor, in depreſſioribus ſeſquipedalis.

Serioribus modo annis hac ſtirpe aucta fuit ſuppellex medica, eiusque prima in ſanatione morborum laus ex patria eius originem traxit. Inde quoque petere opus fuit herbae quantitatem, medicis cultiorum et a Ruſſia remotiorum regionum neceſſariam; quod vna cum valore cariori, quo venit, in cauſa videtur eſſe, quod pauciora experimenta cum eodem facta et per partes enucleata innotuerint. Senſim cecidit Petropoli valor a nouem Rublonibus (KÖLPIN in GRUNER *Almanach für Aerzte u. Nichtärzte* 1783. *p.* 171.) ad vnum pro libra (PALL. *Fl. Roſſ. p.* 45.). In Heluetia quidam Rhododendron ferrugineum L. illi ſubſtituere coeperunt (*N. nord. Beytr. vol.* 4. *p.* 404.).

Quodſi vero ſummam efficaciam exercere debeat, ſedula ratio tam ſoli, quo creſcat, quam temporis collectionis, habenda eſt, quibus momentis haud parum a gentibus, inter quas indigena eſt, peccatur. Ad Baicalem enim decerpta folia eminent ſola vi narcotica, ad Lenam autem potius cathartica; ita in Camſchatca debiliora, et in inſula Beringii decoctum fruticis nec inebriat, nec aluum movet, ſed ſenſu ſuffocationis, licet poſt aliquot horas euanido, torquentur (STELLER in GMEL. *Fl. Sib. l. c. p.* 124.). Praeſtat efficacia ſtirps alpina iſti in depreſſioribus locis creſcenti. Male quoque herba nonniſi capſulis maturationi proximis vel ſerius a Coſaccis colligitur, quo tempore flaueſcere iam incipiunt folia nonnulla, minori amaritie inſtruuntur, quam dum floret (PALL. *Reiſe l. c. p.*370. *Fl. Roſſ. p.* 46.). Merito itaque vel ante antheſin vel per eandem collectio fieri deberet.

Non potuerunt exteros ad vſum medicum excitare, quae peregrinatores quidam antiquiores per Ruſſiam proficiſcentes ſuis ſchedis notarant, quum ſero tantum ex tenebris ſuis protractae fuerint. Intelligo cl. JO. GE. GMELIN *Florae Sibiriae tomum quartum* (qui modo a. 1769. prodiit, editore SAM. GOTTL. GMELIN), STELLERI et MESSERSCHMIDII pugillares.

Verum

Verum poſtquam ill. PALLAS in peregrinatione ſua per Ruſſicas ditiones vires ſtirpis curatius inueſtigaſſet et prolixius de iisdem poſtea expoſuiſſet (*Beſchäftig. d. Berl. Geſellſch. naturforſch. Freunde, vol.* 1. 1775. *p.* 421. interprete cl. KÖLPIN. *Neue nord. Beytr. vol.* 3. *p.* 399. *vol.* 4. *p.* 404, praeter *Itinerarium* et *Fl. Roſſ. ll. cc.*), celebrari hinc inde coepit. In Germania inclaruit praecipue KÖLPINI eleganter de eo conſcripto libello, pluribus caſibus practicis ornato. — Poſtea praeter *Pharmacopoeam Roſſicam, p.* 43. *Ph. Edinb. nouiſſima p.* 50. eam recepit.

Ex Ruſſia transmittuntur in pharmaceuticum vſum non folia ſolum, ſed et ramuli circiter palmares, quibus inſident cum gemmis conuolutis et ſerie ſquamarum gemmacearum, ramulos vndique cingentium, et ſaepe vna pedunculi reſidui terminales cum receptaculo florum, prout ex ſarcina a generoſ. L. B. AB ASCH mihi miſſa cognoſco. Deprehendo in hac quoque multa folia decoloria maculata, et folia quidem omnia verſus ramulos replicata; vnde vinculum faſciculos in formam rotundato oblongam coarctat. Stipites, vt cum pharmacopolis loquor, vtpote inertes fere creditos reiicere ſuaſum (PALLAS *Fl. Roſſ. p.* 45.), ſapor tamen te-

nello-

nellorum ramulorum licet differat ab iſto foliorum, non tamen inertiam indicat. Nempe folia ſicca auſtera ſunt cum notabili amaritie; ramuli mihi parcius amari, ſed magis auſteri apparent vna cum ſenſu acrimoniae manifeſto; hunc et cognoui in cortice ramulorum lignoſorum, dum in teneriori-bus tota compages acri penetrari videretur. Odor in ſicca ſtirpe ad rhabarbarinum nonnihil inclinat. Decoctum bruno rubicundum eſt et odorem ſpirat nauſeoſum; ſaporem vero exhibet ex auſtero, amaro et acri, compoſitum. Infuſum concentratum ad Theam Boheam proxime accedit (KÖLPIN *l. c. p.* 23.). Adſtringens natura ſeſe etiam declarat nigredine in-fuſi ex martialibus (HOME's *clinical experiments, p.* 145.).

Multa ſeſe ſigna efferunt, quod in neruos eo-rumque fontem inſignem efficaciam exſerat, narco-ticorum in morem. Non brutorum naturam con-tra hanc omnino obduruiſſe exemplum capreoli manſueti teſtatur, qui foliis denis deuoratis poſt aliquot minuta pr. temporis tripudiare, caput alli-dere, titubare coepit, dein in genua procidit; re-fectus tandem ſomno per quatuor horas durante, ita tamen vt poſtea ſtirpem oblatam omnino repu-diaret (STELLER in PALLAS *Fl. Roſſ. p.* 45.). Sed

prout

prout animantium indoles multipliciter diſcrepat: ita pabulum innocuum conſtituit ceruorum et moſchorum, et in horum quidem occiſorum ventriculo reliquiae ſtirpis repertae ſunt (PALLAS *Reiſe l. c. p.* 370.). Non culpa eam liberat, quod dilutum eius virus homines non afficiat, praecipue ſi vis conſuetudinis ſeſe immiſceat, prout Tataris ſylvicolis ad Sajanenſe iugum degentibus inſtar Theae quotidiano vſu et, vt putant, ſalutari venit (*l. c. p.* 369. *Fl. Roſſ. l. c.* 45.). Idem vero infuſum, ſi ſaturatius fit, paullo inebriat, vt ſint, qui grati inebriaminis inſtar iſtam vſurparunt (STELLER *l. c.*). Et decoctum ex ramulis et foliis clauſo probe vaſe paratum, quod ſaturum amarum et brunum eſt, calorem febrilem, inebriationem imo mentis abſentiam generat, ſub qua in artubus vel interioribus partibus, dolore correptis, formicationis ſenſus continuus enaſcitur, euanido poſtea dolore et reconciliata omnino priſtina mentis ſerenitate (PALLAS *Reiſe l. c.*). Calor, qui ſub vſu ſubinde redundat, ſitim ciet ſaepe intenſam, quam ſi gelida pota reſtinguere tentant, emeſis ſubſequitur vehemens et ſalutaris (PALLAS *l. c.*). Decocto foliorum duo vel tres dies potato venatores et glaciei mariae foſſores ad Lenam habitantes, dum primis diebus laborum

rum defatigantur et perpetuo montium aſcenſu genuum dolorem contrahunt, tam laſſitudini quam dolori medentur, ſed nonniſi praeuio ſomno et inebriatione (GMELIN *l. c. p.* 123.).

Haecce phaenomena alios inuitarunt ad ſtirpem in doloribus rheumaticis et arthriticis applicandam, ſub qua adminiſtratione acceſſerunt haud pauca alia, quae narcoticam naturam confirmant. Reſtringenda autem eius laus eſt ad chronica mala vel ſaltim nonniſi deſaeuiente febre ea propinanda; nam licet in nonnullis arteria 14, 24, 30, 38 ictibus lentius et debilius poſt captam illam micet (HOME *caſ. l. c.* Conf. *caſ.* cl. KÖLPIN), item intermittat (KÖLPIN *caſ.* 1.): aliis calor febrilis ſentitur (Vid. ſupra et KÖLPIN *caſ.* 13 *et* 14.); nec leuamen vllum doloris in morbis huius naturae acutis ſubſequutum, rem dirigente cl. HOME, etiamſi venaeſectio et medicina antiphlogiſtica non negligeretur, et Rhododendron tanta doſi caperetur, vt vertigo accederet. Abſente febre autem quantum valeat, caſibus quindecim a cl. KÖLPIN, quatuor a cl. GRUNER (*Almanach cit. p.* 172. *ſq.*) et duobus a cl. STARCK (in ZAHN *Diſſ. de Rhododendro Chryſantho, Ien. p.* 18. *ſq.*) vberius deſcriptis, edocemur. Symptomata capta illa emer-

emergentia non apud omnes hosce aegros eadem ſunt. Id tamen euincitur, nauſeam vomitionem materiae viſcidae brunae amarae et aluum ſolutam non raram eſſe, caput obnubilari facile, quibusdam ardorem et conſtrictionem faucium moleſtam eſſe, alios ſentire oppreſſionem pectoris, pruritum oculorum, naſi vel cutis, vel pati ſenſum vſtionis, formicationem, vel punctionem quaſi ab acubus, vel ſtuporem partis, quibusdam lacrymari oculos, exanthemata erumpere. Praeter dictas euacuationes in aliis ſudoris copioſior eiusdemque foetidi eruptio adiuuat medelam. Quibusdam quoque lotium abundantius fluxit (HOME *l. c. p.* 149.). Varii ingrati ſenſus, de quibus dixi, acrimoniae ſtirpis, quantum apparet, effectus ſunt, breuis tamen durationis. Praeſtantiam vero ſuam declarat, ſiue dolor fixus inhaereat, ſiue vage oberret (Caſus a GRUNERO propoſiti). Tuſſim et ſcreatus pituitoſos ex malo pectus occupante quoque leuat. Non ſufficere iſchiadi neruoſae tollendae ex caſu ſingulari annotauit KÖLPINUS (*l. c. caſ.* 13.). PALLASIUS autem meminit viri diuturna iſchiade neruoſa paene claudi et emaciati, ſed diuturno vſu Rhododendri omnino ſanati (*Fl. Roſſ. p.* 46.). Citius et efficacius aegris robuſtis et integritate virium fruentibus auxi-

auxilium affert, quam contrario modo ſeſe habentibus.

Mitigat quoque dolores artuum venereos, quamuis ipſum virus in Dauria non ſufflaminauerit. Sed non omni huius generis efficacia carere, ſingulare exemplum perſuadere viſum eſt (KÖLPIN *caſ.* 2.).

Audaciores admonendi ſunt, rem eſſe cum efficaci remedio, quod prouidam adminiſtrationem, tam in ſelectu aegrorum quam doſi et ordine praebiorum adhibendam, requirit. Attamen et exemplum praeſto eſt continuationis per biennium protractae et doſeos quatuor vnciarum infuſi ſaturati impune capti (PALLAS *Fl. Roſſ. p.* 46.). Sordes primarum viarum ſi latent, hae ante praebia ſtirpis euerrendae ſunt. Pro formula proponitur ſequens: ℞ Stipit. et folior. Rhodod. ʒij. ad ℥ß. Infund. cum Aqu. font. ℥ix. Stent in digeſtione in vaſe bene obturato per horas XXIV ad ebullitionem vsque. Colat. D.S. Capiatur cyathus dimidius vel ſupra pro doſi ſemel vel bis de die (KÖLPIN *l. c. p.* 20.). Prudentis et ſcientis eſt, pro re nata infuſum vel ſaturatius vel debilius parare, augere vel minuere doſin, tum et praebia, ſi opus, per tempus intermittere. Generoſo A DEMIDOF Moſcuae placuit vti pro ſe aliisque

que tinctura ex foliorum ℥ij. Spirit. Gall. et Vini Hiſpan. āā ℔ß per duas hebdomades infundendo parata et cum decocto reſidui in libra vna aquae diluta ad cochlearia quinque mane (*Neue nord. Beytr. vol.* 3. *p.* 399.). Profuit multis, inter ſolitas moleſtias, in affectionibus arthriticis, etiam in haemorrhoidibus coecis poſt vſum per dies duo vel tres (IBID.).

Queritur medicus quidam Suecicus (DUBB in *Veckoſkrift för Läkare, vol.* 5. *p.* 161.) de inertia huius medicinae, et licet infuſi libram vnam per diem aegri eius hauſerint, hi neque bonum neque malum effectum inde experti ſunt. Diiudicare cauſam huius inertiae, in tanta breuitate dictorum non vacat.

Commodi ex applicatione externa quaedam quoque documenta adſunt. Scilicet vlcere cruris enato in arthritica foemina fomentatio cum decocto ſecundario ſtirpis tam pus correxit quam conſolidationem adiuuit (KÖLPIN *caſ.* 4.). Dolores pariter dentium ex cauſa eadem conticuerunt, eodem dolenti parti admoto (ID. *p.* 114.).

De vi foliorum in alui profluuio cruento coërcendo memorat MESSERSCHMIDIUS (PALL. *Fl. Roſſ. p.* 44.)

44.), quam vero ſubſequa aetas non curauit. — Nec de poteſtate eius in tumoribus ſcirrhoſis et cancroſis mammarum, cuius Catharinaepoli quaedam indicia obſeruata, ſerius aliquid cognouimus (Vid. BÜTZOW in *N. nord. Beytr. l. c. p.* 399.). Narratum vero, poſt captam vnciam dimidiam dolorem et tumorem imminutum, ichoris acrimoniam miteſcere coepiſſe, et vnam aegram poſt ſeſquiunciam omnino conualuiſſe (IBID.).

Puluis ſcopo errhino in Sibiria contra catarrhum et in cephalalgia naribus attrahitur (L. B. AB ASCH in *litt.*). Ipſe inde copioſum muci affluxum cum ſubſequente ſternutatione in me percepi. Quin ex faſciculis modo herbae apertis, et in menſam vicinam repoſitis, pruritum ſingularem narium cum vellicatione ad ſternutationem ſenſi.

310. b.

(Vol. 2. p. 382. pone Aſtragalum Tragacanthum.)

Pharm. ASTRAGALI EXSCAPI *Radix*.

Aſtragalus exſcapus; acaulis exſcapus leguminibus lanatis, foliis villoſis LINN. *Mant. pl. p.* 275. *Syſt. veget. ed.* 13. *ed.* 14. *p.* 685. JACQU. *Collect. ad bot. vol.* 2. *p.* 269. Icon: EJUSD. *Pl. rar. vol.* 2. *faſc.* 1. *tab.* 17. recuſ. in GIRTANNERI *Abhand. üb. d. ven. Krankh. tom.* 1. *tab.* ad eund. Cf. WINTERL *Ind. hort. bot. Peſtin. p.* 14. Aſtragalus perennis ſupinus foliis et ſiliquis hiſpidis flore luteo KNAUTH *Fl. Hal. p.* 41. BUXBAUM *Pl. Hal. p.* 32. Cicer montanum ακαυλον C. B. *Pin. p.* 341. *Prodr. p.* 147. Glaux lanuginoſa montana acaulos RUPP. *Fl. Ien. ed.* HALL. *p.* 270. Planta perennis, in montibus Thuringiae, collibus ſaxoſis, glareoſis circa Nordhuſam (C. B.), in collibus Wettinenſibus Halae vicinis (KNAUTH), Traiecti ad Viadrum (HARTMANN apud TIEZ), in Hungaria, ſpontanea.

RADIX ſimplex, nonniſi verſus apicem diuiſa, perpendicularis, quatuor vel plurium pedum, lente gracileſcens, fibras ad latera ſpargens. Sicca radix multiceps, rugoſa et ſtigmatibus fibrarum reſecta-

 rum

rum notata, epidermide bruna, parenchymate albo, in filamenta facile longitudinaliter diuiſibilis. Sapor eius amaricans et ſubadſtringens eſt, odor nullus. Decoctum ſapore ad infuſum Liquiritiae prope accedit, hinc non ingrate capitur (QUARIN *Animadv. pract. p.* 320.), alius cum Amygdalarum amararum ſapore comparat (ENDTER *Diſſ. de Aſtragalo exſcapo, p.* 12. *Gotting.* 1789.), coloris ſubfuſci. Idem vitrioli martis ſolutione ſenſim obſcuratur, non vero nigreſcit. Extractum aquoſum pr. ſeſquidrachmam circiter ex vncia vna conſtituit (ENDTER); alius eius ſcrupulos decem obtinuit (WEGERICH *Diſſ. de Aſtragali exſcapi radice, Erf.* 1789. *p.* 4.), ſaporis extracti Dulcamarae. Spiritus vini praebet extracti primi ſubamari grana triginta duo (*Diſſ. cit. Gott.*). Subtiliora vel magis ambigua experimenta (*Diſſ. Erford.*) non attinet hic repetere, ex quibus hoc etiam colligitur, acidum ſacchari ineſſe. Nolo ex dictis expedire, quod ſit reſoluens, demulcens, involuens, et morbos, quibus tollendis par ſit, diuinare. Sed iis potius inſiſtam, quae arte de eius vi explorata eſſe videntur.

Periodum, intra quam inclaruit radix inſtar medicaminis ab anno 1786. numerare conuenit,

quo

quo ipſo ill. L. B. A QUARIN in lectu digniſſimo libro (*Animadv. pract.*) de experimentis quibusdam vſui in lue venerea fauentibus referret. De hoc cl. WINTERL, Prof. Peſtinenſis, Vindobonam perſcripſerat, in confinibus Hungariae, addit cl. SWEDIAUER (*On venereal complaints, p.* 259.) Turciae proximis a mulieribus morbos venereos decocti ope ſanari. Capta igitur Vindobonae in noſocomio magno experimenta, quorum ſucceſſum exoptatum hiſtoriis quatuor confirmat. In duobus horum arthritis cum ſymptomatibus variis dirioribus venereis, vt tophis, vlceribus, iuncta fuit; ſed vtrumque malum ceſſavit decocto ex Radicis vncia dimidia cum aquae vnciis quindecim, donec libra vna remaneret, cocta, quod liquidum tepide mane et veſperi ſumendum erat. Haec formula etiam aliis, qui medicinam hanc tentarunt, pro norma fuit. Seriem experimentorum ibidem in noſocomio factorum continuat cl. CRICHTON Anglus, teſtis oculatus (in cel. GIRTANNER *Abh. über d. vener. Krankh. vol.* I. *p.*406. *ſq.*). Haecce cum prioribus, nec alia, in diſſertatione Gottingenſi (*l. c.*) propoſita ſunt. Symptomata venerea, quae Aſtragalo curata dicuntur, difficilioris quoad partem generis ſunt, vt exoſtoſes capitis, tibiae, coſtarum, clauiculae, nodique, tophi, exan-

thema faciei, gonorrhoea, condylomata labiorum pudendorum, bubones, ſcabies, exanthema ſquamoſum ſuperficiei corporis, bubones, tinea capitis, vlcera. Et hisce affecti aegri omnes, tam viri, quam foeminae, intra aliquot hebdomades vel menſes valetudini reſtituti feruntur ſolo decocto radicis, et ſubinde applicatione eius externa. In tinea capitis (CRICHTON *l. c. p.* 410.) adiumento fuit praeſcindere crines ante applicationem externam, vnde exigua ſuppuratio et ſquamarum delapſus. Et hisce quidem nihil mercurii antea datum fuit, certe non ſub decurſum nouae curationis. Teſtis fidei experimentorum noſocomii Vindobonenſis quoque exiſtit cl. WERNER (in *Diſſ. de virtute Saponariae offic. Traj. ad Viadr.* 1789.). Memorabile poteſtatis exemplum exhibuit decoctum ore captum et linteolis externe applicatum in puella, poſt rebellem luem veneream exoſtoſi diuturna coſtae ſeptimae dextrae cum foeda exulceratione tentata (TIETZ *Diſſ. de virtute Aſtragali exſcapi antiuenerea memorabile exemplum, Traj. ad Viadr.* 1790. *p.* 14.). Aueo legere hiſtorias a cl. CARMINATI concinnatas, quae EJUSD. *Opuſculorum therapeut. tomo* 2. ſeruantur, quum a viro tantae perſpicaciae, ingenii et in experimentis inſtituendis patientiae, quicquid ad verum eruendum pertinet, diſcuſſum

diſcuſſum exſpectari poſſit: conſectariis inde factis non parum vſui fauentibus et dicta partim confirmantibus hactenus acquieſcere oportet (expoſitis per litteras, Ticini regii datas *d.* 15. *Febr.* 1790. in *Allgemein. Litt. Zeit.* 1790. *n.* 60. *p.* 483.).

Quoad partem modo auxilio fuit foeminis tribus iſtis, de quibus cl. WEGERICH (*Diſſ. cit. p.* 9.) narrat. Sublata quidem varia pectoris, a morbo debilitati, mala, ſed vlcera faucium et pudendorum et ſcabies pertinaciter poteſtati radicis reſtiterunt, excepto vno caſu, quo vlcera faucium conſolidata; ita vt ad alia praeſtantiora, quae ſpem confirmarunt, transeundum eſſet. Non miror, quod non ſuffecerit caſu ſingulari, quo vuula et tonſillae conſumtae erant, oſſa naſi carie correpta et vlcera ichorem mali moris fundebant, praeuio ptyaliſmo bis excitato, licet initio leuamen afferret (CRICHTON *l. c. p.* 411.). Miror potius, quod idem cl. CRICHTON, qui ambiguum huncce euentum deſcribit, nec ſine elogio Vindobonenſium experimenta dimiſit, propriis ſuis ſerius Londini inſtitutis, ad contrariam partem transgredi coactus fuerit (ARNEMANN *Progr. de morbo venereo,* 1790. *p.* 11.).

Qui vere ex lue emerſerunt, vel modo leuati, in hisce omnium conſenſu poſt potum decoctum

copioſus ſudor praecipue noctu ſucceſſit. Sunt, quibus vberius lotium mouit. Initio curationis quidam aluum ſolutam inde experti ſunt, ſed poſtea ceſſantem et diaphoreſi et diureſi locum cedentem. Sedimentum in lotio vulgo apparuit, album, mucoſum (WERNER *Diſſ. cit. p.* 4.). Subinde effectum poſt doſin drachmarum duarum vel trium praeſtat, etiamſi quatuor vel ſex et ſupra dari poſſint (CARMINATI). Mitigat ſymptomata; inprimis dolores nocturnos, et diſſipat eos quandoque omnino. Nunquam dolores creat, ne in ſumme emaciatis et ſenſilibus, vt Guaiacum et Lobelia aliquando faciunt (IDEM). Ad iudicium CARMINATI, etiamſi inueteratam luem non ſanet, progreſſui tamen eius obicem ponit longe certius, quam omnia ligna et radices, quae antiuenerea cenſentur. Dignum igitur, quae recipiatur in ſuppellectilem medicam, et vlterius exploretur, an recidiuo malo auertendo par ſit, anne valeat tum, quando mercurius iners eſt, et anne in connubio mercurii plura praeſtet, quam hic ipſe ſolus.

Supra memini ſolatii aegrorum, vna cum lue venerea, arthritide vel rheumatiſmo correptorum. Hoc forſitan anſam dedit tentandi radicem in pro-

xime

xime dictis malis, ſola dum infeſtarent. In hisce ſatisfecit cl^r. HUNCZOWSKY ſaepe egregie, quum tamen in eius apud venereos adminiſtratione voto exciderit.

PTEROCARPVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 533. Gen. pl. p. 366.*

313. b.

(Vol. 2. p. 387. pone Trigonellam Foenum Graec.)

Pharm. SANTALI vel SANDALI RVBRI *Lignum.*

Pterocarpus ſantalinus; foliis ternatis ſubrotundis retuſis glaberrimis, petalis crenatis vndulatis LINN. *Suppl. plant. p.* 318. Auctore cl. KÖNIG, qui ex patria ſpecimen cum deſcriptione et ligno transmiſerat, lignum hoc arbori praefixae tribuit LINNEUS iun. in *Suppl.* HERMANNO (*Mat. med. tom.* 1. *p.* 236.) non videtur omnino ignota fuiſſe; nam arborem indicat eſſe ſiliquoſam floribus papilionaceis affinem. Sandalum rubrum RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 2. *p.* 47. qui tamen ſtirpem ipſam non vidit, ſed pleraque ab aliis recenſita modo, praecipue ab HERBERTO DE JAGER, colligit propria diiudicatione vſus. Moutouchi ſuberoſa AUBLET *Guian. vol.* 2. *p.* 742. *tab.* 200. huc a LINNEO iun.

ob ſimilitudinem florum et fructus refertur. Arbor altiſſima in montibus Palicatenſibus Indiae intra montes Hageri et Kair-Haevram et in Zeylanicis habitans (KÖNIG *l. c.*), in Golkonda, in Timor et inſulis circumiacentibus (DE JAGER in VALENTINI *Hiſt. ſimpl. p.* 386.).

LIGNUM. Idem ac lignum Caleaturicum (teſte DE JAGER *l. c. p.* 406.). Plura ligna rubra Indica perperam Santali rubri nomine veniunt. Santalum dictum ob conuenientiam odoris fragrantis cum reliquis lignis ſantalinis. Lignum, dum caeditur, odorem gratum ſpargit, tanto penetrantiorem, quo vetuſtior arbor eſt, quem odorem per tempus et exſuccum ſeruat, radendo renouandum. Pars vero vnice medullaris arboris in vſum trahitur dicto nomine, quae, prout ſeruatur, repraeſentat fruſta, ſecundum longitudinem ſciſſa, compacta, rubra extus nigricantia fere, interne laetius rubra, fibris mox rectis mox vndatis. Cenſetur melius, quo floridius vel pallidius rubrum eſt. Saturatius rubrum, quale illud eſt, quod contuſum venditur, vilius iudicatur, vel ſalino quodam additamento inquinatum.

Omitti commode poſſet ex medicaminum cenſu, nempe neque ſenſus neque mutationes in corpore

corpore morboſo magnam potentiam produnt. Vnus negat, aquam tingi exinde alio colore, quam in flauum inclinante (LEWIS *M. m. p.* 517.); alii contra affirmant, aquam inde obſcura (CARTHEUS. *M. m. vol.* 2. *p.* 545.), vel grata, rubedine (BERG. *M. m. p.* 906.) imbui. Hoc notare non ſuperfluum, quum teſte cl. LEWIS tingere aquam rubedine ligno Braſiliano, quod facile cum Santalo rubro confunditur, non vero huic datum ſit. Infuſum huius generis quidem inſipidum et inodorum, ſed extractum inde paratum, quod $\frac{1}{8}$ pendit, ſalſum et leviter adſtringens (CARTHEUSER; niſi de ligno Braſiliano loquatur) eſt; et ipſum infuſum vitriolo martis obſcurius fit. Spiritus vini autem auidius abſorbet tingentes partes ad $\frac{1}{4}$ circiter vsque. Adeo rubrum eſt extractum ſpirituoſum, vt tantillum eius magnam ſpiritus vini quantitatem rubro grato ſuffundat, non vero olea ſiue expreſſa ſiue deſtillata (HOFFM. *Obſ. phyſ. chym. p.* 71. qui reſinam illud vocat), excepto tamen ex horum cenſu oleo Lavendulae (LEWIS *M. m. p.* 518.).

In blanda adſtringendi efficacia tota eius virtus continetur. Arabes tam hoc, quam reliqua ligna ſantalina, exercitio artis dicarunt, ſubſcribente illis

illis ſubſequente aetate; vt de Indorum in eo collocata fiducia nihil commemorem, in dyſenteria cum Oryzae aqua, in mictione cruenta, vomitu ſanguineo (RUMPH *l. c. p.* 52.). Niſi omnino hodie excludatur, vix niſi coloris cauſa amplius fertur apud hosce, qui gratiam remedii vel artem celandi medicinam in rubedine quaerunt.

Pluris facienda in arte tinctoria eſt ad texta lanea et lintea, goſſypina, ſericea, coloranda, quod eo ſucceſſu ſub neceſſario additamento fit, vt aëris iniurias impune ferant (POERNERS *chem. Verſuche u. Bemerk. z. Nutz. d. Färbekunſt, vol.* 2. *p.* 96. *ſq.* VOGLER in CRELLS *chem. Annal.* 1790. *vol.* 1. *p.* 195.). Scriniarii quoque adhibent lignum pro ſuppellectili varia lignaria, frequentius in patria quam alibi, vbi pretium impedimentum ſtruit, et vix niſi opificiis teſſellatis locum concedit.

Succus ſpeciem ſanguinis draconis ſuggerit (LINN. *Suppl. plant. p.* 319.).

GEOFFROYA.

GEOFFROYA.

LINN. *Syſt. veg. ed. 14. p. 667. Suppl. plant. p. 378.*

313. c.

(Vol. 2. p. 387. pone Pterocarpum ſantal.)

Pharm. GEOFFROYAE JAMAICENSIS *Cortex.*

Geoffroya Jamaicenſis; inermis foliis pinnatis ſeptemiugis (ad quindena) cum impari, pinnis oblongo-ouatis acuminatis, racemis compoſitis terminalibus MIHI. Geoffroea inermis; caule inermi arboreo, racemis compoſitis SCHREB. in KLINGSOHR *Diſſ. de Geoffroya inermi eiusque cortice medicamento anthelmintico, pag.* 11. *Erlang.* 1788. Geoffroea Jamaicenſis inermis, Cabbage-bark tree or Worm-bark tree WRIGHT in *Phil. Tranſ. vol.* 67. *P.* 2. *p.* 512. *tab.* 10. Dicitur et wild Cabbage-tree, vt diſtinguatur ab Areca oleracea L. quae ſimpliciter Cabbage-tree vocatur. Geoffroea inermis; inermis foliolis lanceolatis SWARTZ *Prodr. nov. gener. et ſpec. veget. Ind. occid. p.* 106. Spigelia foliis oblongis obouatis nitidis pinnatis, cortice glabro cinereo, The Baſtard Cabbage-Tree BROWNE's *nat. hiſt. of Jam. p.* 367. CHAMBERLAIN *on the efficacy of Cowhage in diſeaſes of Worms, Verſ. German. vom Stizolobium, p.* 21.

Arbor

Arbor procera, ſed trunco modice craſſo inſtructa, in Jamaica frequens, praecipue in planitie graminoſa depreſſiori parteque occidentali.

Ligno inſtruitur duro, vnde ad ea aedificiorum opera expetitur, quae duratione et firmitate inſigni opus habent (CHAMBERLAIN *loc. cit. p.* 20.). Nectaria alliciunt copiam apum aliorumque inſectorum. Sed in primis inclaruit cortice ſuo, cuius vis anthelmintica primum, quantum conſtat, in inſula Jamaica et quidem praecipue apud nigritas explorata eſt. Dein haec poſt pauca iſta, quae de eo a. 1755. tradiderat cl. DUGUID, Chirurgus olim Jamaicenſis (*Eſſays and Obſervations phyſical and lit. of Edinb. vol.* 2. impreſſ. *a.* 1770. *p.* 290.), eaque pariter pauca, quae cl. BROWNE (*Nat. Hiſt. of Jam.* 1756. *App. p.* 367.) de eo memoriae reliquit, in Britannia vberius innotuit litteris et commendatione cll. RUSH, med. Profeſſoris in Philadelphia (*Med. and phil. Commentaries, vol.* 1. 1773. *p.* 328.), MAC DONALD, Chirurgi Jamaicenſis (*l. c. vol.* 2. 1774. *p.* 96. *ſqq.*), ANDERSON (*l. c.* 1776. *p.* 84.) ex Jamaica Edinburgum praxin ſuam transferentis. Praecipue autem ibidem celebritatem ſibi acquiſiuit, poſtquam cl. WRIGHT (*l. c.*) ſtirpem botanica deſcriptione et

icone

icone inſtrueret, id quod a. 1777. factum eſt, additis quae ipſe de virtutibus eius in Jamaica cognoverat. Succeſſerunt tempeſtiue experimenta medicorum Scoticorum et Anglicorum, nec absque effectu probo exſpectato, licet multi vehementiam in vomitu et alui purgatione cienda redarguerint (DUNCAN in *Comment. cit. vol.* 1.), alii in diureſi movenda (DONALD MONRO *l. c. vol.* 2.). Haec in medium prolata incommoda videntur vulgatiorem corticis vſum retardaſſe tam in Britannia quam extra eam, et in cauſa eſſe, vt vix hactenus in libris de materia medica adoptatus exſtet, nec, etiamſi in *Pharm. Edinb. a.* 1783. *p.*27. receptus, in *Londinenſi* a. 1788. locum obtinuerit.

Corticis memorantur duae varietates: alter cortex coloris eſt multo pallidioris, ſaporis ceteroquin fere communis, et vehementiorem effectum edit, ſcilicet alui deiectiones fluidas, nauſeam inſignem, tormina quin ſubinde deliquia animi mox poſt eundem ingeſtum (ANDERSON in *med. and phil. Commentaries, vol.* 4. *p.* 85.). Alter, qui vulgo praxin medicam in inſulis Americanis intrat, colorem obſcuriorem habet, quem cl. ANDERSON comparat cum colore Caſſiae ligneae; quidni Caſſiae caryophyllatae,

phyllatae, cui ſimilior eſt? Ingratum eſt, quod deſcriptiones auctorum de genuino cortice tantopere varient, et quod et ſpecimina, quae poſſideo, inter ſeſe haud parum diſcrepent; vnde ſucceſſus in medicina ipſa ſubinde ambiguus euadit. Ampliſſima deſcriptio corticis eſt, quam cl. CHAMBERLAIN, qui ipſe in Jamaica fuit (*l. c. p.* 19.), dedit, nimirum eſſe cinereum et ſubinde rubri vel ferrei coloris maculis diſtingui, epidermidem deglubi facile, corticem ſubiectum, ſi ſiccus euaſerit, referre ferrum rubigine correptum et ſuperficiem internam eſſe cineream, comparatque eam quoad externum habitum cum cortice Caſcarillae. Hae notae ſatis bene quadrant in ſpecimina iſta, quae ipſe clar. WRIGHT olim ſecum tulerat ex Jamaica et mecum liberali manu cum tot aliis materiae medicae et florae Jamaicenſis cimeliis communicauit. Addo, ſpecimina ab eo mihi miſſa, conuexa pedalem aſſequi longitudinem, diametro pro aetate rami differre, item craſſitie, quae aliquando lineam ſuperat, epidermide demta ſuperficiem externam corticis minutis colliculis exaſperatam eſſe, internam ſubtiliter ſtriatam, fruſta quaedam vtrinque plane cinerea vel chalybeo colore tincta, alia extrinſecus vel profundius ferruginea comparere, texturam corticis

eſſe

eſſe fibroſam et modice tenacem. Recens detractus ſaporem mucilaginoſum dulcem et inſipidum prae ſe fert, odorem autem ingratum ſubnauſeoſum, etiam in decoctione ſuperſtitem, vnde et arbor Bulge-water tree vocata eſt (WRIGHT). Amaricantem ſubauſterum reperio corticem iam mihi praeſentem. Diſcrepat valde ab hacce deſcriptio iſta cl. BONDT (*Diſſ. de cortice Geoffroeae Surinamenſ. p.* 17.), qui Jamaicenſem corticem innuit interne Rhabarbarum referre fere, vel colorem ex flauo et viridi mixtum habere, vbi vero lignum tangat, flauo fuſcum eſſe, ſaporis valde amari. Eiusmodi ſpecimina quoque poſſideo, ſed non dubito eadem ſpuria pronunciare, comparando ea cum Wrightianis. Deglubitur cortex de ramis non tam annotinis, quam biennibus vel triennibus.

Diſtinguunt Indi inter arborem maſculam et foemineam, quarum illa debilior vi vermifuga; in quo autem verum diſcrimen arborum harum conſiſtat, hactenus euinci nequit: vtrum varietates an ſpecies adeo diuerſae ſint (Vid. de hac re BONDT *Diſſ. cit. p.* 14 *et* 104. et CHAMBERLAIN *l. c. p.* 20.).

Cortex, prout aſſeruatur, ſenſuum ſcrutinio ſubiectus, pauca modo effectus indicia prodit. Con-

iectura fert (WRIGHT *l. c. p.* 509.), narcotica vi efficacem eſſe; nec aduerſatur, quod aluum expediat, quum id in quibusdam aliis narcoticorum exemplis pariter contingat. Manifeſtius ſenſus vellicat praeparatione varia ſubactus.

Etenim aqua eius deſtillata ſubacris eſt, odore ſubnauſeoſo imbuta. Qui odor decocto, quod ſaturatione fuſcum euadit, vt dixi, pariter ineſt. Inſpiſſando illud ex corticis drachmis ſex extracti aquoſi primi grana ſexaginta ſex eruuntur, amari, tum nonnihil acris. Tinctura cum ſpiritu vini rectificatiſſimo et eadem, quam dixi, quantitate corticis parata, colorem vini Rhenani generoſi habet, et extracti ſpirituoſi primi grana viginti octo praebet, modice amari, acris tamen haud parum. Acrimonia ſingulorum tenacius ori inhaeret, praecipue autem extracti ſpirituoſi ſecundi, quod adeo Hydropiperi vix acrimonia cedit. Arctus nexus inter gummoſas et reſinoſas partes obtinet. In miſcela cum ſolutione aquoſa vitrioli martis enaſcitur ex puluere color purpureus parum luteſcens, neutiquam vero niger. (Haſce aliasque encheireſes tradit cl. KLINGSOHR *Diſſ. cit.* §. 6. 7.)

In lumbricis necandis et expellendis poteſtas eius nominatim explorata. Laborant hiſce magna

caterua

caterua nigritae inſularum Americanarum, ſed ſaepiſſime abigere iſtos hocce cortice ſuccedit. Nec dubitatur etiam infantibus eundem ingerere (MAC DONALD in *med. et phil. Comment. vol.* 2. *p.* 96. WRIGHT *l. c.*). Subinde tamen irrita reddunt experimenta ſua pertinacia (CHAMBERLAIN, *p.* 30.), vel aſſueſcit natura medicamini (WRIGHT *l. c. p.* 510.), vt vel ad alia diſcedere oporteat, vel alia commoda connubia facere. Qui de nauſea, vomitu, alui purgationibus fortioribus aliisque incommodis queruntur ſub vſu obuiis (*Med. et phil. Comment. vol.* 1. *p.* 329. WRIGHT *l. c. p.* 511.) confuſione forſitan corticum ſibi imponi paſſi ſunt, vel doſi nimia nec aetati opportuna. Vbi nigritarum vel ignorantiae vel temeritati res committitur, non mirum delicti poenas aegros luere. Commune et habet hic cortex cum aliis remediis, vt initio aegrius feratur, hinc plerumque initio vomitiones aluique deiectiones poſtea non percipiendae, dum in progreſſu natura eidem aſſueſcat. Rarior eſt obſeruatio, illum, loco excretionum dictarum, diureſin potentius pellere (DONALD MONRO in *med. et phil. Comm. vol.* 2. *p.* 98.). Tanto maioris intereſt modum exhibendi illum probe noſſe.

Confert initium parua doſi facere et eandem augere, donec aeger nauſeam percipiat. In pulue-

rem cortex facile conteritur, et ſpeciem pulueris Jalappae prae ſe fert. Homo robuſtus eius initio grana triginta, iuuenis grana viginti, infans biennis vel triennis gr. decem fert, infans anni vnius dimidium, quod valet et de reliquis praeparatis in hac aetate (WRIGHT, *p.* 509.). Hac forma datus praecipue cito aluum laxat, ſed non aeque certo vermes tum necat, ac in decocto. — Decoctum parari poteſt ex corticis vncia vna in vnciis triginta duabus (a quart) cocta, donec colorem ambrae vel vini Maderaici aſſumat (WRIGHT), vel (ſecundum conſilium DONALDI MONRO in *med. and phil. Comment. vol.* 2. *p.* 96.), donec ſuperſint vnciae octo (boiled to half a pint). Colato liquido ſaccharum additur. Huius robuſtus quatuor cochlearia capiat, iuuenis tria, infans dictae aetatis vnum (WRIGHT). Mane per tres vel quatuor dies capiantur doſes dictae (CHAMBERLAIN *l. c. p.* 23.), niſi neceſſitas requirat, vt diutius vſus continuetur in octo vel nouem doſes vsque, quod rarum eſt (ID.). Placet et decocti alia dandi ratio, ſcilicet ex corticis vnciis duabus et dimidia et aquae quartis duabus ad libram ciuilem vnam et dimidiam coctis, cuius colatae primo mane adulto detur cochleare vnum, ſecundo cochl. vnum et dimidium, ſenſim aſcendendo ad cochlearia quatuor

tuor vel quinque et continuando octo vel nouem diebus (ANDERSON in *Comment. cit. tom.* 4. *p.* 87.). Decocti creberrimus vſus fit in America et efficaciſſimus, ſed non diu ſeruari poteſt, antequam corrumpatur. — Syrupus ex hocce dupla quantitate ſacchari addita fit, ſeruarique hic impune per aliquot annos poteſt, et capi eadem doſi, ac ipſum decoctum (WRIGHT). Eſt (RUSH *Comm. cit. vol.* I. *p.* 328.), qui hanc formam reliquis corticem dandi praefert. — Extractum euaporatione decocti in balneo mariae conficitur. Tanta huic efficacia inſidet, vt nonniſi granis eius tribus adultus indigeat, et grana quinque robuſtum vehementius afficerent et pluries in eo aluum ſoluerent, dein tamen grana modo decem eundem effectum exſererent (WRIGHT *l. c.*). Cl. WRIGHT non meminit neceſſitatis vel ſubiungendi vel interpolandi purgantia. Commodum tamen aliis viſum, poſt vſum decocti per plures dies continuatum doſin Jalappae cum paucis granis Calomelanos ſubiungere, vnde plerumque vermes ſeceſſerunt vel viui vel mortui (ANDERSON *l. c. p.* 88.); vel interſerere Jalappam, Rheum, ſal Glauberianum, vel quod praeſtat, olei Ricini vnciam vnam. Die autem, quo capiatur purgans, oportet corticem Geoffroyae huius omittere (CHAMBERLAIN *l. c. p.* 23.).

Multa vero incommoda exſurgunt, ſi aqua frigida bibitur durante effectu huius medicinae, vt nauſea, vomitiones, febris, delirium; item ſi doſis modum exceſſit. Tum copia aquae calidae ingeſtae eluendus eſt ventriculus, multum illico olei Ricini purgandi ſcopo hauriendum et ſuccus Limoniorum large potui vulgari admiſcendus, cuius vis hic, vt acidorum cum opio iuſto largius capto, ſumma (WRIGHT *l. c. p.* 510.) eſt. Caſu dubio in febribus, quae corticem Peruuianum ferunt, e re eſt vtrumque corticem commiſcere, item, quando exeunte febre ſuſpicio vermium latentium ſeſe exſerit (WRIGHT in *Lond. med. Journ.* 1787. *p.* 256.). Notatu digniſſima ſunt experimenta, ſub moderamine cl. WENDT Erlangae (KLINGSOHR *Diſſ. cit.* §. 10.) inſtituta in infantibus quatuor ad nouem ſupraque annorum forma pulueris cum ſaccharo, vel pilularum ex extracto, item ſubinde in miſcela Rhei et ſalini inſtituta, ex quibus apparet, corticem hunc lumbricos quidem et aſcarides, neutiquam vero taeniam (*l. c.* §. 11.), ſubigere.

---

313. d.

Pharm. GEOFFROYAE SVRINAMENSIS *Cortex.*

Geoffroya Surinamenſis; inermis, foliis pinnatis quadriiugis cum impari, pinnis oualibus obtuſis, racemis compoſitis MIHI. Condidi hancce deſcriptionem ex ampliori cl. BONDT, quae comparet in EJUSD. *Diſſ. de cortice Geoffraeae Surinamenſis cum tab. Lugd. Bat.* 1788, qui ipſe tamen non viuam plantam examinauit, ſed ramulos floriferos et foliiferos vel ſpiritui vini inditos vel ſiccos. Geoffraea Surinamenſis; inermis, foliolis oualibus obtuſis ſ. retuſis, carina dipetala BONDT *l. c. p.* 13. Wewe Indis, Blakke Cabbes vel Wormhoude, i. e. Cortex anthelminticus, Nigritis.

Corticis prima notitia debetur Americano cuidam ſacerdoti et medico, nomine MACARI, qui ipſe eodem a. 1770. ſeruo nigritae, a vermibus conuulſo et occoecato, auxilio fuit. Hunc ſalutarem effectum conſpiciens cl. VAN STUYVESANT, qui praxin medicam tum in Surinamia exercuit, a meritiſſimo NEPUEU, tunc Surinamenſis coloniae Gubernatore, precibus impetrauit, vt ſoluta liberaliter pecunia eiusdem cognitionem redimeret. Sic ad experimenta ipſius dicti medici res proceſſit. In Europa vero

 primum

primum cortex in manus pharmacopolae Vltrajectini JULIAANS peruenit, vna cum exemplis ipſius ſtirpis; vnde copia facta fuit cl°. VOLTELEN, Profeſſori medicinae Lugduno-Batauo, JULIAANS M. D., DEJMAN, RUMPEL aliisque medicis Belgicis, illum apud aegros bene multos explorandi. Acceſſit horum a cl. BONDT collectis hiſtoriis numeroſis proprium eius in rimando cortice eiusque ſtirpe quoad varios reſpectus laudabile ſtudium.

Cauendum maxime, ne confundatur cum cortice quodam a nigritis Tinkihoude dicto, qui inſtar cocculorum Indicorum piſces inebriat; nec minori noxa venditus fuit ſub veri nomine cortex Mezerei (BONDT *l. c. p.* 18.). Genuinus cortex, ex trunco vel ramis detractus diſcinditur in fruſta longitudinalia plana, pedem ſupraque longa et pollices aliquot lata, ponderoſa, craſſitiei notabilis, et diuerſae vel pro arboris aetate vel parte, a qua ſeparatus fuit. Colorem habet extrinſecus cinereum ex lichenibus innatis, quibus ſeparatis epidermis comparet rubra, purpurea fuſca intermixto cinereo pro varia aetate. Sub hacce compages conſpicitur filamentoſa, lamelloſa coloris ferruginei fuſceſcentis cum intermixtis ſtriis maculisque profundius coloratis rubris fuſcis.

Trans-

Tranſuerſali ſectione ſplendet et variegatus eſt. Prope lignum colore tingitur atro-purpureo, vel variegato vel punctis albicantibus interſperſo. In puluerem contritus exhibet colorem pallide cinamomeum. Odoris expers, niſi recens, qui nauſeoſum odorem ſpirat, ſaporis leuiter amari et nonnihil auſteri: manifeſtior tamen amarities ſentitur in ſtrato atro purpureo, qui cortici contiguus eſt (BONDT).

Deſtillatione humida prodit aqua oleo omni carens etſi nonnihil lacteſcens, odoris nauſeoſi, ſaporis fatui (BONDT *l. c. p.* 20.). Decoctum aquoſum ſaturatius poſt colationem fuſco rubrum eſt. Protrahitur autem coctio per duas ſaltim horas, vt omne efficax eruatur. Extractum inde paratum ſaporem valde amarum et acerbum habet, et ſub inſpiſſationem ſpirat odorem amygdalarum amararum. Vnciae corticis octo erogant extracti huius mollis inſtar mellis vncias vnam cum drachmis duabus praeter pellicularum drachmas ſupra tres. Tinctura ſpirituoſa profunda rubra reſinam dimittit ex corticis vnciis octo, ponderis drachmae vnius cum granis viginti quatuor friabilem amaricantem. Terrae rhabarbarinae ſ. ſelenitis ex terra calcarea et acido Acetoſellae, quaelibet vncia corticis continet grana

decem (BONDT). Taceo ea, quae deſtillatione ſicca eruta fuerunt (BONDT *l. c. p.* 18. *ſq.*), vtpote minus vſui medico accommodata.

Pleraque experimenta in lumbricis inſtituta ſunt, vt tamen etiam aſcaridibus cortex infenſus ſit, quin caſu ſingulari taeniam fruſtulatim vel per articulos expulerit (*l. c. p.* 89.). Summam vero vim exercet in lumbricis necandis et exturbandis, qua in re vix efficacius aliud agnoſcit remedium, et nociuo omni effectu caret, modo prouideatur. Iuuat et tum, quum multa anthelmintica fruſtra antea tentata fuerunt (*l. c. p.* 54. 58. 62. 81.). Vna cum vermibus pituitae immenſam molem ſurſum vel deorſum (*p.* 40.) eliminat, vt et fuerit, qui in hac re praecipuam vim quaereret (DE MAN *l. c. p.* 65.). Sic tamen nidi verminoſi efficaciſſime deſtruuntur, et praeuertitur, ne vermium noua pullities fiat. Praeter haſce euacuationes, quarum alui ſolutio modica crebrius incidere ſolet, lotii vias manifeſtius afficit. Nempe aliquando impetuoſe mictionem ciet et moleſtiſſimum veſicae teneſmum et ſtranguriam ſubinde creat (VOLTELEN *l. c. p.* 40.). Quum mortui ſaepe vermes cortice capto ſecedant et aliquando viui protinus fugam eo ingeſto capiant: videtur viroſa potius

tius quadam natura ipſos vermes aggredi, quam euacuando effectum ſuum praeſtare. Vtut vero tutum ſit, aliquando tamen turbas haud ſpernendas excitat, nauſeas ſcilicet et vomituritiones, item anxietates nonnunquam diras (VOLTELEN *l. c. p.* 41. RUMPEL *l. c. p.* 65.). Contigit hoc vel a iuſto maiori doſi, aut aluo ſtricta, nec ſub eius effectu ſoluta, item in corporibus ſtrictioris habitus. Laxa contra et pituitoſa corpora, vti infantum, minus hisce incommodis opportuna ſunt. Moleſtus eſt quoque aliquando in ſenſilioribus veſicae teneſmus. Et ipſa muci inteſtinalis per anum iactura tormina aliquando ſuſcitat, alui teneſmos cum ſtriis ſanguineis muco intermixtis (VEIRAC apud BONDT *p.* 73.).

Varia, quae ſub adminiſtratione corticis huius contra vermes ſeſe exſerunt phaenomena, anſam dederunt adhibendi eam in variis quoque morbis chronicis, vermium ſodalitio carentibus. Nec euentus ſpem fefellit. Etenim valuit, vbi labes gaſtrica, cruda, pituitoſa ſubfuit, in colluuie ſeroſa, ſolidorum relaxatione, humorum inertia, ſpeciatim in obſtructionibus lentis, febre quartana, leucophlegmatia, anaſarca, chloroſi, nephritide pituitoſa, aſthmate humido mucoſo (VOLTELEN apud BONDT *l. c.*

p. 40.

p. 40. 74.). Ita in tuſſi conuulſiua et numerus et vis inſultuum deſaeuiit, et ſcreatus pituitae leuati ſunt (*l.c. p.*74.). In hydrope tam anaſarca, quam ſaccato ſaepe quidem fruſtra tentatus, ſaepe emolumentum dubium praeſtitit; ſed viſa tamen eiusdem cum aliis hydragogis miſcela idonea (*l. c. p.*75.). In vniuerſum in hoc cortice praeter incidendi et attenuandi vim inſignem tonicam agnoſcit inclytus Haaganus medicus A THUESSINK (in *litt.* d. 25. Aug. 1790. ad cel. BLUMENBACH, ab hocce mihi amice oblatis).

Mutari poteſt forma modusque corticem huncce dandi pro voluntate aegri multipliciter. Nemo exempla vberiora huius rei dedit, quam cl. VOLTELEN. Acquieſcere tamen licet decocto, vtpote ſatis efficaci, cuius formula eſſe poterit haec. ℞ Cort. Geoffr. Surinam. ℥iij Coqu. in Aqu. comm. q. ſ. colat. ℥viij add. Aquae flor. Naph. v. ſimil. ℥j M. Adultus huius totum pro doſi ſumat mane; ab anno 12 ad 20 duae tertiae partes conducunt; ab anno 6 ad 12 dimidium; pueris a 2 ad 6 vna tertia ſufficit. Intra quatuor dies vermes plerumque ſecedunt, quodſi vero non contingit, expellente opus eſt (VEIRAC apud BONDT, *p.*67.). Quibusdam placuit decoctum ſatura-

ſaturatius exhibere e. c. vt pro colaturae libra vna corticis vnciae duae ſumerentur (*l. c. p.* 43. 82.), vel pro colaturae vnciis octo, corticis vncia vna (*p.* 53.). Sponte patet et hic ſine limato medici iudicio aegrum ſalutari euentu potiri non poſſe. Syrupi grati e. c. Syrupi corticis aurantiorum additamento palato magis conſulitur. — Cl. A THUESSINK (*loc. cit.*) aquae ſpiritum vini pro decocto addit, ſcilicet ita vt corticis huius vnciae duae coquantur in aquae pintis duabus (puto Gallicis) additis ſpiritus vini vnciis quatuor per quatuor horas, donec pinta vna circiter remaneat. Huius primo die vnciae duae ter per ſubſequentes horas mane exhibentur, vnde duae vel tres modo alui deiectiones plerumque cum exigua nauſea; ſecundo die, dum eadem quantitas praebetur, manifeſtior nauſea incidit, raroque aeger vomit, ſed foeces alvinae pituitoſae redduntur; tertio die reliquum per cyathos capitur, vnde vnus vel alter vomitus cum deiectionibus pituitoſis et verminoſis (ſi vermes praeſto ſunt); quarto die purgans rudius ex reſina Jalappae et Calomelano offertur, quod ipſum immenſam copiam pituitae et vermium necatorum euacuat in ſolatium aegri haud mediocre. Et ſucceſſit haecce medelae ratio reliquis anthelminticis irrito adhibitis.

Extra-

Extractum aquoſum ad grana viginti quatuor admitti poteſt; quod ipſum vel teritur ſacchari eadem quantitate, vel aqua Menthae ſoluitur, vel in pilulas compingitur (Vid. e. c. BONDT *Diſſ. p.* 43. *ſq.*). Valde extollitur extractum ſpirituoſo aquoſum in affectionibus pituitoſis, ſcrophulis et obſtructionibus glandularum (THUESSINK *l. c.*). — Locus quoque eſt tincturae ex corticis vncia vna et ſpiritus vini vnciis octo ad guttas ſexaginta ſupraque. — Item reſinae ſaccharo mixtae, infantibus a gr. tribus ad octo, adultis ad ſcrupulum vnum vsque. — Puluis rarius exhibitus fuit e. c. cum extracto Abſynthii in pilulis, quo tamen validius viſum electuarium ex puluere hoc et robe Ribeſiorum (BONDT, *p.* 91.). — Prodeſt etiam infuſum vinoſum. — Ad debellandas aſcarides plurimum confert corticem in clyſmate exhibere ex corticis vncia vna in aqua ad colaturam vnciarum ſex cocta et addita mellis vncia vna (*l. c. p.* 45.).

Prouti vero, vt ſupra iam innui, niſi ſola hacce medicina vermes eliminari queant, e re eſt quarto die laxans ſubiungere, e. c. ex Rheo: ita artis pariter eſt, in chronicis malis combinare cum cortice ſecundum conditiones diuerſas varia commoda, quo-

rum

et exempla nonnulla ſuppeditaui. Alia auxilia deſiderat vehementior ipſius medicaminis effectus, anxietates, nauſea, vomitus, quibus vel diminuta doſis, vel purgans additum vel aromata, carminatiua blanda, antiſpaſmodica ſubueniunt; ſicut emollientia mucilaginoſa et oleoſa moleſtias viarum vrinariarum tollunt.

MYROXYLON.

LINN. *Suppl. plant. p. 34.* *Syſt. veg. ed. 14. p. 395.*

315. b.

(Vol. 2. p. 399. pone Caſſiam Fiſtulam.)

Pharm. PERVVIANVM *Balſamum.*

Myroxylon peruiferum; LINN. *Suppl. pl. p. 233.* Hoitziloxitl HERNAND. *Theſ. rer. med. nov. Hiſp. p. 51. c. fig.* Cabureiba PIS. *Ind. Hiſt. nat. et med. p. 119.* Arbor in regno Peruuiano, Braſilia, Terra firma, Mexico, habitans.

Cl. MUTIS primus characterem botanicum determinandi anſam dedit, ramulo foliis floribusque inſtructo ex Terra firma ad LINNEUM iun. miſſo; antea enim ad medicamina ignotae originis hoc balſamum referebatur. Ferax arboribus balſamum fundentibus America auſtralis gignit in hoc numero arborem,

arborem, Houmiri balſamifera cl°. AUBLET (*Hiſt. des plantes de la Guiane Francoiſe, tom.* 1. *p.* 564.) et Terebinthus procera balſamifera rubra cl. BARRERE (*Eſſai ſur l'hiſt. nat. de la France equinoxiale, p.* 108.) dictam, quae ſimile Peruuiano balſamum ſtillat per corticem, colore rubro et odore ſtyracem aemulans.

Duplex nomine Balſami Peruuiani venit, album et nigrum.

Album rariſſime in officinis noſtris praeſto eſt. Elicitur inciſo cortice parca quantitate tenax ſubalbidum (MONARD. in CLUS. *exot. p.* 302.). Senſim ſolideſcere et fragile fieri ſicque intra corticem fructus cucurbitae transferri lego (LEWIS *M. m. p.* 125.). An hocce vere ex praecedente temporis mora enatum, an potius peculiarem ſpeciem conſtituit, (quorſum videtur inclinare NEUMANNUS in *Chym. med. vol.* 2. *P.* 1. *p.* 231.), Balſamum Peruuianum ſiccum, Gallis *Beaume en coque* dictum? Odoris fragrantioris eſt et gratioris altero, et cenſetur minus calidum et purgans altero. Gutta calidae aquae inſtillata mox inſtar Opobalſami per ſuperficiem aquae ſe diſpergit, et cuticulam format, quae facile demitur.

Nigrum hoc praecipue loco perpendendum. Coloris ex nigro rubentis eſt, dum vitro illinitur pellu-

pellucidi, denſitate ad ſyrupum brunum vulgarem accedit, odoris ſuauis fragrantis ſtyracini, ſaporis acris calidi amaricantis. Saepe arte lucri cauſa effingitur. Fide cl. HERNANDEZ et hoc (fuluo nigrum vocat) inciſione corticis euocatur. Sed aliam originem etiam agnoſcit, ſcilicet coctione conciſorum ſurculorum cum aqua, ex cuius ſuperficie dein aufertur; id quod perpetuo fieri in hoc ramulis imo trunco comminutis, MONARDES, (*l. c. p.* 302.) edocet. Contra hoc coctionis artificium id dubium mouet, quod portio balſami incidens in aquam feruidam ſeſe diſpertiat in duas partes, quarum vna maior fundum petat, altera ſubtilior ſaporis penetrantis per ſuperficiem ſeſe diſpergat (HOFFM. *Opuſc. med. p.* 307.). Vnde forſitan alia quam dicta encheireſis pro eo obtinendo adhibetur.

Calefactum balſamum ardet flamma admota. Diuturna ſtatione in fundo vaſis generantur cryſtalli ſalinae, quae ſolutae aqua flores Benzoes mentiuntur (CRELLS *chem. Journ. P.* I. *pag.* 58.). Spiritu vini facile ſoluitur. Connubium oleorum deſtillatorum facile intrat, ſed reſpuit miſcelam cum expreſſis vel pinguedine animali. Aquae fundum petit, nec niſi mucilagine quadam vel vitello

oui addito vnionem cum illa ſubit: attamen aqua cum balſamo hoc conquaſſata impraegnatur partibus odoris. Non ſatis conſtans connubium praeſtat ſaccharum, ſi eo excipitur. Deſtillatione cum aqua dat ponderis ſui $\frac{1}{16}$ olei deſtillati, coloris rubicundi, odoris fragrantis et ſaporis pungentis. Deſtillationi ſiccae debemus oleum empyreumatiticum ex flauo rubrum, aquae ſupernatans, cui ſuccedit craſſius ponderoſum (HOFFM. *l. c. p.* 307.).

Balſamorum fama prout in vniuerſum ſerioribus temporibus valdopere imminuta, ita et huius balſami. Laudes ſimiles tulit, quales alibi de Balſamo Copaiuae attigi (*Vol.* 4. *p.* 51. *ſq.*), vt vel hocce nomine liceat eſſe breuioribus. Quales Peruuianus nominatim olim reportauerit, vel vnice interprete FRIDERICO HOFFMANNO (*Diſſ. de balſamo Peruv. l. c.* inde a *p.* 309.), graui alias viro, cognoſci poteſt, vtne mentionem faciam praeconiorum, quae ex patria balſami commeatu iuſto liberaliori profluxerunt (V. HERNANDEZ, MONARDES, PISO). Reſpiciunt hae et vulnerariam virtutem, qua recentia vulnera conſolidare absque ſuppuratione ſubſequente et cicatricis veſtigio fertur. Locum habet hoc, vt alia balſama, quando progenies

carnis

carnis tenellae nimis lente ſuccedit, et haecce igitur arte acceleranda eſt. In primis vero hoc celebratum ad arcenda et lenienda ſymptomata atrocia, quae ex laeſis tendinibus vel neruis conſequi ſolent, dum leniter calefactum vulneri inſtillatur, dein ſpathula calefacta admota curatur, vt vndique ſeſe diffundat; ſi nimis arctum vulnus eſt, dilatatio adeo eius requiritur; inuoluendum vero poſtea eſt totum membrum cataplaſmatibus aut epithematibus, fouendum quoque oleoſo blandiſſimo (SWIETEN *Comment. vol.* 1. *p.* 242.). Sic hoc balſamo applicato vulneri ſpaſmus atrox et triſmus ex laeſione tendinis Achillis, in quo opium fruſtra tentarunt, ſedatus, et idem vltra drachmae doſin ſaccharo exceptum et primum ter dein bis quotidie, donec tres vnciae conſumtae eſſent, ingeſtum conuulſiones, ex cohibita excretione cutanea exortas, ſubito ſopiuit (KIRKLAND'S *Treatiſe on childbed fevers, p.* 28. *Caſ.* 5. *p.* 32. *Caſ.* 6.). Colicae pictonum dolorem ſuſtulit SYDENHAMUS (*Proc. integ.* in *Oper. p.* 605.), guttis huius balſami viginti, triginta vel quadraginta, ſacchari cochleari vno inſtillatis et bis vel ter de die captis; paralyſis vero inde non ceſſit. Haec ſpecies elaeoſacchari vel et ſyrupus ex balſamo factus in aſthmate pituitoſo efficaciam egregiam

giam praeſtitit (HOFFM. *l. c. p.* 311.). Quicquid in hisce boni perpetrat, videtur ſtimulante poteſtate praeſtare, qua neruos vellicat et vaſa irritat.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ESSENTIA BALSAMI PERUVIANI *Ph. Würt. p.* 78. Digeſtione paratur. Vires, adſcriptae in vlceribus externis et internis, ſeculi noſtri iudicio non accommodatae ſunt. Nec pro roborando ſtomacho fidem habet calidum remedium.

SYRUPUS BALSAMICUS *Ph. W. p.* 204. Ex Julapio roſato et eſſentia nuper dicta. Iisdem laudibus, quales dixi, condecoratus.

SPIRITUS BALSAMI PERUVIANI *Ph. W. p.* 188. Deſtillatione cum alcohole vini addito ſale tartari. FR. HOFFMANNI (*l. c. p.* 206.) encomium celebrauit tanquam praeſtantiſſimum in neruorum et cerebri item glandularum affectionibus frigidis. Sed nec hocce conſtantiam habuit.

BALSAMUM LOCATELLI *Ph. W. p.* 29. BALSAMUM APOPLECTICUM *Ph. Würt. l. c. p.* 28. EMPLASTRUM STOMACHICUM *l. c. p.* 73. ESSENTIA BENZOËS COMPOSITA *l. c. p.* 78.

?TO-

? TOLVIFERA.

LINN. *Syſt. veg. p. 331. Gen. pl. p. 102.*

316. b.

(Vol. 2. p. 404. pone Guilandinam Moringam.)

Pharm. BALSAMVM TOLVTANVM.

Toluifera balſamum; LINN. *Spec. pl. p.* 549. Balſamum Tolutanum, foliis ceratiae ſimilibus C. B. Conf. Toluifera JUSSIEU *Gen. pl. p.* 372. Arbor in Americes prouincia Tolu pone Carthagenam ſita proueniens.

Nondum rite botanicis cognita, ſed celebris non ſolum Indis (MONARD. in CLUS. *exot. p.* 304. *ſq.*), verum et exteris ob balſamum, quod fundit. Praefertur ob hocce culta et domeſtica. Colligitur illud ſauciato arboris cortice, qui tenuis eſt, intra ſuppoſita et arbori annexa cochlearia ex cera nigra illarum regionum confecta, ex quibus in alia vaſcula effunditur (MONARD.). Qui ſponte exigua quantitate erumpit liquor balſamicus in terram decidit absque vſu. Transfertur ad nos alter in dimidiatis teſtis cucurbitarum exiguarum. Nam licet initio tenax liquidum referat, ſenſim indureſcit, qua natura facile diſtinguitur a reliquis exoticis

 balſamis,

balſamis, quae officinae ſeruant. Balſamum hoc coloris eſt rubicundo aurei, pellucidum, aetate fragile, vt digitis in puluerem conteri queat, cuius fragilitatis miror MONARDEM non meminiſſe, odorem ſpargit gratum inclinantem ad citreum, maſticatione emollitur et dentibus adhaereſcit. Igne liquatur et flammam concipit grato fumo. Aqua illud quidem non ſoluit, attamen per duas vel tres horas cum eo cocta apparatu tecto recipit fragrantem eius odorem; prout quoque deſtillatione aqua impraegnatur odorifera eius parte. Requiritur ideo mucilaginis adiumentum, vt perfectum connubium fiat, ſolutione lacteſcente. Spiritu vini perfecte ſoluitur. Facile ſeſe commiſcet oleis deſtillatis, difficilius expreſſis et adipe. Deſtillatione absque aqua prodit non ſolum oleum empyreumaticum pallidum et profundioris coloris, ſed ſubinde exigua portio ſalinae materiae, floribus Benzoës natura ſimilis.

Taedet transſcribere virtutes de balſamo de Copaiua et Peruuiano memoratas, a quibus eo tantum natura differt, quod blandius eſt, nec ita calefacit et ſtimulat. Laus eadem ceteroquin et vituperium idem locum habet. Indicatae ſimul optimae

mae illud vſurpandi viae ſunt; nec doſis ex dictis difficultatem parit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Britannicis medicis in pretio eſſe, teſtantur formulae nouiſſimis adeo pharmacopoeis inſertae.

TINCTURA BALSAMI TOLUTANI *Ph. Lond.* 1788. *p.* 92. TINCTURA TOLUTANA *Ph. Ed.* 1783. *p.* 121. Digeſtione balſami cum ſpiritu vini rectificato.

SYRUPUS TOLUTANUS *Ph. Lond. p.* 115. Aquae cum balſamo coctae et colatae ſaccharum admiſcetur.

SYRUPUS BALSAMICUS *Ph. Edinb. p.* 192. Ex ſyrupo communi et tinctura tolutana.

347. b.

(Vol. 3. p. 106. pone Clematidem rectam.)

Pharm. VITALBAE *Folia.*

Clematis Vitalba; foliis pinnatis, foliolis cordatis ſcandentibus LINN. *Spec. pl. p.* 766. *α.* Clematis latifolia integra JO. BAUH. *Hiſt. tom.* 2. *p.* 125. *β,* Clematis latifolia dentata J. B. *ibid.* Variat foliolis integris et inciſis ſaepe in eodem individuo; hinc quidam haecce diſcrimina non curant. Icon: BESLER *Hort. Eyſtett. aeſt. ord.* 6. *tab.* 4. *f.* 3. JACQUIN *Flor. Auſtr. tom.* 4. *tab.* 308. Partes fructificationis microſcopio indagatas ſiſtit VON GLEICHEN in *auserl. microſc. Entd. tab.* 53. 54. Planta perennis ſarmentoſa, ſenſim truncum lignoſum baſi craſſum formans, crebra in auſtralioribus Europae regionibus ad ſepes, locis lapidoſis, accliuibus.

Quae iam dudum elanguerat exiſtimatio eius medica reuiuiſcere iam incipit. Acris haud parum ſtirps. Folia enim recentia linguam et fauces ardoris ſenſu afficiunt, ibidemque facile veſiculas cient et cutem exulcerant. Siccatione miteſcunt, vt tamen etiam ex ſiccatis faucium ardor enaſcatur, ſapore ceterum ex acido ſubdulci et adſtringente.

Externa

Externa recentium applicatione cutis ruborem et veſicas contrahit. Quod in lucrum ſuum mendici vocant, exulcerantes crura foliis adultioribus impoſitis, vnde l'Herbe aux gueux haec ſtirps dicta fuit (SAUVAGES DE LA CROIX in *Mem. de l'ac. R. d. ſc. de Paris* 1739. *p.* 473.). Guſtatio aliarum partium ſtirpis acre latens pariter prodit (MÜLLER *Diſſ. de Clematide Vitalba* L. *eiusque vſu medico, Erlang.* 1786. *p.* 9.).

Aqua ex ſiccis foliis deſtillata lacteum colorem gerit ob oleum eſſentiale, quod licet prae exigua mole non poſſit ſeparari, in ſuperficie tamen ſeſe prodit colore flauo inſtructum, vrentis ſaporis. Aqua ſpirat odorem aquae Anemones Pulſatillae, et paullo lentius ardorem in faucibus ſuſcitat. Ex herbae vncia vna extracti aquoſi primi fuſci, ſaporis ingrati dulceſcentis, ſaliuam prouocantis vncia dimidia, granis quatuor exceptis, eruitur; et ex eadem quantitate extracti ſpirituoſi primi fuſco vireſcentis odoris balſamici amaricantis ſubadſtringentis, fauces nonnihil irritantis drachma vna et dimidia elicitur. Decoctum aquoſum bruno flaueſcens eſt; tinctura ſpirituoſa fuſco vireſcens. Omitto explorationes fortiori igne factas et examen partium

hocce auxilio erutarum (quae vt reliquae analyſes cl. MÜLLERO *l. c.* debentur). Solutione vitrioli martis infuſum aquoſum nigreſcit (*Ibid. p.* 17.). Folia fortiori ſiccatione et vetuſtate acredinem ſuam perdunt et effoeta fiunt, cuius rei ratio in volatilibus partibus euanidis, quas et chemia reuelat, quaerenda.

Reuellendi poteſtatem cum aliis acribus ſtirpibus ſub externa applicatione communem habet. Hinc folia huius contuſa et in calyculo podagricae parti impoſita dolorem in viro quodam ſuperauerunt (CHESNAU *Obſ. med. p.* 421.). Eundem in finem incolae inſularum Hebridum in dolore capitis et artuum eadem imponunt (MARTIN *Deſcr. of the Weſtern Islands of Scotland, p.* 77. 178.), prout iam MATTHIOLUS (in DIOSC. ed. BAUH. *p.* 681.). — Scabiem a contactu plebs Auione (Avignon) in Gallia breui ſanat herba recente diſſecta et contuſa, demum pauxillo olei oliuarum remixta, qua ipſa partes affectae perunguntur, vnde cutis inflammatur et rubeſcit, item calor febriſque accedunt, aſſentiente medico experto (VICARY in *Mem. de la Soc. R. de med. tom.* 3. *p.* 186.).

Tutus tamen quoque eius internus vſus eſt, cuius veſtigia quaedam maiores noſtri reliquerunt, quorſum

quorſum narratio MATTHIOLI de efficacia in quartana et TRAGI de virtute in hydrope pertinet. Sed quae magis medicos ad imitationem inuitant, ſunt pericula lectu digna, quae ill. WENDT auctorem habent, teſtem ſucceſſus cl. MÜLLERUM (V. EJUSD. *Diſſ. cit. p.* 22. *ſq.*). Nimirum, iſto auſpice, Vitalba acrimoniam ſcrophuloſam mitigauit, cephalaeam diram rheumaticam ſuſtulit, luem veneream inueteratam et vlceribus emaciatione corporis, vitiato pectore, diarrhoea, inſudatione rel. ſtipatam ſanauit. Videntur pauciora hactenus experimenta cum illa fuiſſe capta, attamen conſectaria deduci potuerunt haec, quod aliis vere medelam attulerit, aliis modo mite leuamen, ſubinde quoque ſpem fefellerit. In binis lotium largius ex vſu fluxit. Infuſum vero ad cyathos ternos quotidie hauſtum eſt.

Tanto tutius vſurpatur in medicina, quum in Gallia turiones eius in cibum recipiantur (SAUVAGES DE LA CROIX *l. c.*), vt alia obſcurius de vſu cibario dicta omittam, ſub quo ſimul ſubinde alvum mouendi ſcopus fuit.

374.

374. b.

(Vol. 3. p. 226. pone Prunum Laurocerasum.)

Pharm. PADI *Cortex; Baccae.*

Prunus Padus; floribus racemoſis, foliis deciduis baſi ſubtus biglanduloſis LINN. *Spec. pl. p.* 677. Ceraſus racemoſa ſylueſtris, fructu non eduli C. B. Icon: *Flor. Dan. tab.* 205. Arbor Europaea, in ſyluis, praecipue locis depreſſis, creſcens, in Suecia ad ſepes pagosque crebra.

Placet fragranti florum vere erumpentium odore et elegantia, ſed hisce denatis ob aphides, quibus conſpurcatur, taedium parit. Faſtidiunt herbam equi, quin caprae (LINN. *Fl. Suec. p.* 166.). Lignum nonniſi flexilitate et laeuitate ſeſe commendat. Rariſſimi vſus medici, ſed non ſpernendi. Hinc locis, vbi deficit, per depactos ramos propagare eam, quod facile, operae pretium eſt.

CORTICIS praecipue mentio facienda eſt. Recens ex ramis ſeparatus fragrante odore inſtruitur, ſapore autem amaro et ſubadſtringente ad amygdalas amaras accedente. In ſicco ſimilia veſtigia remanent. Stratum eius externum praefertur interno, quoniam iſtud minus lignoſum et magis reſinoſum

eſt

eſt (COSTE et WILLEMET *Eſſais ſur quelques plantes indigenes, p.63.*). Decoctum corticis pallide luteum eſt, odoris quaſi amygdalarum amararum contuſarum vel florum Perſicorum, ſaporis amari. Ex vncia corticis redundant drachmae duae cum granis quadraginta extracti aquoſi; et ex eadem quantitate corticis grana 116 ſ. drachmae duae fere extracti reſinoſi primi (*l. c.*). Hieme collectus cortex decoctum praebet rubrum, quod vitriolo martis nigreſcit (BERG. *M. m. p.* 402.).

Intermittentes febres corticem ſubigere, non ambigua fide nititur. Celebratus autem triginta ſupraque annos ſcriptione academiae ſcientiarum Nanceianae oblata; ab eo tempore pauperibus plerumque optimo ſucceſſu exhibitus; nec in autumnalibus febribus aegros ſine ope dimiſit. Etiam in quartana et tertiana duplici auxilium praeſtitit conſtans. In puluere datur ad corticis Peruuiani modum vel et in electuario, in quo ſalis ammoniaci additamentum dubium quodammodo reddit ſolum corticis meritum; cuilibet electuarii praebio ſuperbibita eſt portio decocti corticis (COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 62.). Non vero in Lotharingia ſola, ſed etiam in Suecia vis febrifuga eius enituit (LUNDMARCK *Diſſ. de vſu Linnaeae medico, praeſ.* ACREL, *p.*4.).

Fenno-

Fennones moliri curationem ſyphilidis decocto ſaturatiſſimo corticis, iam dudum notatum (Ex GADDIO LINN. *Fl. Suec. p.* 166.): aſt paucos modo ante annos per experimenta curatius expoſita certiores de virtute iſta redditi ſumus (auctore BJÖRNLUND in *Vet. Acad. Handl.* 1784. *p.* 209. *ſq.*). In affectionibus venereis lenioribus, vt exanthematibus genitalium, oris, gonorrhoea, decoctum ſolum videtur ſanationem abſoluiſſe; grauiores mitigauit vel ante connubium mercurii, ei vero iunctum curationis tempus abbreuiauit. Vile etiam, quo venditur, pretium, praerogatiuam prae aliis decoctis, quae cum mercurii vſu combinari ſolent, tribuit. Reliquiis inſuper tollendis idoneum cenſendum. Paratur vero decoctum ex corticis ſicci vel recentis conciſi vnciis ſex, ad octo, et aquae cantharo vno ad dimidium coctis, dein colatis. Huius quotidie libra vna hauſtibus quatuor diuerſis bibitur, maius praebium faſtidium parit. Quod alias quoque in quibusdam incidit primis diebus donec ventriculus decocto aſſueſcat. Praeter vim in ipſum virus ſolatur aegros, qui vna cum hoc inquinamentum ſcorbuticum vel labem concoctionis virium patiuntur (*Ibid.*). Balneis quoque ex decocto Padi contigit, vt peſſima ſymptomata venerea

nerea tollerentur, donec ſubſequente mercurialium adminiſtratione perfecte aegri conualeſcerent (LUNDMARCK in *Veckoſkrift för Läkare, vol.* 7. *p.* 67. *ſq.* Conf. *vol.* 8. *p.* 115.).

BACCA ſic dicta drupa eſt nigra, piſi magnitudinis, ſaporis acidulo ſubadſtringentis, nauſeoſi, nuce ouata rugoſa, intra quam nucleus ſaporis, qualis in Perſicae nucleo. Vix niſi pueris in deliciis eſſe poteſt, prout in Norrlandia pauxillo ſalis ab hisce ingeritur (LINN. *Fl. Lapp. p.* 155.). Aſt baccae recentes ſiue ſiccatae cum nucleis contuſae atque vino albo perfuſae vinum largiuntur Ceraſorum vino ſapidius. Fermentationi commiſſae ſpiritum erogant tanta vbertate, vt ex baccarum congiis duodecim ſpiritus librae nouem redundent (VON AKEN in BERG. *Mat. med. p.* 401.). Baccis in dyſenteria Fennones vtuntur (GADD *l. c.*).

MESEM-

MESEMBRYANTHEMVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 389. Gen. pl. p. 252.*

389. b.

(Vol. 3. p. 343. pone Cactum Opuntiam.)

Meſembryanthemum cryſtallinum; foliis alternis ouatis papuloſis, floribus ſeſſilibus, calycibus late ouatis acutis retuſis LINN. *Suppl. plant. p.* 259. Meſembryanthemum cryſtallinum, plantaginis folio vndulato DILL. *Hort. Elth. p.* 231. *tab.* 180. *fig.* 221. Planta annua de qua adhuc dubium, an ex Africa ſit (LINN. *Spec. pl. p.* 688.)

Colitur in vaporariis ob gratum papularum, praecipue caulibus inſidentium, pellucidarum, earumque ibidem inſigniter prominentium aſpectum, qui remotius ſpeciem fert ſtirpis cryſtallis glacialibus, obſeſſae; vnde Germanicum nomen *Eispflanze.* Si maior eius copia requiritur, ſeri poterunt ſemina in olla, et plantulae inde enatae in aream auſtro obuerſam transferri. Semina haud aegre intra vaporarium apud nos matureſcunt.

Sapor *herbae* blande ſalinus, refrigerans. Eſt, qui eum cum ſapore terrae foliatae tartari comparat (LIEB).

Tracta-

Tractatulus, de quo mox agam, anſam dedit experimentis quibusdam chemicis cum herba inſtitutis a cll. FUCHS (CRELLS *chem. Annal.* 1787. *vol.* 1. *p.* 503. *ſq.*) et C. A. HOFFMANN (*Almanach für Scheidekünſtler u. Apotheker* 1788. *p.* 81. *ſq.*), quorum hic mucilaginem, pauxillum tartari vitriolati haud parum vero ſalis digeſtiui et longe minorem quantitatem nitri, elicuit. Tranſeo experimenta ope vehementioris ignis facta.

Commendatio cl. LIEB (in tractatulo: *Die Eispflanze als ein faſt ſpecifiſches Arzneymittel empfohlen,* 1785.8.) in cauſa praecipue eſt, quod eius hic mentionem iniiciam. Hic ipſe eam adhibuit in infarctu pituitae abdominali, lotio ſuppreſſo vel doloroſe miſſo, ſpaſmo veſicae vrinario, item tuſſi conuulſiua, vti quidem caſus quatuor de ſucco declarant, doſi cochlearis, cuius integrum pro adulto, dimidium pro infante ſexenni fuit. Mirum paucas doſes et tam exiguam quantitatem tam pertinacibus malis ſuffeciſſe. Nolo hic disquirere, an ex tam paucis documentis tamque breuiter expoſitis tuto ſatis iſtae virtutes colligi poſſint, et dubito adhuc coniecturis additis de virtute eius in corrigenda bile aliisque morbis tollendis ſubſcribere. Attamen ad iteranda expe-

rimenta excitat quoque exemplum cl. MÖHRING, medici Jeuerani, ſenis venerabilis, qui de auxilio, quod ſibi in proprio morbo hac herba attulit (*Litteris d.* 26. *Sept.* 1786.) me olim certiorem reddidit. Querebatur tum, ſe per tres annos cruciatus diriſſimos ex ſpaſmo veſicae vrinariae absque calculo vel haemorrhoidibus perpeſſum. Poſt multa fruſtra tentata, cognita ſcriptione ſupra dicta, vſus fuit ſucco plantae expreſſo, pauxillo ſacchari mixto, eo euentu, vt capto ter vel quater omni bihorio cochleari eiusdem lotium longe facilius manaret cum dolorum decremento. Continuatus ad tria vel quatuor cochlearia per diem vſus ſolatium confirmauit, vnde ad tempus vsque, quo ſcribebat, ſupra quinquaginta vncias conſumſerat.

Vix videtur herba huius ſtirpis viribus ab affinium, Telephii, Semperuiui, Portulacae, Rhodiolae, herbis differre, quae omnes ſucco aquoſo, ſubſalſo, refrigerante, turgent.

FAGARA.

FAGARA.

LINN. *Syſt. veg. p. 134. Gen. pl. p. 60.*

430. b.

(Vol. 4. p. 47. pone Amyridem Opobalſamum.)

Pharm. TACAMAHACAE *Gummi.*

Fagara octandra; foliolis tomentoſis LINN. *Mant. pl. p.* 40. Elaphrium tomentoſum JACQU. *Hiſt. pl. amer. p.* 105. *tab.* 71. *fig.* 1-3. Arbor in Curaçao Americes habitans; item in inſula Franciae (SONNERAT *Voyage aux Indes orient. tom.* 2. *p.* 27.).

Olim (*Appar. medic. vol.* 1. *p.* 50.) ſuadente LINNEO (*Mat. med. p.* 215.) Populo balſamiferae gummi hocce ſic dictum adſcripſi. Iam ex plurium conſenſu refero ad arborem praefixam. Huic tribuit eandem JACQUINUS (LINN. *Diſſ. Obſerv. in Mat. med. p.* 7.); aſſentitur BERGIUS (*M. m. p.* 71.). Nec vllibi legitur, ex gemmis arboris reſinam originem trahere, ſed vel ſponte vel inciſo cortice exſudare.

Quam inique autem eiusmodi mala rheumatica chronica, qualia (*loc. cit.*) recenſui, ſuffimigiis varii generis tractentur, crebra experientia edocet, vt qua ipſa ſaepe ſtaſis vel pertinacior euadit, et

loco exoptatae diſcuſſionis in abſceſſus et fiſtulas ſiue gangraenam tranſit, vel materia ſtagnans ad interiora repellitur, vnde oſſa vicina exoſtoſi vel carie vitiantur, vel haemoptyſis, aſthma, colici dolores aliaeque viſcerum internorum iniuriae emergunt.

SWIETENIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 332. *Gen. pl. p.* 209.

431. b.

(Vol. 4. p. 62. ante Aeſculum.)

Pharm. SWIETENIAE *Cortex.*

Swietenia Mahagoni; LINN. *Spec. pl. p.* 548. JACQUIN *ſelect. ſtirp. americ. Hiſt. p.* 127. Swietenia foliis abrupte pinnatis pinnulis ouato-lanceolatis obliquis: floribus ramoſis (racemoſi dicantur) minimis CAVANILL. *Diſſ. bot.* 7. *p.* 365. *tab.* 209. Cedrela foliis pinnatis floribus ſparſis ligno graviori BROWNE'S *Nat. Hiſt. of Jam. p.* 158. Arbor foliis pinnatis nullo impari, neruo ad latus &c. CATESBY'S *Nat. Hiſt. of Carol. vol.* 2. *p.* 81. Arbor in inſulis Caribaeis maioribus ſpontanea. Procera, habitus ob comam amplam elegantemque ſpectabilis, et ob lignum nitidum magni habitum.

habitum. Digna nomine, quod JACQUINUS in memoriam viri, commendatione et conſiliis de re herbaria quoque meritiſſimi, illi impertiit, digna grato JACQUINI animo et eiusdem ſenſu pulchri.

Lignum eius rubro brunum, durum, politurae obſequens; hinc in America non ſolum, ſed et in Europa reliquis lignis pro ſuppellectili varia palmam fere praeripit. Quoniam aqua aegrius corrumpitur nec facile a vermibus conſumitur, pro nauibus illud eligunt, ob pondus vero inſigne nonniſi pro earum inferiori parte adhiberi poteſt, pro ſuperiori leuius lignum eligitur. Cauendum ſollerter, ne ſubſtituatur aliud ſimile lignum ſub eiusdem nomine, vt a fabris lignariis in Germania ſaepe fit, e. c. ex Cedrela odorata L. quae pallidius lignum praebet, ex Mimoſis variis.

CORTICIS vero hic nominatim res agitur; nam non ad lignum, vt perperam a peregrinatore Londino ad nos praeſcriptum, ſed ad corticem vires medicae pertinent. Hic in trunco extrinſecus aſper deſcribitur et brunus, in ramis et ſurculis griſeus et laeuior. Quae liberalitati cl. WRIGHT debeo numeroſa ſpecimina, videntur deglubita de trunco eſſe vel ſaltim a ramis maioribus. Nempe plano, conuexa

 ſunt,

ſunt, pedem circiter longa, a tegmine ſpongioſo, extimo plurimam partem cultro liberata, rubicundo bruna, texturae lamelloſae, tenacis, lineam circiter craſſa. Siccatus cortex ſapore adſtringente et amaro refert corticem Peruuianum, ſed amarior eſt. Deficiente hoc ipſo puluis corticis Swieteniae pro curandis febribus intermittentibus commode ſurrogatur (WRIGHT in *Lond. med. Journ.* 1787. *p.* 287.). Probo ſucceſſu in Jamaica id factum eſt (LIND *on the Diſeaſ. in hot climates*, *p.* 308. WILSON's litt. ad cel. LODER in SAUNDERS *Beob. über die rothe Peruv. Rinde.*). Nempe apyrexiae tempore eadem norma, qua Chinchina capitur, nec obſtructiones viſcerum vel vlla alia mala ſequela inde metuenda eſt (LAUDER, Chirurgus olim ad claſſem Jamaic. in *litt. cit.*). Iterarunt quoque eandem medelam Londini. Significatur in fidem rei nomen cl. BAKER (MICHAELIS in RICHT. *chir. Bibl. vol.* 5. *p.* 530.). Acceſſerunt alia experimenta aeque felicia cll^rum. WILSON, SHELDON, FREAKE; quibus elucet, quatuor aegris in dolore capitis periodico opem tuliſſe, et vnum a febre tertiana liberaſſe (WILSON). In ſano corpore neque puluis nec decoctum nec infuſum nec extractum vel minimum moleſtiae excitauit (ID.). Ampla drachmae vnius doſis taedium facile aegro

parit,

parit, ſed iam ex paucis tam magnis effectus exſpectatus redundauit, ſenſim declinante paroxyſmo.

Fraude pluries Swieteniae cortex a venditoribus Peruuiano admixtus eſt (LIND *l. c.*).

Haecce nouiſſe iuuat, donec per iterata tentamina de pretio eius certiores reddamur.

? MYRISTICA.

SWARTZ *Prodr. veget. Ind. occid. 1788. p. 96.*
THUNBERG *Diſſ. Nov. gen. pl. P. 5. p. 83.*
EJUSD. *Diſſ. de Myriſtica moſchata 1789.*
DE JUSSIEU *Gen. plant. p. 81.*

483. b.
(Vol. 4. p. 556. ante Winteram.)

Pharm. NVX (potius nucleus) MOSCHATA ſ. MYRISTICA. MACIS.

Myriſtica aromatica; foliis ellipticis ſubtus pubeſcentibus, calycibus ouatis, fructibus laeuibus SWARTZ *l. c.* qui ad Monadelphiam Triandriam refert, flores tamen dioicos agnoſcens. Copia illi facta flores ex inſula Banda et Isle de France allatos examinandi ad exempla multa, quae intra ſpiritum vini in muſeo ill. JOS. BANKS ſeruantur. Myriſtica moſchata foliis lanceolatis fructu

 glabro

glabro THUNBERG in *Vet. Acad. Handl.* 1782. *p.* 49. et *Monogr. cit.*, qui monoicam facit. Deſcripſit florem et fructum ex partibus ſpiritui vini inditis, vt tamen et nouum lumen de floribus a poſteris exſpectet. Nooten-Moſkaat Boom ex ſpeciminibus, ſpiritui vini immerſis HOUTTUYN et SWAGERMAN in *Verhand. door de Hollandſche Maatſchappy der Weetenſ. to Harlem vol.* 26. *p.* 222. vbi gynandra declaratur cum *tab.* florem repraeſentante. Hiſce varii errores in LINN. *Suppl. pl. p.* 40. 265. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 493. corriguntur. Ne in nouos incidam, omitto Le Muſcadier SONNERAT, cui icoſandra monogyna videtur, in *Voyage a la nouvelle Guinée*, *p.* 194. *ſq. tab.* 116. vbi ramus cum fructu absque flore, qui nec deſcribitur, et *tab.* 117. 118. *fig.* 1. 2. Nux myriſtica, Pala RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 2. *p.* 14. *tab.* 4. Arbor magnitudine Pyri vel vltra, in inſulis moluccanis ſpontanea, hodie praecipue in Banda et tribus exiguis eius ditionis inſulis, nimirum Neyra, Lantoer et Pulo-ay colitur. In reliquis Moluccis ex pacto cum incolis inſularum inito cultus Myriſticae negligitur, prout rurſus Bandenſes nullos Caryophyllos colunt. Neyraſchenſes nuces optimae ſunt; Pulo-ay autem maximas et elegantiſſimas arbores producit.

Ex-

Excludere ex ſyſtematibus oportuerat arborem ob ignorationem floris ad nouiſſima vsque tempora. Attamen diſcrimina characterum, quae adhuc ſuperſunt, teſtantur, ſcrutinium eius in loco natali nondum ſuperfluum eſſe. Species verae plures quum ſerius detectae fuerint (THUNBERG *l. c.* SWARTZ *l. c.*): difficile diiudicatur, an Myriſticae, alibi viſae, ſint praedicta aromatica, nec ne. Ita Capitaneus FOREST (*Voyage to new Guinea* 1779. *p.* 108.) in inſula Manaſwary ſeptentrionem verſus a noua Guinea ſita Myriſticam ſe detexiſſe narrat. In inſula parua a littore auſtrali Nouae Guineae haud procul remota cl. COOK arbores pro veris habitas detexit, quarum duodecim arbuſculas in inſulam Otaheite transplantauit (*London Magazin* 1780. *p.* 307.). Quae in Pulo Candor creſcunt arbores, harum fructus carent ſapore et odore (Ita quidem ab anonymo auctore libri *Journal of Captain* COOK's *laſt voyage* 1781: *Verſ. germ. p.* 355.). Sed tacet omnino de hocce inuento cl. nauarchus KING in *vol.* 3. itinerarii *Voyage to the pacific ocean, Lond.* 1785. In ipſa inſula Noua Guinea apud nationem Papoux vidit cl. SONNERAT (*Voyage à la nouvelle Guinée, p.* 194. *ſq.*) duas Myriſticae varietates, aromate praeditas, quarum vna fructum et nucem gerit ſphaericam (Myriſtica

mas dicta), altera fructum et nucem oblongam (Myriſtica foemina), item tertiam fructu extus rugoſo, magnitudine oui gallinacei, nuce minori et graciliori absque aromate. — Praeter M. aromaticam in India nonnunquam vſurpata *M. tomentoſa;* foliis ouatis fructu tomentoſo THUNB. *Diſſ. cit. p.*4. Nux myriſtica mas, Pala Lacki-Lacki RUMPH. *l. c. p.* 24. *tab.* 5.

Propagandi ſeſe auxilium arbori afferunt columbae, quae nuces deglutitas conſumta modo Macide et pulpa integras per aluum deiiciunt (RUMPH. *l. c. p.* 20.). Aui quoque paradiſiacae in deliciis eſt, quae vero inde inebriatur et mortua decidit, quibus factis formicae adrepunt et pedes conſumunt. In inſula Tanna maris auſtralis vidit cl. FORSTER (*Obſervations during a Voyage round the world, p.* 171.) nucem ſuo tegmine incluſam in columba ſclopeto transfixa, ſed magis oblongam et inodoram. Aſt aeque certum eſt, Belgas fructus integros ſerere, et arbuſculas inde enatas transponere commodis ſtationibus. Hae montoſis locis praecipue delectantur, et vmbroſo et contra ventos muniente aliarum arborum tegmine. Fructus anno quinto vel ſexto ferre incipiunt, octauo autem vel nono

nono vberrimam meſſem concedunt. Haec fit, dum ad maturitatem peruenerunt, quam praeſto eſſe cognoſcitur colore epidermidis rufeſcente et fiſſuras agente. Tum arbores conſcendunt, fructus longis hamis attrahunt et auulſos in terram proiiciunt. Meſſis vero ter quotannis fit ob diuerſum florendi tempus, nouem vero menſes pro maturatione requiruntur. Lucrum mercaturae nucum myriſticarum inde ab a. 1621. quo tota iſta regio in foederati Belgii prouinciam redacta fuit, in manibus Belgarum fuit. Aſt diu Gallo-Franci, inuidi tanti theſauri, lucrum hoc in ſuas partes trahere allaborarunt. Fructus, quos a. 1768. ex inſulis Philippinis in inſulam Franciae adferri, adiutore cl. PROVOST, curarunt, tertiam a me commemoratam varietatem fuiſſe, cl. SONNERAT *l. c. p.* 196.) exiſtimat. Sed dein in ipſas Moluccanas inſtituerunt expeditiones ſuas, rem conſiliis promouente cl. POIVRE (Vid. *Notice ſur la Vie de Mr.* POIVRE in *Gött. Anz.* 1787. *p.* 477.), primum a. 1770, ex qua vero plurimam partem nuces ſpurias h. e. magnas oblongas, quales in Manilla occurrunt, exigui odoris reportarunt, quum genuinae ſint paruae et rotundae; harum quidem quinta modo pars translata. Altera expeditio a. 1771. felicior, quum in hac ex iudicio commodorum

modorum arbitrorum participes verarum facti fuerint (LE GENTIL *Voyage dans les mers de l'Inde, tom.* 6. *p.* 688.). Translatio autem in inſulas Isle de France, Bourbon et Seichelles facta eſt, et ſucceſſus teſtimonium dedit academia ſcientiarum Pariſienſis *Mem. de l'Acad. de ſc. de Paris* 1772. *P.* 1. *p.* 56.).

Fructus drupa eſt, pyriformis, ſulco longitudinali notata, magnitudine fere Perſicae fructus. Extima eius pellicula in hac ſpecie glabra eſt, initio laete virens, matureſcendo gilua. Dehiſcit ſenſim vna cum carne ſubſtrata, quam veſtit, albicante, duriuſcula, attamen ſucco tenui repleta; tumque in conſpectum venit membrana pulpoſa ſubpinguis chermeſini coloris in lacinias lineares ramoſas fiſſa, quae MACIS vocatur. Male igitur in plerisque linguis Europaeis haec membrana floris nomine venit e. c. Muſkatblüthe, Muſkotblomma, Fleur de Muſcade. Haec immediate cingit nucem, cuius putamen nigrum ſine pedunculo obuerſo obtuſum eſt, altero inſtructum acumine exiguo. Inter hoc, quod tenuius nonnihil eſt cortice nucis auellanae, latet nucleus ſubrotundus pallide cinereo brunus, reticulate rugoſus, vtrinque obtuſus, qui ex parenchymate carnoſo pingui conſiſtit, ex acu infixa

oleum

oleum emittente. Atque haec ipſa pars in vita communi NUX MOSCHATA ſ. MYRISTICA audit, *nucleus* maiori iure dicenda. Figuras elegantes omnium harum partium praeſtitit cl. GÄRTRER (*de fructibus et ſeminibus plant. tab.* 41. c. explicatione *p.* 194.). Sponte patet deſcriptionem a me dictam ad recentem fructum pertinere.

Transmittitur vero ad nos vnice nucleus, qui ſiccus ſudurus eſt, cultro facile diſcinditur, interne flaueſcens venis fuſcis; et Macis, quae ſiccatione luteo ſanguineum colorem adipiſcitur. Fructibus collectis cultro extimum putamen aufertur et in ſyluis, vt putreſcat, relinquitur. Domi Macis primum ſeparatur caute, et ſole ſuper quadratis receptaculis exſtructis ſiccatur; tum ipſae nuces per tres dies ſolis ope ſiccantur; quidam in eundem finem in aedibus per menſis ſpatium ſuper tabulatis easdem exponunt. Ita luridae factae fuſtibus vel ſaxo ſuperuoluendo contunduntur, quo putamen frangatur. Sequitur tum nucleorum diſpertitio in tres cumulos; quorum primus maximos et optimos in Europam transmittendos complectitur, alter viliores, in Indiis conſumendos, tertius minores et viliſſimos, oleo eliciendo potiſſimum deſtinatos.

Nucleis

libratis emtor eos intra corbulos in cupam aqua calcis repletam bis vel ter immergit, quo a putredine muniantur, tumque in promtuariis in aceruum excutiuntur.

Macis vero ſiccata aqua marinà conſpergitur, ne ob fragilem naturam comminuatur in exigua fruſtula, vel quod probabilius, vt putredo et inſecta arceantur; tum ponderatur et ſacco inditur ad libras vsque 161, pedibus firmiter compingendo, alioque ſacco prior obuelatur, vt in Belgium transmitti queat.

Cultum vel meſſis et conſarcinationis rationem penitius cognoſcendi auidis prolixiori rerum omnium enarratione ſatisfaciunt RUMPHIUS (*l. c.*), et teſtes digniores forſitan adhuc fide, commiſſarii iurati BOUDENIUS et HAUPTIUS (in VALENTINI *Hiſt. ſimpl. p.* 461. *ſq.*), qui ex inquiſitione in Banda ipſa facta a. 1682. rationem omnium momentorum reddunt, et calculis per decennia ſubductis lucrum inſigne, in ſocietatem iſtam ex nucleis et macide redundans deſcribunt.

Olim diſtinguebatur ſedulo inter *nucem moſchatam marem,* ſiue ſpuriam, quae ſpecie altera longe maior, oblongo rotunda erat, nullius vel exigui

modo

modo ſaporis et odoris, ex Malabaria (Panem Palka RHEED. *Hort. Malab. tom.* 4. *p.* 9. *tab.* 5.); et *foeminam*, quae noſtra eſt: hodie haec vnice in vſum trahitur, et ridemus ſexuale nomen.

Odor *nuclei* nouiter diſſecti vel raſi grate fragrans, ſapor aromaticus ſubpinguis, linguam blande pungens et os grato calore replens. Deſtillatione cum aqua, praeuia digeſtione, prodit cohobatione aqua lactea ſimulque oleum ſubflauum in ſuperficie aquae reſidens, vna cum glebulis albidis, quae non camphora ſunt, ſed oleum congelatum (GAUB. *Aduerſ. p.* 37. *ſq.*). Oleum iſtud aethereum $\frac{1}{25}$ ſecundum CARTHEUSERUM, $\frac{1}{32}$ ſecundum NEUMANNUM (*Chem. vol.* 2. *P.* 3. *p.* 431.), $\frac{1}{16}$ autem ſecundum SPIELMANNUM (*M. m. p.* 282.) conſtituit. Praeter hoc autem largior longe copia olei vnguinoſi in nucleis reſidet, ſcilicet vltra $\frac{1}{4}$ (NEUMANN), vel $\frac{3}{8}$ (CARTHEUS.), vel $\frac{1}{3}$ (SPIELMANN.); et hoc quidem expreſſione eruitur et denſitatem butyri habet, vnde maiori iure butyrum nucis moſchatae diceretur, quam, vt vulgo fit, oleum nuciſtae. Eſtque hoc vnctuoſum, opacum, albo rubellum, odoris ſaporiſque aromatici, ſed leuioris comprehendens tam volatiles partes odoras et ſapidas, quam ſebaceas.

ceas, inodoras, inſipidas (Vid. GAUB. *l. c. p.* 42.), haeque inſtar vehiculi ſunt priorum. Spiritus vini ſoluit $\frac{1}{4}$ (NEUM. *l. c. p.* 432.), quippe hoc pondus extractum ſpirituoſum efficit, quod linguam et nares efficaciter ferit. Aqua rurſus extracti pr. $\frac{5}{16}$ reddit odore ſaporeque omnino carentis. Sponte igitur elucet, quale menſtruum eligas. Partes terreae ſupra tertiam partem conſtituunt.

Macis olei aetherei odorati $\frac{1}{64}$; et olei vnguinoſi bruni odoratiſſimi, vnguenti conſiſtentiae $\frac{1}{5}$ exhibuit (SPIELMANN.); extracti aquoſi pr. $\frac{1}{4}$, ſpirituoſi pr. autem plus (NEUM. *l. c. p.* 437.), ſcil. eius vncias quatuor et dimidiam ex libra ciuili macidis.

Inter veteres medicos nuclei primam mentionem Arabes iniecerunt, et inter haſce AVICENNA. Hodie et ille et Macis condimentum vulgare in cibis ditiorum ſunt. Macis magis aromatica eſt. Atque ſic omne aromatum meritum in palato grate ſtimulando et viribus digeſtionis ventriculi ſollicitandis continent. Saccharo condire fructus nondum maturos Belgae in India ſolent; item muria condire encheireſi et faciliori et minus pretioſo (RUMPH. *l. c. p.* 22.). Saccharo conditi ſolent etiam in Europam transferri, vt delicias ſecundae

menſae

menſae ditiorum augeant; licet nec ſuo commodo careant in ſtomacho roborando.

Ob calidam naturam nonniſi in chronicis quibusdam morbis admitti dictae iſtae partes poſſunt; et nucleorum praecipue ratio habetur. Non pugnat contra nucleos, quod largius ingeſti vertiginem, deliria, pectoris oppreſſionem, mortem attulerint, quum omne nimium in vitium vertatur. Dictorum incommodorum exempla varia recenſet RUMPHIUS (*l. c. p.* 21. *ſq.*), delirii nominatim LOBELIUS (*Obſ.* 570.), et vna cum hoc ſtuporis, ſomnolentiae aliorumque vitiati ſyſtematis neruoſi ſymptomatum SCHMID (in *Miſc. n. curioſ. Dec.* 2. *ann.* 2. *p.* 278.) et CULLEN (*Treatiſe of the Mat. med. vol.* 2. *pag.* 204.). Vaporum arboris effectus noxii in iis, qui ſub ea pernoctantur, tamen ſuſpicionem latentis in arbore veneni mouent. Ventriculum et inteſtina relaxata egregie roborat, et flatus inde collectos diſſipat, vomitus quoque ex ſenſilitate nimia enatos compeſcit. Praeſertim alui profluuia, diarrhoeam nimiam et dyſenteriam ſtimulo prius eiecto coërcet. Augetur haecce vis toſtione nucleorum, quae olim magis, quam hodie, in vſu fuit. Rarius ſola nuclei aliqua portio exhibetur,

 quam

quam in miſcela commoda, vel in praeparatorum iam recenſendorum aliquo genere, quorum quaedam nonniſi extrinſecus adhibentur. In reliquis aemulatur aliorum aromatum virtutes, modo memineris, multum vnguinoſi reconditum habere.

Macidis vires ſuppares, cuius tamen oleum aethereum magis volatile et nonnihil acrius.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEUM DESTILLATUM NUCIS MOSCHATAE *Ph. omn.* Vide de natura et praeparatione ſupra dicta. Ad paucas guttulas contra affectiones primarum viarum dictas inſtar Elaeoſacchari capi poteſt. Abdomini quoque inungitur, et partibus paralyticis.

OLEUM EXPRESSUM NUCIS MOSCHATAE *Ph. omn.* e. c. *Ph. Würt. p.* 126. Ex contuſis nucleis et per vapores aquae emollitis. De hoc quoque ad partem ſupra dictum. Transmittitur ex India plerumque in vrceis terreis, et molle et fragrantius eſt, coloris lutei. Aliud ſolidas maſſas refert, plerumque planas et quadratas, odoris debilioris et coloris pallidioris, idque ex Belgio petitur. Saepe corrumpitur ſpermate ceti, ſcilicet contunduntur nuclei ruditer, admiſcetur ſperma ceti et digeſtis iis expri-

exprimitur pingue (FERBER *n. mineral. Beytr. vol.* 1. *p.* 366.). Externe vnice in torminibus, vomitu, alui fluxu, abdomini illinitur, et linimentis vnguentisque neruinis ſtomachicis additur. Balſamis odoris ſaepe quaſi fundamentum praebet, a quo reliqua recipiuntur.

BALSAMUS NUCISTAE *Ph. W. p.* 30. Paratur ex combinatione vtriusque dictorum oleorum. Vſus externus in iisdem affectionibus.

OLEUM DESTILLATUM MACIDIS *Ph. omn.* Vid. ſupra. In vetuſto generantur cryſtalli pellucidae flaueſcentes, ſaccharo cando ſimiles, ardentes flammae candelae admotae; ſpiritu vini, oleo terebinthinae et amygdalarum nonniſi praeuia ebullitione ſolubiles, ſed refrigerio rurſus menſtruum relinquentes; aquae ebullientis nonniſi magna quantitate ſolubiles (WIEGLEB in *not.* ad VOGELS *Lehrſätze der Chemie, p.* 221.).

AQUA MELISSAE SPIRITUOSA *Ph. Würt. p.* 20. AQUA CARMINATIVA SPIRITUOSA *l. c. p.* 11. AQUA ANHALTINA *l. c. p.* 8. AQUA MASTICHINA *l. c. p.* 19. ELIXIR BALSAMICUM SPIRITUOSUM HOFFM. *l. c. p.* 53. ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI *l. c. p.* 58. EMPLASTRUM

DE CRUSTA PANIS *l. c. p.*61. etc. nucem moſchatam continent; SPECIES IMPERATORIS *l. c. p.* 178. etiam Macidem. — Olea alterutrius occurrunt in BALSAMO STOMACHICO *Ph. W. p.*31. BALSAMO SUCCINI *l. c.*

Taedet vel titulos transſcribere omnium et ſingularum formularum, Germanorum diſpenſatoriis inſertarum, a quarum vſu iam multitudine receptorum abſterremur.

B.

Partes vegetabiles
ignoti generis vel ſpeciei.

I. RADICES.

1.

Pharm. CALAGVALAE ſ. CALAGVELLAE *Radix.*

Radix Americam meridionalem et nominatim ditionem regni Peruuiani Quito patriam habet. Praeter Indos apud Italos celebritatem noſtro tempore obtinuit. De ſtirpe ipſa hactenus modo reſciuimus, quod folia gerat, Aſplenii Scolopendrii foliis ſimilia, ſed minora, et filicis ſpecies ſit, quantum ex deſcriptione obſcura colligi poteſt, Polypodii generi aſſocianda.

Radix genuina (quam hactenus non vidi) nodoſa eſt, qualis in Polypodio vulgari vel Osmunda regali, ſaporis expers. Et haec quidem vnice efficax; nam cauendum, ne confundatur cum duabus aliis inertibus; quarum vna dicta Calagualae foeminae radix foliis largiſſimis inſtructa, et ſeminibus, vt fertur, deſtituta; alia Calagualae ſpuriae nomine

 venit,

venit, ex lucro aliquando ſubſtituta (V. *Della radice di Calaguala Lettera del Sig. Dott.* DOMENICO LUIGI GELMETTI *al chiar. Sig. Dott. Giammaria Mazzi*, quae epiſtola inſerta legitur in *Giornali della Medicina, tom.* 5. *p.* 409. *ſq.* et BRUGNATELLI *Biblioteca fiſica d'Europa, P.* 5. *p.* 135. *ſq.*).

Prima eius, quoad ſciam, mentio fit in diario medico Londinenſi (*Lond. med. Journal, vol.* 5. ex recenſ. MICHAEL. *Bibl. vol* 1. *p.* 186.) vbi poſterior nominis ſcriptio obtinet et Romae contra hydropem vſurpatam radicem fuiſſe, optimo ſucceſſu traditur. Reliqua clariſſimo GELMETTI debentur. Indi decocto radicis in pleuritide, contuſionibus et apoſtemate interno vtuntur. Hiſce cognitis prima experimenta Mantuae capta. Quatuor exemplis per partes expoſitis in Italia, duce viro cl. dicto, ſalutarem effectum praeſtitit. Vnum ſpectat ad affectiones varias pectoris ex contuſione moleſtas et chronicas; alterum ad febrem hecticam ex pleuritide; tertium ad pleuritidem diram; quartum ad colicam conuulſiuam cum febre, vomitu bilioſo et obſtructione aluina. Conficitur ex dictis, vim aperientem attenuantem, reſoluentem illi ineſſe. Ratio autem radicem exhibendi in decocto eſt, parato ex radicis

radicis drachmis duabus et aquae communis quantum ſatis, ſiue libra ſeſquialtera ad tertiae vel quartae partis conſumtionem coctis. Et huius quidem cyathi aliquot inſtar Theae bibuntur. Vnde diureſis copioſa absque ardore tamen vel dolore in viis vrinariis.

Certiora iam exſpectamus ex commentatione extra Italiam hactenus non diſpertita, quam cl. CARMINATI de radice Calagualae nouiſſime Ticini regii edidit, in qua, tam propria quam ill. FRANCK (*Litt. Ejusd.* ad me 1791 vernae) experientia ſuffultus inertiam huius radicis demonſtrare narratur.

2.

Pharm. CASSVMVNIAR, ſ. CASVMVNAR, ſ. RISAGON, ſ. BENGALE *Radix.*

Nomina tria priora fictitia ſunt ad celandam ſtirpem, quarto autem ſiue Bengale in India innoteſcit (RAII *Hiſt. plant. tom.* 3. *p.* 649.). Nempe ex India orientali transfertur.

RADIX comparet diuiſa in varia ſegmenta, mox ſecundum longitudinem, mox transuerſim in orbiculos, qui diametro circiter digitum aequante et a linea ad pollicem craſſi ſunt. Adhaeret parenchy-

mati interno, pallidiori, albido flauo, cortex nodoſus, hinc inde circulis horizontalibus diſtinctus, cinereo flauus. Decennio ſeptimo praeteriti ſeculi in Angliam peruenit, et commentatiuncula de eius virtutibus tum typis impreſſa ad commendationem multum tunc temporis contulit medicus PEACHY, qui nomen Caſſumuniar illi dedit (SLOANE in *Phil. Tranſ. n.* 264. *p.* 580.), aliusque MARLOW (DALE *Pharmacolog. p.* 276.) ſocius indicatur. Cel. MEAD quoque illi multum tribuit (QUINCY *Pharm. p.* 84.). Hinc diu in *Pharmacopoea Lond.* et *Edinburg.* locum obtinuit, excluſa tamen in nouiſſimis.

Sapore proxime ad Zedoariam vulgarem venit, amaricante et aromatico, vt et ſenſum camphoraceum linguae imprimat; ideo forſitan illi adſcriptum fuit a DALEO aliisque nomen Zedoariae radice lutea ex BREYNIO (*Prodr.* 2. *p.* 207.), qui tamen de ſtirpe ipſa nihil certi conſtituit. Odor fragrans Zingiberis. Spiritus vini vires maxime euoluit indeque aſciſcit colorem profunde croceum, prout ipſum extractum inſpiſſando tincturam. Hoc gratam amaritiem et calorem conſtantiorem guſtanti impertit.

Stomachicam vim ineſſe radici, quilibet facile dabit. Praeco qui eius olim fuit, cl. PEACHY extulit

tulit eam, vt ſolent alii ſimiles medicamentorum laudatores, in morbis multiplicis diuerſitatis, in apoplexia, paralyſi, vertigine, motibus conuulſiuis, affectionibus hyſtericis, torminibus (RAIUS *loc. cit.*). Sed, poſt cognitam naturam remedii cuiusdam, ſanior pathologia optime docet, quando illud proficiat, quando noceat. Corrigi corticem Peruuianum eius ope idem venditauit (*l. c.*): ſed nihil ille cortex mali continet, ſi a ſcito medico adminiſtratur.

3.

Pharm. CHYNLEN *Radix.*

Ex China attulit illam peritiſſimns in arte ſua et ſcientia phyſices et hiſtoriae naturalis pariter inclytus nauarchus Suecicus EKEBERG et cel. BERGIUM (*Mat. med. p.* 908.) de vſu medico ibidem obuio certiorem reddidit. Nec alios fontes hactenus adire licet notitiae eius cupidis.

RADIX deſcribitur cylindrica, ſubtoruloſo flexuoſa, craſſitie pennae anſerinae vel anguſtiori rugoſa, ſubſquamata ſetis ſubulatis frequenter exaſperata, fragilis ex luteo rubra. Proſtat fruſtulis pollicem vel vltra longis.

Odore caret, ſed ſapore valde amaro et tenaci inſtruitur, ſaliuam tingit colore croceo. Chinenſes magno eam pretio vendunt, eiusque ſtomachicam virtutem praecipue depraedicant, quam infuſione radicis cum vino ſibi in vſum vertunt in colica, concoctione ciborum labefactata ſimilibusque vitiis. Confirmat egregiam efficaciam ex ſua experientia cl. BERGIUS, qui tamen quibusdam emeſin excitaſſe obſeruauit.

4.

Pharm. COLVMBO, aliis CALOMBAE, COLOMBAE, COLVMBAE, CALVMBAE *Radix.*

Primus, qui radicis Calumbae, vt eam nominat, quantum noui, meminit FRANCISCUS REDI (*Experimenta circa varias res naturales,* 1685. *p.* 142.) eſt, qui ad noua experimenta cum eadem excitat et alexipharmaci maximi laude diſtinctam ſignificat, absque alia vlla de iſta commemoratione. Eodem forſitan tempore JO. CURVUS SEMMEDUS (*Pugill. rer. indic. ſ. Hiſt. varior. ſimpl. ex Ind. orient. Amer.* Verſ. VATERI 1722. *p.* 37. Quando archetypus prodierit lingua Luſitanica neſcio, auctor vero alium librum iam edidit a. 1697.) eam memorat, qui licet plurimis virtutibus eam ornet, quam ſobrio iudicio reſpon-

reſpondent, laudat tamen etiam in affectionibus vero magis conſentaneis, vt doloribus colicis, contra prauas digeſtiones ventriculi, in diarrhoea, in flatulentia. Arbitror vtrumque ſignificaſſe eandem, quae, recentius Anglorum praecipue praeconio, apparatum medicaminum auxit.

Quantum hactenus erui potuit, ex teſtibus idoneis, qui diu in India orientali verſati ſunt, ſtirps in continente Aſiae parte creſcit, et inde in vrbem Columbo inſulae Zeylonae transplantata eſt, vnde per totam iam Indiam diſpergitur. Memorabile eſt, quod horum vnus indicauerit in Zeylona et Anglicis coloniis lingua Luſitanica *Rays de Moſambique* vocari (PERCIVAL's *Eſſays medical and experimental. vol. 2. p. 3. ſq.*). Reſpicit hoc nomen aliam, quam Aſiaticam patriam, ſcilicet Africanam. Cognitum enim recentius eſt, radicem a Luſitanis e Mozambique Tranquebariam adduci, ibi a Caffris in continenti emtam proſtare et mercem lucroſam eſſe (KÖNIG litt. in RETZ. *Obſ. bot. faſc. 4. p. 5.*).

Iuſta fuiſſet exſpectatio, fore, vt radix per Belgas potius priusque, vt in quorum poſſeſſione vrbs Columbo eſt, quam per Anglos in medicorum notitiam veniſſet. Aſt in Anglia iam per quinquaginta

ginta circiter annos cognita et paſſim vſitata fuit (WHITE'S *Treatiſe on the management of pregnant and lying in Women, ed. 2. p. 75.*). Ab eo autem tempore inprimis celebrata in noſtra Europa eſt, quo cl. PERCIVAL experimentorum ingenioſorum cum ea captorum recenſum euulgaret (*Lib. cit.*, cuius primum caput inſcribitur: *On the Columbo Root.*), adeo vt iam in recentiſſimis deſignationibus pharmaceuticis tantum non omnibus, iis adeo, qui ſelectu rigidiori delectantur, vt *Pharm. Lond. Edinb. Roſſica* locum obtineat, et in quolibet lautiori pharmacopolio iam obuiam veniat.

RADIX transfertur diſſecta vel in orbiculos, qui pollicem dimidium ad tres diametro aequant, vel in fruſta quartam pollicis partem ad duos vsque pollices longa. Extrinſecus veſtitur ſub hacce forma cortice rugoſo, craſſo, ex viridi profundius bruno. Interna pars pallide flaua eſt et medio contrahitur, ita vt intra tumidum marginem concauitatem formet rugoſam centro, vt videtur ſiccationis adiuuandae cauſa, perforato. Diſcerni oculis in orbiculis facile poſſunt tria ſtrata, cortex, pars lignea et medulla, quae ipſa blandior eſt reliquis et maſticata copiam mucilaginis effert. In puluerem

redacta

redacta virideſcentem colorem induit et humiditatem attrahit. Fricta cultro aroma ſpirat, guſtata ingrate amara et modice pungens ſentitur. Sapor ingratus corrigitur additamento corticis Aurantiorum in vtriusque infuſione (PERCIVAL *l. c. exper.* 2. *p.* 20.).

In putredine carnis bouinae arcenda Radix haec cortice Peruuiano inferior eſt (*l. c. exper.* 4. *p.* 22.), etſi omnino in infuſo radicis caro diutius illaeſa perſiſtat, quam in mera aqua. In corrigenda putredine iam enata cedere quoque cortici dicto debet (*l. c. exper.* 5.). Felli bouino autem putredine corrupto illico integritatem reſtituit, quum contra ea infuſum corticis Peruuiani foetorem manifeſte augeret et coagulum illi inferret (*l. c. exp.* 6.). Euentus adhibita bile recente hominis violenta morte abſumti in foetore corrigendo idem fuit BERTRAND DE LA GRESIE in *Hiſt. de la Soc. de Med. tom.* 2. *p.* 293.). Elegans inde concluſio deduci poteſt ad efficaciam illuſtrandam, quam in cholera aliisque malis abundantia et deprauatione bilis copulatis praeſtat, de quibus infra vberius, et ad ſalutarem vſum huius medicinae, etiamſi euacuationes neceſſariae non praeceſſerint. Simul elucet,

cur

cur in eiusmodi morbis cortex minus ſalutaris cenſendus ſit. Addendum tamen magni viri ill. CULLEN (*Treatiſe on the Mat. med. vol. 2. p.* 78.) dubium, an vere ſpecificam virtutem in bilem exſerat. In fermentatione et acore ciborum coërcenda radicem valere cognoſcitur mixtura ex mica panis, carne veruecina aſſata et infuſo radicis Columbo parata, quae ipſa ne poſt decimum quidem diem acorem manifeſtauit, quum contra miſcela, in qua omiſſa erat radix, fermentationem ſubiret poſt duodecim horas et poſt quadraginta octo horas acorem contraheret (PERCIVAL *l. c. exp.* 8.). Arteriae ictus non auget ore capta, vt igitur non amaris calefacientibus annumerari poſſit, nec hecticis et phthiſicis, quando amara ventriculus labefactatus requirit, noceat (*l. c. exp.* 10.).

Deſtillatio radicis cum aqua nullum olei veſtigium prodit, attamen debilem ſaporem balſamicum habet et odorem quaſi ex Cumino (CARTHEUS. *Diſſ. de radice Colomba* 1773. recuſ. in EJUSD. *Diſſ. phyſ. chym. med. p.* 149.). Ex radicis vncia vna, digeſta cum aqua ſufficiente, infuſum ſubfuſcum redundat valde amarum et blanda euaporatione extracti drachma vna cum granis viginti quatuor, quod

quod ipſum valde amarum, ſed odoris deſcripti debilis. Tinctura cum ſpiritu vini facta ſaturate flaua odoris balſamici grati, ad moſchum vel Hyacinthum accedentis, et ſaporis intenſe amari; extracti ſpirituoſi primi grana modo viginti quatuor ex vncia radicis euoluuntur (CARTHEUS. *l. c.*). Vinum cum radice digeſtum mediocriter amarum eſt. Extractum ex ſpiritu vini et ex aqua iunctim moderatioris ignis ope paratum ad iudicium narium et linguae virtute non cedit pulueri radicis ipſius; quod et ipſa adminiſtratio in aegris confirmat, niſi extractum praeſtantius habendum ſit (PERCIVAL *l. c. p.* 22.). Minutiae ſub hiſce experimentis obuiae, vel alia remotioris vſus ſunt aliunde petenda (ex CARTHEUS. *Diſſ. cit.* et *Hiſt. de la ſoc. de med. de Paris, tom.* 3. *p.* 243. *ſq.* auctore pharmacopola JOSSE.). Id tamen ex hiſce conſequitur, quod odorae partes, licet in reliquis primaria virtus reſideat, auidius a ſpiritu vini, quam aqua excipiantur, et gummoſarum plus quam reſinoſarum radici inſit. Infuſum radicis aquoſum celerius corruptelam init, quam illud reliquorum amarorum, nam intra nychthemerum ſedimentum in eo apparet copioſum et intra biduum viſcoſum et vapidum euaſit (PERCIVAL *l. c. p.* 20.).

Ab

Ab Indis iam dudum eximium remedium in affectionibus variis ventriculi et inteſtinorum habita radix fuit. Subſcribit recentior experientia, quae et in bilis vitiis corrigendis excellere docet. Indi radicem conciſam vel raſam cum vino Máderaico ingerunt (PERCIVAL *l. c. p.* 4.).

Ad coërcenda alui profluuia effrena et vomitus pertinaces ſedandos magni nominis eſt. In dyſenteria tam apud Anglos (PRINGLE in GAUB. *Aduerſ.* PERCIVAL.) quam Batauos multum valuit (CARTHEUS. *l. c. p.* 142.), nec in Gallia ſpem fefellit (BERTRAND DE LA GRESIE *l. c. tom.* I. *Hiſt. p.* 344. *tom.* 2. *p.* 292.). Imo iam initio diarrhoeae vel dyſenteriae, quo adſtringentia nocent, haec radix et cum fructu praecipitur, et tum antiſpasmodicam virtutem exſerere videtur, quum conſtet multas turbas nonniſi irregularibus primarum viarum motibus excitari; declinante tamen morbo conuenientior eſt (PERCIVAL *l. c. p.* 8.). — Nauſeae et vomitui grauidarum (WHITE *l. c. p.*75. PERCIVAL *l. c. p.* 13.) et puerperarum egregie ſubuenit; in hiſce febre puerperali exiſtente ob vim bilem vitiatam et exundantem temperandi confert ad ſcrupulum vel drachmam dimidiam in puluere, vel in

extracto

extracto vel in infuſo ter vel quater de die data; tantoque magis conducit, ſi ſimul aluus nimium fluxa eſt (Conf. VERRYST in *Verhandel. door de Hollandſche Maatſchappye der Weet. te Haarlem, P. 21. p.* 6.). Vomitus, qui bilioſam colicam comitatur, praeuio emetico huius radicis infuſi compeſcitur (PERCIVAL *l. c. p.* 8.). Nec infantili aetati aduerſa eſt, quae ſaepe ſub dentitione vomitu et diarrhoea tentatur; hosque tanto felicius iuuat, ſi ad acidum frangendum cum pauxillo cretae vel magneſiae iungitur (*l. c. p.* 11.). Imo in habituali vomitu, ſi a debilitate vel nimia irritabilitate ventriculi, acore, bili acri, ſecretione vel iuſto vberiori vel deprauata ſucci pancreatici, enaſcitur in connubio aromatum, martialium vel abſorbentium leuamen inſigne affert (*l. c. p.* 12.). Supprimit quoque in intermittentibus febribus autumnalibus vomitum, quo frequenter ſtipantur; et ſi cortex Peruuianus ob emeſin crebram inanis eſt, opii vices in delendo vitioſo iſto ventriculi ſenſu agit (VERRYST *l. c.*). Queritur tamen CULLEN (*Treatiſe of the Mat. med. vol.* 2. *p.*78.), licet multis medelam vomitus attulerit, haud paucos tamen ſpe excidiſſe; quin iis caſibus, in quibus redundantia bilis ſubfuit. — Cholerae obicem ponere, ſaepe exploratum eſt, et in hac

 ſimul

ſimul cum euacuantibus torminum ſaeuitiam frangit, bilem corruptam emendat, motus praeternaturales ſopit, et vires erigit. Nautis drachma dimidia ad duas pulueris omni trihorio vel quadrihorio data (JOHNSON apud PERCIVAL *l. c. p.* 6.). Aliis ſuffecit in hoc morbo minor doſis decem (MAKITTRICK *de febre Ind. occid. maligna flaua* in *coll. diſſ.* BALDING. *vol.* 1. *p.* 143.), quindecim, vel viginti granorum, in cochleari vno vel altero aquae Cinnamomi vel Menthae ſimpl. (GARDINER *on the animal oeconomy, p.* 347. *ſq.*). Profuit in cholera ex eodem fonte orta, poſt praemiſſos lapides cancrorum cum ſucco Citri eandem adhibere (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 2. *p.* 77.). — In hisce morbis ſanatis prout manifeſta ſaepe bilis vitia praeſto fuerunt, ita in febribus bilioſis ipſis ſalutem affert. Laudatur connubium tartari vitriolati et quidem vtriusque ad grana quindecim, vel viginti (PERCIVAL *l. c. p.* 9.); euacuantibus praemiſſis nihil efficacius eſt ad nauſeam et vomitionem ſedandam; et etiamſi remiſſiones manifeſtae ſint, longe tutius exhibetur in hisce quam cortex Peruuianus, et efficaciter bilem corrigit, ventriculum roborat et vires reſtaurat (HAYGARTH apud PERCIVAL *p.* 10.).

Abſen-

Abſentibus quoque vitiis, quae dixi, bilis et ſpaſticis conſtrictionibus, ſtomachicum primi ordinis conſiderandum eſt, languente vigore ventriculi et primarum viarum indeque proficiſcentibus cibi appetitus iactura, concoctione laeſa, flatibus, nauſea. Placuit ſimplex decoctum aqua factum, cochleatim pluries ſumtum (SELLE *Handb. d. med. Prax. p.* 683.), item puluis eius aromate quodam commixtus, vel infuſum vino Maderaico paratum; deficiente autem bile, miſcela pulueris cum felle bouino pilularum forma aegris conſultum eſt (PERCIVAL *l. c. p.* 12.).

5.

Pharm. IKAN *Radix.*

Ex ſpeciminibus, quae coram habeo, deſcriptionem *Radicis* exarare licet. Sunt haec ouato-oblonga, nonnihil compreſſa, vtrinque attenuata, magnitudine nucis oliuae, vel paullo exiliora, altero extremo deſinentia in filum tenue duorum ſupraque pollicum, quod videtur fibrilla eſſe. Epidermide externe obducuntur ex luteo griſea, rugoſa, arcte adhaerente parenchymati, interne duro, corneo, ſubpellucido, quod media parte comprehendit ſimilem radicem contiguam, cuticula ſua limitem denotantem. Bulbus videtur radix quaſi ex

orchidea plauta, et ſimili modo inter dentes commanſa ſeſe habet, et diuturniori ibidem mora mucilaginis aliquid exundat. Bulbulum tamen innatum maiori in radice Saleb ſaltim non conſpicio. Odoris expers, nec equidem aliquid acre illi ineſſe ſentio. In prouincia Chinenſi Suchuan, ex qua prouenit, planta creſcere fertur (HAGEN *Lehrbuch der Apothekerkunſt, ed.* 2. *p.* 386.).

De morbo, in quo adhibeatur, nihil habeo, quod tradam. Seruant modo pharmacopolae noſtri radicem inter rariora exotica.

6.

Pharm. LOPEZ ſ. LOPEZIANA *Radix.*

Nomen duxit a JOANNE LOPEZ PIGNEIRO (JUAN LOPEZ PIÑEIRO) Luſitano. Prima de hac radice narratio mihi obuenit apud FRANCISCUM REDI (*Experimenta circa varias res naturales, p.* 138.), niſi illi coaeuus cenſendus SEMMEDUS (*Hiſtor. variorum ſimplicium exoticor. p.* 40.), de quo dubio ſupra (p. 154.) dixi, qui hanc quoque radicem ſignificat. REDIO teſte in prouincia Zanguebar Africae in ripa fluminis Cuama LOPEZIUS hanc radicem inuenit. Ex alia relatione Aſiam patriam habet, et ex Goa in

inſulam

inſulam Malaccam, indeque Batauiam transfertur (GAUBII *Aduerſ. varii argument. p.* 80.); alius iterum edixit, Malaccae inſulae propriam eſſe, mutuoque commercio tam Goam ad Luſitanos, quam ad emporium Batauorum Indicum peruenire (*l. c. p.* 89.).

Ex arbore originem traxiſſe, viſu facile cognoſcitur; nec videtur ex arbuſculo, vt quidem cl^mo^. REDI indicatum, colligi, quum aliquando ramos inſignis craſſitiei repraeſentet. Proletarie valde hactenus modo arbor deſcripta eſt (apud REDI), vt ſoli radici inhaerere neceſſe ſit. Haec ipſa inter Europaeos medicos non niſi ab anno inde 1771. inclaruit, quo GAUBIUS illam ex tenebris ſuis protraxit, et propria et aliorum medicorum in Belgio degentium experientia pretium eius conſtituit. Iam et in officinis largius inſtructis copia illam aegris praecipiendi exſtat, per Belgas in Europam transvecta.

Seruantur bacilli diuerſae longitudinis, octo adeo vel nouem pollicum, craſſi pollicem vnum, imo duos, ſaepe exiliores, lignoſi, quorum lignum colorem ſtramineum prae ſe fert, leue et, transverſim diſſectum, poroſum eſt, excepta medulla, quae durior, denſior et ex albo ſubrufa comparet.

 Cingi-

Cingitur hoc cortice fuſco, tegmine molli, ſpongioſo, luteo, per ſtrata obſito. In quodam mihi obuio ſpecimine ſupra lineam illud craſſum deprehendo. Non multum ad notitiam eius confert figura cl. REDI (*l. c. p.* 138.). Bacilli exiliores praeſtant craſſioribus virtute. Odoris expers eſt, et ſaporis pariter ad iudicium GAUBII (*l. c. p.* 90.); equidem tamen amaricantem inueni, manifeſtius autem in pulpa ſpongioſa corticis externa. Perquam amaram perperam REDI facit.

Neque decoctum aqua factum, quod flaui coloris, niſi modicam amaritiem prodit. Salis eſſentialis quaedam indicia adſunt, tam in hoc decocto, quam in tinctura, quae fuſcam colorem habet, et, abſtracto ſpiritu vini, balſamici aliquid ardentis ſaporis, quaſi opii amaricantis, prodit. Solutione vitrioli martis non fuſcatur decoctum (Conf. cum Gaubianis experimentis *l. c. p.* 90. *ſq.* alia eiusdem naturae et euentus cl. JOSSE in *Hiſt. de la Societé de Medecine, tom.* 3. *p.* 246.). Nihil neque ſenſuum exploratione, neque chemico ſcrutinio dicto detegitur, ex quo diuinari poſſit egregia in ſiſtendis alui pertinacioribus profluuiis efficacia. Nempe haecce eſt, quae hodie attentionem medicorum ſuſcitauit.

Nullam

Nullam enim fidem meretur eiusdem contra morſus vel puncturas animalium venenatorum olim prolata laus, vel in febribus intermittentibus exſtinguendis item vulneribus conſolidandis priſtinum praeconium (V. REDI *l. c.*). Verior modo indicata virtus Indis quoque nota hodie eſt, qui ipſi radicem ſuper porphyrite cum aqua contritam in alui profluuiis aegris propinant.

Hancce exhibendi illam rationem in lienteria pertinaci et diarrhoea cum ſucceſſu amplexus eſt GAUBIUS (*l. c. p.* 79. *ſq.*), quem nunquam radix fefellit, niſi in ſene decrepito, viribus exhauſto, et fluxum coeliacum perpeſſo. Imo profuit illi radix in diarrhoeis tabi pulmonali ſuperuenientibus, quin conſummata phthiſi aluum coercet (*l. c. pag.* 82.). Aeque felici euentu experti ſunt eam cll. inter Belgas medici DE MONCHY, BOUDE, WYNSEN et PATYN, quorum interpretem GAUBIUS agit. Ille quidem praeprimis in diarrhoea colliquatiua phthiſicorum reliquis omnibus eam praefert (*l. c. p.* 83.), quod et praeter GAUBIUM cl. PATYN (*l. c. p.* 86.) confirmat, quin praeſentibus iam aphthis mali moris. Sic diarrhoeam habitualem radix in decocto panis cum pauco vini remixto compeſcuit (*l. c. p.* 84.). Ae-

que prodeſt puerili aetati (*l. c.*), quam ſenili (*l. c. p.* 87.), et nominatim diarrhoeae puerperarum ſymptomaticae accommodata eſt (VERRYST in *Verhand. door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſ. vol.* 21. *p.* 7.). Habet etiam hanc non ſpernendam vim, quod cortex Peruuianus ſi aluum laxet, ſuo additamento diarrhoeam inde enatam compeſcat, et ſic beneficio corticis frui aegrotum permittat abſque ſubſequa alui obſtructione (ID. *l. c.*). Mira celeritate effectum ſuum exſerit, vt ſint, quibus a paucis modo doſibus turbae iam notabiliter ſopitae, et frequentes deiectiones aluinae ad paucas redactae fuerint (GAUB. *p.* 84. *ſq.*).

Datur opportune in puluere ſiue ſyrupo, ſiue mucilagine aut apto electuario in pilulas efficta, doſi granorum quindecim ad triginta, ter quaterue de die. Febris ſi abeſt, vel ſtomachus torpet, ſpiritus vini cochlear exiguum ſuperdari poterit. Tincturae quoque locus eſt, ſcilicet ex radicis drachma ſeſquialtera, ſpiritus vini vnciis duabus cum ſemiſſe, cuius ter de die cochlear exiguum, pauco vino rubro dilutum, ingeritur. Haud exiguum emolumentum quoque ſpondet decoctum aquoſum, modo digeſtio praeceſſerit.

SEMME-

SEMMEDUS pro ſuo more multas fide deſtitutas vires illi adſcribit, ex quibus hic modo recenſeo, miraculi inſtar curare a vipera commorſos, ſcilicet ita, vt vulneretur vertex capitis lanceolata, et plagae pauxillum pulueris eius applicetur (V. *l. c. p.* 40. *ſq.*).

7.

Pharm. MATALISTA *Radix.*

Huius ſpecimina in officinis vulgo occurrunt in orbiculos mox craſſiores aliquot linearum, mox tenuiores diſſecta. Amplitudo pariter variat, nam ſunt, qui diametro pollices quinque excedunt. Externe ſuperficiem cineream valde rugoſam formant, interne albidiora comparent, et vndas concentricas effingunt, et hinc inde aliquando poroſa conſpiciuntur, vt fere eroſionem a vermibus ſuſpicareris, niſi maior adeſſet regularitas. Subſtantia mediocriter compacta et notabiliter ponderoſa. Negligitur hodie omnino.

Stirpem Americam inhabitare lego, vbi, non additum, radicem aluum purgare, debilius Jalappa, paullo fortius Mechoacanna, doſi drachmarum duarum (VOGEL *Mat. med. p.* 240.).

8.

Pharm. TIMAC *Radix.*

Caribaeis dicitur Timac, Hiſpanis Liane à coureux. Quae de hac nouimus, debentur medico GERARD, qui eandem in inſula St. Domingue in hydrope vtiliter tentauit, et Regiam ſocietatem medicam Pariſienſem de ſucceſſu certiorem fecit (V. *Hiſt. de la Societé Royale de Medecine, tom.* 1. *p.* 341.). Nunquam eam vidi, nec iſte deſcriptionem eius concinnauit. Cenſetur Aurantiis vel Terebinthis cognatione iungi. Deeſt hactenus in pharmacopoliis.

Decoquuntur radicis vnciae duae in tribus pintis aquae (= ℔ vj ciuil.), cuius decocti aegri primis diebus vitra tria ingerunt (= vnciis quatuor cum ſemiſſe circiter); augetur doſis quarto die, et ſi aeger fortioris naturae eſt, additur vncia vna raſurae Guaiaci, aliquot grana Scillae et pauxillum Canellae, vt potus aromate imbuatur.

Accedat oportet noua experimentorum ſeries.

II. CORTICES.

9.

Pharm. ANGELINAE *Cortex.*

Arbor huius corticis procera eſt, inſulae Americanae Grenada incola. Anno 1785. Chirurgus GRIEVE ibidem commorans in Scotiam (Vid. DUNCAN'S *Medical commentaries, vol.* 9. *p.* 365.) virtutem eius anthelminticam perſcripſit. Explorata haec fuit ab eo in infantibus dyſenteria verminoſa correptis, quae multis antea exitio fuit. Corticis huius vnciae quatuor in quartis tribus (= ℔ vj ciuil.) aquae coquebantur, donec duae ſupereſſent. Huius decocti mane cochleare maius infantibus ingeſtum, biennio minoribus, et ſeſquialterum, vel duo, infantibus hac aetate maioribus. Abſtinendum ab omni potu ciboque ad meridiem vsque. Tormina excitat, qualia ſubinde a Jalappa. Subſequente die opus purgante eſt. — Sic ſtupenda vermium caterua per aluum eliminatur. Lumbricorum ratio nominatim videtur habita eſſe.

10.

Pharm. ANGUSTURAE *Cortex.*

Aliis ſcriptura corticis *Auguſtini* placet (*Göttingiſche Anzeigen* 1790. *n.* 4.), quae aliam patriam, ſcilicet vrbem St. Auguſtin, in Florida orientali ſitam, aſſignat. Quantum conſtat, prior rectior eſt, ex Anguſtura Americae auſtralis, vnde Hiſpani illum in inſulam Trinitatis (Trinidad) transuexerunt. Ex quanam arbore proueniat, nondum euictum; ex ſpecie Magnoliae eſſe coniectura tulit (*Litterae Londino ſcriptae* in *Braunſchw. Magazin* 1790. *n.* 5. *p.* 74.), et vlterior diuinatio ex Magnolia glauca L. (BRANDE in *Hannöv. Magazin* 1790. *n.* 15. *p.* 235. *ſq.*). Nuperrime (ex litteris cl. BRANDE in *Hannöv. Magaz.* 1790. *n.* 69. *p.* 1099. *ſq.*) tamen momenta quaedam probabilia ſuadere viſa ſunt, ex abyſſinico frutice, Wooginoos in Abyſſinia dicto, ſ. Brucea antidyſenterica JO. FRID. MILL. 36 *coloured Plants, tab.* 25., quae eadem eſt ac Brucea ferruginea (L'HERETIER *ſtirp. nov. tab.* 10. AITON *Hort. Kewenſ. vol.* 3. *p.* 397.), peti. Deſcriptio enim corticis, quam BRUCE (*Travels to diſcover the Source of the Nile, vol.* 5. *p.* 70.) de dicta planta praeſtitit, congruit cum iſta corticis Anguſturae, et ipſe ille agnouit, conue-

conuenire vtrumque; et cortex fruticis viui, in horto Kewenſi obuii, in plerisque quoque conuenit.

Primam eius cognitionem dederunt anni 1788 altera parte medici duo inſulae Trinitatis, cll. EWER et WILLIAMS, litteris Londinum miſſis, et inſertis periodicae ſcriptioni (*London medical Journal* 1789. *P.* 2. *p.* 154. *ſq.*), quarum copia ibidem facta adoleſcente anno 1789. et nunciatum, Londini ſuppetere eam corticis quantitatem, quae experimentis ſufficeret. Senſim quoque per alia pharmacopolia ditiora cortex hic diſtributus fuit; nec deficit in noſtris.

Affertur hic cortex fruſtis conuexis, diametri circiter ſeſquipollicis, vel minoris, longitudinis plurium ad ſex pollicum, lineam circiter dimidiam craſſis. Epidermide albida inaequali veſtitur ſubſtantia luteo bruna, dura, firma, nec in fibras diſcerpenda. Puluis, in quem contunditur, flauedine Rhabarbarum fere refert. In lingua amaritiem mox prodit cum aromate, quod diu calorem in lingua relinquit. Odor recentis ingratus deſcribitur, cuius vero nullum veſtigium reperio in ſicco praeſente. Tam aqua, quam ſpiritus vini tingitur infundendo colore pallide aureo. Aqua nihil niſi

amaras

amaras partes eruit, ſpiritus vini autem aromaticas ſimul. Ex corticis vncia vna alcohol vini digeſtione drachmas duas extracti reſinoſi primi, valde amari, eruit; aqua autem ex eadem quantitate decoctione extracti gummoſi circiter drachmas tres cum ſemiſſe, paullo minus amari; infuſione autem extracti ſcrupulos quatuor, quod clarum eſt, et ſaporis fere eiusdem, ac ſal Chinchinae (HEYER in *Braunſchw. Magazin, l. c. p.* 76.). Decoctum eius videbatur pulmones vituli contra putredinem paullo diutius tueri, quam decoctum corticis Peruuiani (*ibid. p.* 78.).

Pauca hactenus experimenta, publici iuris facta, virtutes eius vberius enucleant. Multum vero iam promittit ſapor. In inſula Trinitatis adhibetur omnibus caſibus, quibus cortex Peruuianus alias opportunus eſt; quin antiſtare in eo illi ibidem creditur, quod minori doſi idem praeſtet (*London medic. Journal, l. c. p.* 155.). Haec laus ad febrem intermittentem inprimis ſpectat, in qua plerumque ſex aut octo doſes ſuffecerunt; quin vnica aliquando ſuffecit (*l. c. p.* 159. 161.). Modice intra vſum aluus lubricatur. Eximia iſta febrifuga virtus etiam Londini in tertiana confirmata, pluſculis pulueribus

ponderis

ponderis granorum quindecim datis (BRANDE in *Hannöv. Magaz.* 1790. *p.* 238.). Suffecerunt drachmae duae, vel tres, etiam pertinaciſſimis cuiuscunque generis, dum poſt euacuationem praemiſſam quindecim ad viginti grana omni trihorio darentur; et in quartana quinque menſium doſes duodecim, quarum ſingulae grana quindecim continuerunt, perfectam ſanationem effecerunt (IDEM in *Hannöv. Mag.* 1790. *p.* 1104.). — Similis poteſtas ſeſe exſeruit in affinibus periodicis quibusdam morbis, ſcilicet deliquio animi periodico, cephalalgia et odontalgia eiusdem naturae (Conf. BRANDE in *Hannöv. Mag. p.* 238. item IDEM in *Lond. med. Journ.* 1790. *p.* 41.). — Valuit et in febribus inſigni debilitate et labe primarum viarum iunctis. — In febre putrida caſu ſingulari antiſepticam vim vel fomentatione externa declarauit (*Lond. med. Journ.* 1789. *p.* 146.).

In diarrhoeis et dyſenteriis Nigritis frequenter in inſula Trinitatis exhibent (*l. c. p.* 159.). Nec fefellit Europaeos vſus in hiſce malis (BRANDE in *Hannöv. Mag.* 1790. *p.* 238. 1103. item in *London med. Journ.* 1790. *p.* 44. item Anonymus in CRELL'S *chem. Annal.* 1790. *vol.* 1. *p.* 248.), omnique caſu condu-

conducit, quo laxitas et atonia ſubeſt. Concinne praemittuntur per aluum vel os purgantia, ſubſequente eiusdem infuſo (BRANDE *Hann. Mag. l. c. p.* 238.). Non tamen in diarrhoeis colliquatiuis videtur tutus. Omnia conueniunt, in ſtomacho roborando et viribus digeſtionis reſtituendis valere eximie.

Profecit etiam in habitu ſcrophuloſo et in eruptionibus cutaneis, quae vulgo ſcorbuticae dicuntur (BRANDE in *Lond. med. Journ.* 1790. *p.* 45.).

Puluis corticis a granis decem ad viginti pro doſi capitur, a qua proxime dicta tamen delicatiores vno vel duplici caſu nauſeam contraxerunt, vt itaque minores doſes ventriculo magis amicae ſint, et gratum caloris ſenſum afferant. Extractum a granis quatuor ad octo exhibetur. Decocti aquoſi, ex pulueris drachma vna cum aquae vnciis quatuor parati, vnciam vel ſeſquiunciam fert aeger ter vel quater de die. Gratius ſumitur decoctum eius vel infuſum additamento leuiter aromatico: octo ſcil. vnciis liquidi (ex tribus vel quatuor drachmis corticis pro aquae vnciis ſedecim praeparati) additur Syrupi corticum aurantiorum vncia dimidia et tincturae Lauendulae compoſitae drachma vna (BRANDE

in

in *Lond. med. Journ.* 1790. *p.* 40.). Tincturae, ex corticis vncia vna et ſpiritus vini vnciis ſedecim, drachma vna pro doſi concedi poteſt. Doſes experientiae cl. BRANDE debentur.

Niſi coniectura fallat, in fidem virtutis antidyſentericae ipſum exemplum cl. BRUCE (*l. c. p.* 71.) in medium proferri poteſt, qui cortice Wooginoos, ad cochleare exiguum pro Thea bis quotidie cum lacte camelino ingeſto, ſubiuncto mane cyatho infuſi corticis cum lacte eodem calido, ſe a dyſenteria liberauit, aliisque etiam tam puluere, quam infuſo aquoſo et tinctura ſpirituoſa praeſidio fuit.

II.

Pharm. BELA - AYE *Cortex.*

Nomen praefixum gerit arbor in Madagaſcar in montibus decem miliaribus a mare remotis. Cortex eius hactenus nonniſi obſeruationibus cl. SONNERAT, per cl. MAUDUYT euulgatis (in *Mém. de la Soc. R. de Medec. vol.* 3. *p.* 689.), in ea qua viuimus plaga innotuit. Neque proprio nec alieno auſo mihi ſuppetiit characteres eius proponere.

Indi corticem addunt potulento cuidam ex arundine ſaccharifera parato, Tok ab illis dicto.

Huius vero loci praeprimis eſt ob vim in alui profluuiis cognitam. Ipſe SONNERATUS in India eo infuſo capto deiectiones cruentas (flux-de-ſang), quibus laborauit, ſopiuit, item plures alios, qui per duos vel tres annos easdem ſuſtinuerunt. In hisce videtur malum haemorrhoidum potius cruentarum, quam dyſenteriae nomine inſigniendum eſſe.

Huius in puluerem redacti poſt praeuiam alui purgationem exhibentur grana viginti quatuor, mane in cyatho infuſi theae vel pauxillo vini, et totidem grana veſperi. Exactis diebus ſeptem aut octo, augenda doſis, eiusque grana triginta ſex mane modo danda, ad perfectam curationem vsque. Repetita Pariſiiis experimenta eodem ſucceſſu. Diarrhoeis diuturnis et contra alia rebellibus mederi ibidem pariter contigit.

12.

Pharm. CORTEX CHINAE vel CHINCHINAE REGIVS ſ. CORTEX CHINAE FLAVUS.

Hic cortex haud ita pridem ſub priori nomine Londino petitus. Patriam ignoro; ſed menſe Iunio a. 1790. quum Francofurti ad Moenum verſarer,

rer, ſpecimina vidi apud expertiſſimum pharmacopolam SALZWEDEL, cui et horum vnum debeo, dein quoque in pharmacopolio Wisbadenſi. Caro tum pretio adhuc vendebatur, et quidem ab aromatariis Francofurtenſibus, fratribus ETTLING libra vna thaleris ſedecim.

CORTEX hic conſtat fruſtis ſubplanis, digitum circiter longis, pollicem latis et lineam craſſis. Color ferrugineo flauus eſt. Extrinſecus magis ad ferrugineum inclinat, ex epidermide tenaciter cortici intexta, quam in ſuperficie interna. In fractura, quin et ſuperficie, fibrilloſus apparet. Diſcerpitur facile digitis, imo in puluerem conteritur flauum. Sapor intenſe amarus cum leuiori adſtrictione.

Francofurtani aliquot medici in intermittente febre ſuperiorem longe vi vulgo adhibitis corticibus repererunt.

Non dubito pro eodem illum habere, quem mihi nuperrime mittere placuit perill. L. B. AB ASCH ſub nomine *Corticis Chinae flaui;* qui tamen nonnihil ponderoſior et compactior mihi altero viſus eſt; facie tamen illum referens, nec amaritie illi cedens.

 Opus

Opus erit confuſionis vitandae cauſa in poſterum hunc corticem CHINAE *regium flauum* dicere, quum Amſtelodami cortex aliquis nomine corticis Chinae regii nuper venditus fuerit pretio florenorum quatuordecim pro libra vna, qui ex ſpeciminibus a me viſis in omnibus refert corticem Peruvianum rubrum, modo quod nonnihil pallidior rubro ſit. Retulerat de hoc cl. A THUESSINK (in litt. ad cel. BLUMENBACH d. 25. Aug. 1790.) Regium dici, quod vſui familiae Regiae Hiſpanicae deſtinatus ſit, et ſuperiorem longe vulgari cortice Chinchinae virtute eſſe, ex propriis experimentis. Ferrugineum potius colorem, quam flauum, gerit.

Meminerunt quidem corticis in regno Peruviano obuii, cuiusdam flaui DE LA CONDAMINE (*Mem. de l'ac. R. d. ſc. de Paris* 1738. *p.* 228.) et JOSEPHUS DE JUSSIEU (*Hiſt. de la Soc. R. de Medecine* 1779. *p.* 253.), et flaueſcentis (Yellowiſh ſ. Caſcarilla amarylla) ARROT (*Philoſ. Tranſact. vol.* 40. *p.* 81. *ſq.*). Sed ex deſcriptionibus eorum non eae enucleari notae poſſunt, quae in hunc quadrent.

13.

Pharm. CORTEX CHINAE vel CHINCHINAE SVRINAMENSIS.

Nomine *corticis Chinae noui* miſit cl. A THUESSINK Haga-comitum eius ſpecimen ad cel. BLUMENBACH, quod vna cum litteris (d. 25. Aug. 1790.) luſtrare mihi conceſſum. Ex colonia Belgarum Surinamenſi transfertur hic cortex. Specimen praeſens ſpithamam longitudine, digitum diametro, lineam dimidiam craſſitie aequat; fere tubuloſum eſt, veſtitum epidermide profundius et ſordide bruna, hinc inde cinerea, lineis prominulis longitudinalibus notata. Parenchyma pallidius brunum in feſtucas fragiles diſcerpi ſe patitur. Sapor eius intenſe amarus, vt in iis febribus intermittentibus conducere videatur, quae amaris potiſſimum cedunt. Aſt ſpecifici nihil ineſt, et vulgari cortice longe in hisce ſuperatur (A THUESSINK).

14.

Pharm. IUBABAE *Cortex.*

Fragmenta coram habeo, aliquot pollices longa, vel minora, *corticis* fragilis, pallide bruni, conuoluti et flexuoſi, item ſubinde ramoſi, vel per longitudinem diſſecti ex ramis, vt videtur, mox anguſtioribus, mox craſſioribus, e. c. diametri duarum linearum, deglubiti. Epidermide rugis longitudinalibus diſtincta, griſea, veſtitur, cui quae ſubiacet pars corticis profundius bruna eſt, quam parenchyma, quod albidum eſt. Ex India transvehi dicitur.

Comparari video (in SPIELM. *Pharm. generali, p.* 126.) quoad ſaporem odoremque cum Vanigliis. De odore, etſi debiliori, id largior, praecipue ſi manu incaleſcit; non de ſapore, qui mihi modo amaricans eſt.

Vis neruina iactata et ratio, cur Vanigliis ſubſtituta fuerit, aliis documentis (*l. c.*) comprobanda reſtat.

15.

Pharm. MASSOY *Cortex.*

Innotuit RUMPHII litteris a. 1680. ex Amboina exaratis (Vid. *Miſc. nat. curioſ. Dec.* 2. *ann.* 1. *Obſ.* 22. *p.* 55.). Prouenit in Noua Guinea, eiusque occidentali parte, quae Onim dicitur.

Tenuis eſt, fere planus, coloris cinnamomei obſcurioris, cortice (nonne epidermide?) griſeo ſtriato tectus, ſuaueolens, ſaporis dulcis, cui gratum Cinnamomi aroma immixtum. Atque haecce fere SPIELMANNI (*Pharm. gener. p.* 141.). Nam mihi non ſuppetunt; nec DALE (*Pharmacolog. p.* 378.), qui eam receperat, notas vllas in medium profert. Indi eo trito et in pultem cum aqua redacto inungunt corpus tempeſtate frigida et pluvioſa, quoniam calefacit, tormina ventris ſedat et gratum odorem ſpirat (RUMPH *l. c.*).

Deſtituuntur eo noſtrae officinae pharmaceuticae.

16.

Pharm. POCGEREBAE *Cortex.*

Exempla huius nuperrime (a. 1790.) mihi miſit L. B. AB ASCH. Hactenus enim modo pauculis iſtis, quae de eo tradiderant pauciſſimi de materia medica libri, mihi acquieſcendum fuit. Iam poſſideo fragmenta a diametro pennae anſerinae ad pollicarem craſſa, quorum craſſiſſima lineam aſſequuntur, convoluta, paſſim ramoſa, dura, ponderoſa, compacta, mox diſtorta, mox rectiora. Externe haec ſunt rugoſa, in quibusdam ſpeciminibus annulata, epidermide tenaciter affixa et profundius bruna, quam ſubſtratum parenchyma. Adſtrictionis et ſalſedinis ſubaluminoſae mitem ſenſum mihi in lingua excitat; in iunioribus ſpeciminibus amarorem leuem quoque animaduerti; nares vero nullo modo ferit.

A. 1758. (VOGEL *Mat. med. p.* 295.) notatum, ex America aliquot annos antea translatum fuiſſe, nullo ſapore inſtrui, aſt alui fluxus egregie ſiſtere, eoque fine Americanis acceptum exiſtere. Additur Pariſiis quoque vim in diarrhoeis, dyſenteriis et fluxu hepatico confirmatam, et tres vncias adulto ſufficere, et intra biduum morbum tolli.

Roſionum a vermibus crebra veſtigia, quae in ſpeciminibus deprehendi, praecipue craſſioribus, de neglectu huius corticis hodierno teſtantur.

III.

III. L I G N A.

17.

Pharm. Lignum ALOES ſ. AGALLOCHI VERI; CALAMBAC; ASPALATHI.

Iunctim propono haec ligna, etſi nondum omnino euictum, an eiusdem arboris progenies ſint. Aloexylum Agallochum vocat cl. LAUREIRO (*Flor. Cochinch. tom.* 1.) arborem, cui lignum Aloës et Calambac adſcribit, et ad plantas decandras refert. Excoecariae Agallochae L. lignum tamen genuino Agallocho tam prope venit, vt loco huius vendatur. Quin praeparatione a Sinenſibus refert Agallochum optimum, quod Calamba v. Calambac nomine inſignitur (RUMPH. *Herb. Amb. vol.* 2. *p.* 238., quod repetiit HOUTTUYN *natuurlyke Hiſtorie, vol.* 2. *P.* 3. *p.* 480.). Agallochum ſpurium vocat RUMPHIUS. Huic arbori Moluccanae inſulae praecipue patria ſunt. Quae ab aromatariis emuntur, vel inter cimelia collectionum rerum naturalium oſtenduntur, exempla, ſub diuerſis iſtis nominibus, differunt quidem ſubinde colore, duritie aliisque notis; ſaepe tamen eodem redeunt. Quae de vero Aloës et Calambaci ligno narrantur, non in

M 5 qua-

quauis arbore reperiri et, id quod in eo praecipuum eſt, reſinoſam materiem, odoris, poſt exſiccationem ligni, gratiſſimi, colligi in cauis internis, eroſione quaſi enatis (GARCIAS AB HORTO in CLUS. *exot. p.* 172. *ſq.* KÄMPF. *Amoen. exot. p.* 904.); haec et de Excoecariae ligno valent, quod Agallochum verum imitatur, adeo vt iſtud quoque ſuffimigiis inſeruiat. Odore arbor genuina initio deſtituitur, morboſa autem mutatione eundem adſciſcit, qua ipſa partes reſinoſae peculiaribus locis ſtagnant, et arbor ſenſim perit, ante quod tempus eam caedere, operae pretium non eſt (LAUREIRO).

Selectiſſimum itaque lignum Aloës dicitur *Calambac.* Rariſſime hoc ob inſignem valorem in Europam peruenit. Hinc inter pretioſiſſima munera, a rege Siamenſi Galliae Regi, LUDOVICO XIV. oblata, ligni Calambac portio numerabatur (SAVARY *Dict. vol.* 1. *p.* 93.). Auro ſuppar cenſetur vel duplo ſ. triplo argenti ponderis in China venditur (RUMPH. in *Miſc. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *p.* 74.). Memini, fragmento mihi a b. OTTONE A MUNCCHAUSEN olim muneri dato generoſiſſimum virum adſcripſiſſe, eſſe partem fruſti digitum longi, pro ducato aureo a ſe emti. Poſſideo maiora, minora, eius fragmenta,

in

in quae quadrant characteres optimo Calambac adſcripti. Praefertur nimirum nigricans, cinereis venis percurſum, plurima reſina praegnans (GARCIAS AB HORTO *l. c.*). Nodoſa varia ſpecimina offendo, vt inde videatur aſſertio KÄMPFERI firmamentum obtinere, circa nodos reſinam colligi. Praeſto eſt fruſtum, quod vna parte putredine quaſi excauatum cernitur, et in fouea reſina rubicundo bruna repletur. Optima nota praeſtantiae ligni eſt, quod igne accenſum multum humoris exſudet; falluntur, qui eam inde diiudicant, quod in aqua coniectum fundum petat, nam ſelectiſſimum aliquando natat. Quidam pretium quoque a magnitudine fruſtorum diiudicant. Aliud criterium hoc indicatur, quod vitro fortius affrictum, veſtigia reſinoſa relinquat, quae nec aqua, vel ſaliua, vel oleo expreſſo; nec lixiuio alcalino, ablui ſeſe patiuntur, ſed tantum ſpiritu vini (BERGIUS *Mat. med. p.* 904.). Sapor eius reſinoſo amaricans eſt, nec ipſam reſinam valde amaram inueni; a colore igitur, quo refert Aloën ſuccotrinam potius, quam a ſapore, nomen ligni Aloës petitum videtur. Venale lignum Aloës vel Agallochi vario gradu a dicto deflectit.

Nolo memet in antiquitates horum lignorum demittere, quum praeuideam, me in hac indagine ſubtili-

ſubtilitate GARCIAE AB HORTO victum iri, qui ipſe effata DIOSCORIDIS, PLINII, Arabum, inter ſeſe comparat et diiudicat.

In Malacca, Cambodia, regno Siamenſi et Sinenſi, aliisque Indiae locis reperiunda arbor eſt, ad cuius lignum quaerendum mercenarii ſyluas adeunt, vetuſtiſſimas arbores et carie foedas proſtratasque findunt, et ex hiſce fragmenta reſinoſa eximunt (Vid. RUMPH. *l. c. p.* 29. et KÄMPFER.).

Fateor, ex apparatu medicamentorum facile lignum Calambac omitti poſſe. Attamen in potu halitum oris corrigere, ſtomachum heparque roborare, dyſenteriam ſedare &c. quidam cenſent (PALUDANUS, nota ad LINSCHOTEN *Hiſt. de la navigation aux Indes orient. p.* 126.). Puluis quoque ad ſcrupulum captus in cholera prodeſſe referunt, item aſcarides puerorum necare (BONT. *Hiſtor. natural. et medic. p.* 43.). Ditiorum eſt, ſphaerulas pro precibus ad numerum recitandis inde effingere, vt ſubinde factum (CLUS. *exot. p.* 173.). Maximum autem huius ligni impendium eſt pro ſuffimigiis in terris orientalibus, quo ipſo vtuntur in ſacrificiis, aulisque (BONTIUS). Imo magnates Sinae et Japoniae vix vllum conuiuium celebrant, quin, vt magnifi-

magnificentiam affectent, hocce pretioſo ſuffimento multum aeris prodigant (KÄMPFER.). Eo etiam in feſtucas diſſecto et in acerram coniecto, aduenis appropinquant, honorem teſtificaturi et vires totius corporis reſtauraturi (DEMANET *Nouvelle Hiſtoire de l'Afrique Franc. tom. 2. p. 153. ſq.*). Turcae ſubinde Tabacum ſucturi eius feſtucam in caput fiſtulae immittunt (Ex litt. L. B. AB ASCH a. 1778.).

Lignum *Aſpalathi* diſtincte quaſi ab alia arbore a quibusdam, vt DALE, GEOFFROY, ALSTON, LINNÉ, proponitur. Deſcribitur a cl. DALE (*Pharmacolog. p.* 379.), quem et alii ſecuti ſunt, bituminoſum, Ligno Aloës laxius et craſſius, pallidius, ſaporis amaricantis, pinguis et reſinoſi, odoris debilioris. Vt diſcernatur a ligno Aloës, notat cl. BERGIUS (*M. m. p.* 905.), maioribus Aſpalathi Lignum fruſtis obtinere, odorem eius fragrantem non eſſe, fumum minime gratum ſpargere, ponderoſius eſſe magisque aequale, colorem obſcure fuſcum prae ſe ferre, nec vitro affrictum veſtigia relinquere. Viribus ſuppar habetur priori, modo debilius. Ex India orientali ad nos transfertur.

III.

III. GVMMI et RESINAE.

18.

Pharm. *Gummi* AMMONIACVM.

Dolendum, de medicina efficaci et vſitata tractationem carere iis momentis, quae medicaminis cuiusuis hiſtoriae baſis vera et fulcrum ſunt, nempe neque conſtare, ex quonam genere vel ſpecie hoc concrementum petatur; nec quomodo, vel ex qua parte eliciatur; nec quaenam, vera eius patria ſit.

Vmbellatae ſtirpi debere ſuam originem eatenus probabile eſt, quod illi intermiſta compareant ſaepe ſemina, Anethi ſemen referentia, aſt nonnihil illo maiora. Quodſi illud idem vere ſit, ac Ammoniacum veterum, cuius iam meminit HIPPOCRATES et DIOSCORIDES: in Africae ea parte naſcitur, quae Aegypto ad occaſum adiacet, et hodie regnum Barca nominatur, in quo delubrum iſtud inclytum Joui Ammoni ſacratum olim fuit. Per Turciam ad nos transfertur, item ex India orientali.

Occurrit vulgo magnis maſſis, duplicis coloris, dum in ſubſtantia flaueſcente grana lactei coloris (Amygdalos ſ. vngues varii illa dicunt) immerſa,

merſa, ſed cum altera vnita deprehenduntur. Vtraque pars opaca eſt, et vtriusque ſuperficies externa ex attactu aëris rufeſcere ſolet. Grauem fortemque odorem ſpirat, Galbano tamen gratiorem; ſaporem vero ſubdulcem et ſubamaricantem nauſeoſum edit. Calore digitorum molleſcit, iisque adhaeret. Frigore autem fragile. Funditur facile cochleari ferreo. Candelae admota ardet, ſpumeſcitque. Quo pluribus granis lacteis diſtinguitur, eo praeſtantius hoc gummi eſt. Hinc et haecce ſola ſi ſegregantur, vnde emergit id, quod Gummi amygdalodes dicitur, depuratione eius non opus eſt. Quam ipſam alias requirunt arenae, lapides, ſemina, aliaque heterogenea admixta.

Non verum gummi, ſed gummi-reſina eſt, quae plus gummoſarum, quam reſinoſarum partium continet. Quam amico connubio autem vtraeque iungantur, inde elucet, quod aeque libenter fere hae aquae ac ſpiritui vini auſcultent. Ita ex gummi ammoniaci vncia vna extracti reſinoſi primi drachmae ſex eruuntur; et ex eadem quantitate extracti gummoſi pr. drachmae ſex et ſcrupuli duo cum ſemiſſe (NEUM. *Chemie. vol. 2. P. 2. p. 387.*). Aqua ſi teritur, in emulſionis ſpeciem ſeu liquidum

lacteum

lacteum reſoluitur, quod tamen paullo poſt copiam reſinae in fundum vaſis demittit et clarum fit Spiritus vini ab hoc gummi tingitur colore rubicundo luteo. Soluitur et triturationis ope aceto, vino, cereuiſia. Nihil plane olei deſtillatione cum aqua erogat. Et exiguum modo odorae partis ab aqua excipitur.

Reſoluendi vi inſigni inſtruitur. Et haec quidem pituita pulmones grauante et tuſſim, raucedinem, reſpirationis difficultatem creante cognoſcitur, quibus ipſis in malis ſcreatus leuat. Ideo in peripneumonia notha opportunum eſt, Ita ſi ſputa in inflammationibus pectoris moram trahunt vel ſupprimuntur, pectus liberat. Quin ipſis phthiſicis opportunum, ſi puris eiectio non ſuccedit. Quando a ſtimulo nihil metuendum, elegans connubium eſt huius gummi cum Oxymelle ſcillitico addita aqua deſtillata et ſyrupo. Liquida forma in vniuerſum placet in pectoris affectionibus. Vereor, ne ill. CULLEN (*Treatiſe of the Mat. med. vol. 2. p. 369.*) iuſto timidior fuerit in adminiſtrando eo in ſcopum expectorantem, calidam eius naturam accuſans. Commode quoque in obſtructionibus viſcerum vſurpatur, in quibus forma pilularum

ſolum

ſolum, vel in miſcela aliorum efficacium, vt extracti Taraxaci, vel amari cuiusdam, ſaponis, antimonialis, &c. adhibetur, doſi ſcrupuli, vel maiori. Largius ſumtum aluum mouet.

Non minoris praeſtantiae eſt in tumoribus, qui emollientibus et reſoluentibus, cum leni ſtimulo iunctis, opus habent; id quod de tumoribus frigidis valet, nam in calidis non conducit. Varia ideo emplaſtra officinarum intrat. Quoniam vero haec magis compoſita ſunt, tanto manifeſtior eius vis elucet, dum modo gummi ammoniacum aceto ſolutum applicatur. Hocce gummi, aceto ſcillitico ſubactum, et in emplaſtrum denſatum, intra quatuor hebdomades fungum articuli in genu ſiniſtro, auctore CLOSSIO, diſſipauit (PLENK *Mat. chir. p.* 153.). Ita rigiditas manus poſt fracturam radii eodem diſparuit (SCHNEIDER in RICHT. *chir. Bibl. tom.* 6. *p.* 606.). Simili emplaſtro, ad quod vero ſolum acetum vini adhibitum, craſſius corio ſuperdato, et per duodecim dies vna ſerie relicto, dein pro ratione neceſſitatis repetito, cl. EVERS (*Bemerkungen und Erfahr. d. Wundarzn. p.* 112. *ſq.*) pluries fungum articularem ſ. hydropem genu curauit; quum demeretur emplaſtrum, ſemper copia lymphae exſudaſſe appa-

 ruit.

ruit. Ganglia et metaſtatici tumores variolarum aeque feliciter hacce medela diſſipantur (ID. *p.* 115.). Vnguento vero ex gummi hocce et aceto ſcillitico, ter de die inuncto, praemiſſo quauis vice ſuffimigio ex baccis Juniperi, tumor inſignis albus genu, ex cauſa arthritica enatus, binis exemplis euanuit (MICHAELIS in *Biblioth. cit. tom.* 6. *p.* 146. FIELIZ *l. c. tom.* 7. *p.* 778.). In commoda miſcela adeo hoc gummi ad diſcutiendos tumores cyſticos valet (GIRARD *Lupiologie.* RICHT. *chir. Bibl. tom.* 3. *p.* 449.).

Recentius emplaſtri ex hoc gummi et aceto vini beneficium in tinea capitis tollenda conſtitit. Quo fine vel ope corii craſſius illitum applicatur, vel calide ipſi capillitio illinitur, ſuperimpoſito dein corio, tandem mitra. Praeſcindi vel abradi autem prius debent capilli, et cruſta vnguento nutrito vel axungia porcina emolliri et auferri. Relinquitur emplaſtrum hoc per ſex vel octo hebdomades. Videtur hac ratione liquidum tenax in bulbulis capillorum et folliculis ſebaceis ſtagnans attenuari et ad exitum prouocari (V. de hoc cl. EVERS conſilium in *Gött. Anzeig.* 1790. *n.* 41.).

PRAEPA-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

GVMMI AMMONIACVM COLATVM *Ph. Lond. ed.* 1761. *p.* 23. Paratur ſoluendo gummi ammoniacum in aqua frigida et poſt colationem inſpiſſando. Sic exuitur vel purgatur quidem quisquiliis variis, ſed iacturam odorarum partium patitur. Hinc forſitan omiſit hoc praeparatum ed. a. 1788. Erit tamen, ni fallor, ex vſu, quando exaeſtuationis ex hoc gummi ſubſequuturae metus exſurgit.

LAC AMMONIACVM *Ph. Lond.* 1788. *p.* 107. Hodie ſolutio Gummi ammoniaci in ſimplici aqua deſtillata fit.

PILVLAE DE AMMONIACO *Ph. Würt. p.* 136. Nimis compoſitae; ob copiam Aloës, quae dimidium fere conſtituit, aloëticae potius dicendae, hinc calidae. Depraedicantur vi reſoluente et incidente.

EMPLASTRVM DE AMMONIACO *Ph. W. p.* 59. In tumoribus frigidis emolliendis et diſcutiendis omnino confert. In parotidibus poſt peripneumoniam diſſipandis e re fuit, hoc emplaſtrum, quinta parte veſicatorii mixtum, applicare, imponendo deſuper cataplaſma emolliens; hac ratione in paucis modo ſuppuratio orta (QUARIN *Method. medend. inflammat. p.* 92.).

EMPLASTRVM DIACHYLON COMPOSITVM *Ph. W. p.* 63. EMPL. DE CICVTA *l. c. p.* 60. EMPL. DE MELILOTO *l. c. p.* 67. EMPL. OXYCROCEVM *l. c. p.* 69. aliaque emplaſtra; item PILVLAE SCILLITICAE, SYRVPVS DE AMMONIACO, multaque alia compoſita pharmacopoliorum, praecipue Germanicorum, gummi noſtrum comprehendunt.

19.

Pharm. BDELLIVM v. *Gummi* BDELLIVM.

Si Bdellium DIOSCORIDIS (*M. m. lib.* 1. *cap.* 80.) et PLINII (*Hiſt. nat. lib.* 12. *cap.* 9.) idem cum eo, quod hodie in officinis ſeruatur, eſt, ex arbore prouenit. Id omne eſt, quod de origine ſcimus. Ex Arabia et India orientali petitur.

Maſſis transfertur ſolidis variae magnitudinis et figurae, fragilibus, fracturae ſuperficie aſpera, coloris profunde bruni, hinc inde pellucidis, feſtucarum ex ramulis, membranularum, aliarumque vegetabilium partium, inquinamento foedis; odoris haud ingrati, ſubfragrantis; ſaporis amari et leuiter pungentis, calidique. Emollitur calore digitorum, dentibusque ſub maſticatione adhaeret; flagrat admotum candelae, etſi aegrius, odore balſamico, ſimul-

mulque crepitat, et liquidam materiem ex ſuperficie exſudat, remanente carbone atro. Tentaminibus cum aqua vel ſpiritu vini factis, eluceſcit facile, eſſe gummi-reſinam, et gummi eius plurimam partem efficere. Nam aqua pro prima ſolutione adhibita, ſibi vindicat extracti $\frac{5}{6}$; ſpiritus vini vero extracti ſpirituoſi primi $\frac{1}{4}$ (ſaltim ad explorationem NEUMANNI *Chym. vol. 2. P. 2. p. 399.*). Solutio aquoſa colorem glaucum prae ſe fert, ſpirituoſa rubicundum. Deſtillatione aquam fragrantia ſua imbuit.

Vires eius ſolent ad Myrrham a multis exigi, cui tamen multum cedit aamaritie. Deſueuit vſus eius noſtra aetate, et vix vnquam ore hodie capitur, qua via tamen ſumtum olim inſtar deobſtruentis, becchici, diuretici, emmenagogi celebratum fuit. Externe ſubinde diſcutiendi et emolliendi ſcopo adhibetur. Memoriam eius ſeruant emplaſtra varia obuia, e. c. EMPL. DIAPHOR. MYNSICHTI, STICTICVM, OPODELDOCH, item VNGVENTVM APOSTOLORVM &c., quae quidem tantam farraginem continent, vt inde diiudicari Bdellii virtus nequeat.

20.

Pharm. CARANNA ſ. CARANNAE *Gummi.*

Tlahueliloca quahoitl (i. e. Arbor inſaniae Caragna vocata) HERNANDEZ *rer. med. nov. Hiſp. theſ. p.* 56. Gomme Garanna DES MARCHAIS *Voyage en Guinée et à Caranne, tom.* 3. *p.* 259. Palmae ſpecies ad aſſertionem auctoris proxime dicti.

Ex cortice eius vel ſponte, vel eodem vulnerato, gummi hocce prouenit. Transfertur ex noua Hiſpania aliisque regionibus Americes. Oſcitanter modo eius meminit MONARDES (in CLUS. *exot. p.* 298.), qui illud, vti HERNANDEZ, comparat cum Tacamahaca, ſed liquidiorem vocat, et paullo poſt adglutinantem naturam illi adſcribit. Quod forſitan a iuniori aetate dependet. Caranna in officinis noſtris obuia ſolida et fragilis eſt. Maſſis arte complanatis, variae figurae, reliquiis foliorum Iunci vel Arundinis hinc inde obtectis, ad nos peruenit, opacis, extrinſecus profundius brunis, interne pallidioribus, et quaſi variegatis. Facile frangitur, ſuperficie inaequali ſubnitente, vel digitis conteritur. Vidi tamen et ſpecimina compactiora, viridi nigra, quae ſola ſine dubio SPIELMANNUS (*M. m. p.* 312.) ante oculos habuit. Saporis reſinoſi debilis.

bilis. Accenditur flammae admota facile, et ardet odore balſamico. Inter dentes non emollitur, nec compingi ſe patitur, ſed arenoſam naturam mentitur; ſaliuam tamen tingit. Aqua tingitur eadem colore aureo, et extracti gummoſi pr. eruit circiter $\frac{3}{8}$. Similem colorem ſpiritus vini inde contrahit, qui extracti reſinoſi $\frac{3}{4}$ fere euoluit. Praeualet igitur reſina in eius miſcela. Accedit ad hasce partes oleum eſſentiale ſubtile, acre, aurantiaci coloris et fragrans, deſtillatione Carannae cum aqua euoluendum (GEOFFROY *Mat. med. Traité, tom.* 4. *p.* 35.). Item ſub inſpiſſatione tincturae ſpirituoſae exſurgit oleum in ſuperficiem aromaticum et modice amarum (LEWIS *M. m. p.* 179.).

Hodie exoleuit hoc gummi, quod olim externa applicatione ad tumores inueteratos ſoluendos, dolores tollendos, vulnera conſolidanda, defluxiones reuellendas efficax cenſebatur (MONARDES). Calore facile in emplaſtrum pro hisce ſcopis emollitur. Temporibus in patria applicatur ad odontalgiam tollendam (DES MARCHAIS *l. c.*). Sufficit quoque ad corrigendum aërem.

21.

Pharm. GALDA *Gummi.*

Aliena vnice luce hic vti cogor; nam gummi hoc ipſe non vidi, raroque exſtat in pharmacopoliis, et pauciſſimi auctores de materia medica illud commemorant. Certe vix hodie amplius a medicis praecipitur. Variant inſuper auctores in deſcriptione eius; etenim e. c. alius (BÜCHNER c. reſp. SEELMATTER *Diſſert. de Gummi reſinis Kikekunemalo, Look et Galda*, *p.* 18.) ſubgriſeum deſcribit, lacteſcens, friabile, lamelloſum, inodorum, ſaporis fortiter amari et acris; alius (SPIELM. *Pharm. gener. p.* 100.), extus nigricans, intus album, durum, odoris et ſaporis Elemi; adiungitur, inter dentes lenteſcere, ad flammam liquari, et ardens odorem haud ingratum ſpargere.

Nihil olei deſtillati erogat, ſed aqua pro deſtillatione adhibita valde debilem modo odorem et ſaporem balſamicum ſuſcipit (BÜCHNER *l. c.*). Etiam hoc gummi-reſina eſt, ſed praeualet reſina, nimirum gummi huius vncia vna extracti gummoſi grana quindecim, extracti autem reſinoſi drachmas

ſex

ſex ſuggerit. Amarities ſupra commemorata extracto etiam inhaeret, item acrimonia (*l. c.*).

Abhorreo a recenſu virtutum coniecturae tantum vagae ex hisce iudiciis ſuperſtructarum, in quo Diſſertatio academica citata prodiga eſt: ſcilicet prodeſſe in morbis variis, incidendo, humores depurando, leniter aluum ſubducendo, et lotium mouendo. Ex GERHARDI experientia (*l. c.*) proficit ad expectorationem puris in phthiſi ex inflammatione leuandam, et vlceris depurationem et conſolidationem, praecipue forma electuarii cum melle roſarum. Sed de eiusmodi conſiliis iam alibi iudicaui. Alius (SPIELM. (*l. c.*) vim roborandi illi adſcribit, qua de cauſa emplaſtra et vnguenta intrauit. Haud parum itaque iudicium de Galda variat.

22.

Pharm. KINO *Gummi* ſ. GVMMI ADSTRINGENS GAMBIENSE Fotherg. et Ph. Edinb. ſ. GVMMI GAMBIENSE Ph. Lond.

Arbor, quae hoc gummi fundit, in loco natali *Pau* (a Palo Luſitan.) de ſangue dicitur, et creſcit ad fluuium Gambia Africae. Quantum conſtat, prima gummi huius mentio fit a cl. MOOR (*Travels into the inland parts of Africa*, *ed.* 2. *p.* 113.). Eo teſte oculato ex cortice, poſt praeuiam inciſionem, copioſe guttatim promanat, moxque confluit et, adiuuante calore ſolari, in maſſam indureſcit. Perperam quidam pro ſanguine draconis puriſſimo illud habuerunt, et pari errore gummi Senegal verum reputatum eſt.

Ex tenebris ſuis a. 1757. illud protraxit meritiſſimus practicus JO. FOTHERGILL (*Med. Obſervations and Inquir. vol.* 1. *ed.* 4. *p.* 358.), eoque, deſcriptione, variisque hiſtoricis momentis in medium prolatis, apparatum medicum auxit; ipſe vero fatetur, medicum quendam Anglicum, OLDFIELD, narratione ſua de potentia eius in ſiſtendis alui profluuiis inueteratis ſe primum in eius fauorem incitaſſe.

taſſe. Iam in Anglia et Scotia probabile, non inſuetum in praxi medica eſſe, quum in vtriusque regionis Pharmacopoeam receptum, et in *Ph. Edinb. nouiſſ.* inſuper in formulis compareat. Rarius alibi praecipi videtur, etſi tantus eius commeatus contigerit, vt eo et germanicis officinis bene prouiſum fuerit. Ita *Pharmacopoea Würtenb.* ſerius (*Ed.* 1786. *p.* 126.) illud adoptauit. In nundinis autumnalibus Francofurt. a. 1790. libra vna florenis $4\frac{1}{3}$ venalis fuit.

Maſſas difformes conſtituit, duras, non pellucidas, quibus ſaepe folia arundinaceae ſtirpis adglutinata extrinſecus cernuntur, coloris ex rubro nigri, fracturae ſplendentis et ſaepe cellulofae. Fragile tantopere eſt, vt facile inter digitos conteri poſſit. In puluerem redactum manifeſtiorem rubedinem, ſed profundam, declarat. Maſticatum ſtridet primum, dein adhaeret dentibus, mox ſaliua ſoluitur, quam colore profunde rubro tingit. Sapor tum ſentitur valde adſtringens, ſubſequa dulcedine miti. Odore omnino caret. Flamma aegre accenditur, nec liquatur, ſed ignitur modo relictis tandem cineribus griſeis. Soluitur tam aqua, quam ſpiritu vini, et vtrumque menſtruum inde coloratur, ſpirituoſum

rituoſum tamen profundius, ita et hoc paullo plus ſoluit, quam aqua. Solutiones hae vitriolo martis mixtae mox intenſe nigreſcunt. Et hisce quidem notis facile a ſanguine draconis (Conf. *Appar. med. vol.* 5. *p.* 107.) diſcernitur, cui primo aſpectu ſimile eſt; nam ſanguis draconis non adſtringit linguam, nec aqua ſoluitur. A Catechu (Conf. *Appar. med. vol.* 2. *p.* 421.) quoque differt, quum hoc multum mucilaginis prodat, quod non in gummi Kino reperio.

Supra iam innui, iſtud obſtinatas chronicas diarrhoeas egregie compeſcere (OLDFIELD). JO. FOTHERGILL (*l. c.*), qui tum temporis non videtur illud in vſum traxiſſe, commendat in diarrhoeis habitualibus, fluore albo, fluxu menſtruo immodico, et in vniuerſum omnibus morbis a laxitate et acrimonia prouenientibus.

En documenta, quousque eius augurium euentui reſponderit. Recentius diarrhoeas et dyſenterias, praeuia neceſſaria euacuatione, eo compeſcere contigit cl. ANTONIO FOTHERGILL (*Mem. of the med. Society of London, vol.* 2. *p.* 106.). Ita eo leuamen quoque ſubinde manifeſtum attulit in profuſione nimia menſtruorum. Porro puer quatuordecim

annorum

annorum ab ineunte aetate incontinentia vrinae tentatus, ſolatium haud exiguum expertus eſt quotidiano vſu gummi huius, in electuarium cum ſyrupo e meconio redacti. Fruſtra vero in chronica dyſenteria, diabete, debilitate ſeminali, ſingularibus caſibus et contra alia quoque rebellibus tentatum eſt (*l. c. p.* 107.).

Sed ſigillatim de efficacia, quam iſte in ſiſtendis febribus intermittentibus de eo caſibus duodecim expertus eſt, iam dicendum eſt. Aemulari corticem peruuianum natura ſua aromatica et adſtringente exiſtimat, quam ſeriorem equidem in Kino non reperio. Quicquid ſit, in obſtinatis febribus intermittentibus varii typi, inque varia aetate medelam aliquando praeſtitit, cortice Peruuiano antea fruſtra ingeſto. Praemiſſo emetico, vel eo pro conditione varia omiſſo, pulueris eius ſcrupulus vnus, vel drachma dimidia, omni quadrihorio ſub apyrexia in infuſo quodam theaeformi datur, vel tincturae (ex Gummi Kino vnciis duabus et ſpiritus vini tenuioris libra vna per ſex dies digeſtis et colatis) vncia dimidia, ſiue drachmis ſex, omni trihorio vel quadrihorio. Fidem confirmat ingenua confeſſio, quod tribus aliis caſibus, a reliquis fortunatis

tis non diſcrepantibus, voto non ſatisfecerit, ſed corticem Peruuianum gloriam ſanationis deportaſſe (*l. c. p.* 106.).

In fluore albo pertinaci, non venereo, ex relaxatione locali tam magna, vt per interna remedia tolli nequeat, iniectiones ex gummi Kino, in aqua calcis ſoluto, conducunt; vel intrudere convenit ſpongiam hacce ſolutione madidam (THILEN. *med. und chir. Bemerk. p.* 148.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TINCTVRA E KINO *Ph. Edinb.* 1783. *p.* 112. Ex Gummi Kino vnciis duabus et ſpiritus vini tenuioris ſeſquilibra, per octo dies digeſtis et colatis.

PVLVIS STYPTICVS *l. c. p.* 203. Ex alumine et Gummi Kino.

ELECTVARIVM IAPONICVM vulgo CONFECTIO IAPONICA *l. c. p.* 206. Succo Catechu, aromatibus, Opio, Gummi Kino additur; deinque ſyrupus, formae cauſa.

23.

Pharm. KIKEKVNEMALO *Gummi.*

Ex America aduehi (BÜCHNERI et SEELMATTERI *Diſſert. de gummi-reſinis Kikekunemalo* &c. *p.* 9. *Pharm. Würt. p.* 125.) lego; ſed, ex quanam eius plaga vel regione, reticetur. Tanto minus arbor, quae illam fundit, nota eſt. Quid permouerit WEINMANNUM (*Phytanth. tab.* 295.), quod cuidam arbori, Cancemum ab illo dictae, quae pariter ignota eſt, adſcribit, adiungens, ex illo Kikekunemalo DIOSCORIDIS profluere, ignoro.

Moleſtum in hoc gummi, vt aliis rarioribus ignoti generis eſt, quod auctorum deſcriptio adeo variet, nec ſpecimina, quae ex variis fontibus coram habeo, cum eorum effatis bene congruant, licet mea tanquam genuina mihi tradita fuerint. Qui eius inter primos meminit, SCHENDO VAN DER BECK (in *Act. nat. curioſ. vol.* 1. 1727. *Append. p.* 120.), Gummi Copal album declarat, vnde colligitur, iſtum illi colorem album adſcribere. Ita et flauicans, ſemipellucidum, extus cruſta tenuiſſima nigricante obductum pronunciat SPIELMANNUS (*Pharm. general. p.* 127.). Melius cum ſpeciminibus meis conſpirat deſcriptio BÜCHNERI (*l. c.*), colorem habere

bere virideſcentem, magis opacum eſſe, quam pellucidum, aemulari aſpectu gummi Guaiaci; addit eſſe valde fragile. In meis hinc inde glebas exiguas, pellucidas, albas vel flaueſcentes, reliquae maſſae opacae immerſas, conſpicio; inquinata quoque ſunt feſtucis corticis vel ligni. Naribus offert odorem grauem et debilem balſamicum, carbonibus iniectum autem fortem non ingratum odorem. Inter dentes ſtridet, quaſi arenulae ineſſent, cuius veſtigia viſu in ſuperficie comparent, nec compingi ſe patitur. Lucida flamma candelae admota ardet, ſimulque liquatur, relicto, vbi conſumtum fuit, carbone griſeo. Saporem vix niſi reſinoſum cum leui acrimonia linguae imprimit.

Cum aqua deſtillatum hanc odore forti balſamico gratoque imbuit, cui oleum aethereum albicans, odoris vel ſaporis balſamici, et leniter acre innatat. Ex libra dimidia eius drachmae fere duae eliciuntur. Reſinoſae fere naturae totum eſt, ita vt ex vncia eius vna ſcrupulus modo vnus gummoſi extracti obtineatur. Aqua coctione eius fuſca euadit, amaricans, et ſaporis acriuſculi; item ſpiritus vini fuſcus euadit ſolutione, odoris ſaporisque balſamici, cum leuiuſcula acredine. Reſina inſpiſſata

eiusdem

eiusdem ſaporis et coloris albicantis eſt. Et haec quidem fide BÜCHNERI.

Vtinam aeque certa eſſent, quae inde concludit ad virtutem roborantem, neruinam, reſoluentem, diſcutientem, antiſpaſmodicam in variis morbis, quorum recenſus ex eius aſſertis petendi; qui et pro interno vſu vel eius puluerem, vel olei aetherei aliquot guttulas commendat. Ne vero deficiant vera experimenta, en exemplum tetani in virgine ex refrigerio contracti, qui per quatuor dies durauerat, ſed gutta vna olei deſtillati per bihoria data, poſt decimum praebium ſublatus eſt pediſſequo largo ſudore (GERHARD in *Diſſ. cit. p.* 13.); et aliud mali hyſterici, quod eiusdem olei ope, iuncto ſuffimigio vterino, ex hac reſina ceſſit (ID. *l. c.*).

Commendabile quoque eſt pro vernice alba, maxime nitida, et fere cryſtallina (VAN DER BECK *l. c.*).

24.

LOOK *Gummi.*

Hoc quoque ſic dictum gummi vix alio fine in officinis ſeruatur, quam vt materiae medicae ſtudio deditis praeſto ſit. De arbore, quae illud fundit, nihil conſtat. Quin ipſa patria mox Iaponia indicatur (BÜCHNERI et SEELMATTERI *Diſſ. de gummi-reſinis Kikekunemalo, Look et Galda, p.* 15.), mox Africa (SPIELMAN. *Pharm. gener. p.* 136. item *Pharm. Würt. p.* 126.). Refert primo intuitu ſuccinum. Eſt nempe durum, vt in ſuperficie nihil deradi vnguibus poſſit, pellucidum, in flauedinem inclinans, mox pallidiorem, mox profundiorem, fracturae ſuperficie ſplendida. Obtinet fruſtis multiformibus, ſubinde fere hemiſphaericis et ſuperficie conuexa, quaſi lima raſa fuiſſent. Equidem nullum ſaporem acrem, amaricantem, vel aromaticum in eo ſentio, quod tamen in diſſertatione Büchneriana aſſeritur. Debilem reſinoſum odorem ſpirat. Stridet comminuta inter dentes, nec mihi lenteſcere ſub maſticando viſum. Ardet illico, admotum candelae, flamma lucida, ſimulque ſpumeſcendo liquatur inter halitus non ingratos, absque cineribus relictis. Oleum deſtillatum erogat, ſed parca

parca quantitate, vt gummi libra dimidia ſcrupulum vnum modo eructet. Vncia eius vna continet extracti reſinoſi drachmas quinque; gummoſi autem modo grana quindecim (BÜCHNER *l. c. p.* 16.): hinc reſina iuſtius vocatur. Vtrique acrimonia adiudicatur.

Auctor diſſertationis allegatae ex hisce iudiciis hariolatur virtutem multiplicem in chronicis morbis, reſoluentem, aperientem, diſcutientem, depurantem, antiſpaſmodicam; omiſſis documentis ipſa experientia ſuffultis. Pluries iteratur, temporibus applicatum odontalgiam et capitis dolores ſanare.

25.

Pharm. MYRRHA ſ. *Gummi* MYRRHAE.

Ex quanam arbore petatur, etiamnum nos latet. Nec ſitim exſtinxit cl. BRUCE itinerario ſuo, quod vel hocce argumento magnam ſui exſpectationem excitauerat, quum botanica deſcriptione accurata arboris et figura omne de hac re diſſidium in futurum diremtum iri, ſpes ſumma obtinuerat. Verum repetiit modo iisdem verbis ſerius (*Travels to diſcover the ſource of the Nile,* 1790. *vol.* 5. *p.*27.), quae iam multos annos antea (1775. in *Phil. Tranſact. vol.* 65. *P.* 1. *p.* 408.) legenda dederat, et nomine Saſſa non delineauit (in *Travels*) arborem Myrrhae, ſed aliam, cuius gummi ad augendum pondus Myrrhae addi fraude ſolet; de qua infra pluribus. Huic cl. peregrinatori multa hiſtorica momenta de myrrha debemus. Eſſe ex genere Mimoſae, et quidem ſpecie, Acaciae verae propiori, ſuadent vnice folia, vtut mutilata, item cortex et ſpinae, quae in ſaccis, quibus includitur Myrrha, nonnunquam reperiuntur (BRUCE's *Travels, vol.* 5. *p.*27.). Alio igitur peregrinatori relictum eſt, hancce lacunam ſupplere. Ex Mimoſa eſſe, alii tamen prius ſubolfecerunt. DIOSCORIDES (*M. m. lib.* 1. *cap.*75.) iam ſimilem eſſe Aegyptiacae ſpinae edixit.

Σμυρνα

Σμυρνα DIOSCORIDIS, THEOPHRASTI, GALENI. Vox Myrrhae Arabicae originis eſt. Noſtra Myrrha cum iſta veterum eadem eſt. Et hodie ex iisdem regionibus petitur, ſcil. ex Arabiae felicis orientali littore, et ea Abyſſiniae regione prope mare rubrum ſita, quae Troglodytia appellatur (Conf. DIOSC. cum BRUCE in *Phil. Tranſ. cit.*). Prout olim ita et hodie Myrrha Troglodytica ſ. Abyſſinica Arabicae praefertur. Maxima prioris copia ex Maſſowa, inſula exigua Abyſſinica, transfertur; aſt in vniuerſum tam exigua quantitas ob commercium gentis huius cum aliis infrequens foras venit, vt plerumque Arabica, in Chinam miſſa, acquieſcere oporteat. Accedit, quod penuria eius ſenſim, ex vſu quotidiano ligni arboris huius pro foco et operibus ligniariis, metuenda ſit.

Integritas gummi huius ab aetate vigoreque arboris, item colligendi gummi modo, dependet. Vt optimum obtineatur, eligitur arbor iuuenis, muſcoſo, alioque aduentitiorum ſtirpium tegmine libera, et ſupra primos ramos craſſiores ſecuri vulnerant arborem mox poſt ceſſans tempus pluuioſum, et tres menſes poſt Myrrha exſtillat. Myrrha, quae primo anno per hoc vulnus effluit, eſt illa

illa primi prouentus, nec vnquam magna copia promanat. Succus, qui ſemel exundare aſſueuit, per hanc plagam ſponte fluere pergit quouis anno eodem tempore; ſed pluuiae tropicae tantum ſordium et aquae inſinuant plagae, vt ſecundo anno arbor putredinem eo loco concipiat, et integritate gummi inferius ſit priori, eiusdemque pretium tertia parte vilius ſit. Ita Myrrha ex vulneribus radici vicinis, et in truncis arborum vetuſtarum, ſecundi gradus eſt, et ſubinde peioris indolis. Haec vulgo in Italicis officinis venalis eſt, tanquam proba; coloris ex rubro nigricantis, ſordidi; ſolida et grauis, et mora pauxillum modo ponderis perdit, nec facile ab Arabica diſcernitur. Tertium et peſſimum genus eſt, quod colligitur ex vetuſtis plagis, olim grandaeuis arboribus inflictis, vel quod derelictum per totum annum adhaeſit arbori; eſtque nigrum et terrei coloris ponderoſum cum exiguo odore et amaritie. Indureſcit Myrrha illico, poſtquam profluxerit, aëris attactu, nec in fluido ſtatu remanet, etſi recentior facilius aqua ſoluitur (BRUCE *l. c. p.* 411.). Significat quoque DIOSCORIDES plures Myrrhae ſpecies, integritate et pretio diſcrepantes et numeroſiores dictis; ſed difficile eſt diſcrimen ad dicta referre.

Myrrha

Myrrha recens, nec diu ſeruata, odorem ſpirat fortem, mucidum, oleoſum, et in aquam proiecta globulos emittit oleoſos in ſuperficie. Hoc non tribuendum ipſi Myrrhae, ſed pellibus caprinis butyro oblitis, in quas ſub collectionem Myrrham indunt, et intra quas in nundinas eam transferunt. Ita volatiles partes Myrrhae recentis collectae ſeruantur, quae alias facile in iacturam ponderis, quidni et pretii, aufugerent (BRUCE *l. c. p.* 412.).

Commiſcetur ſaepe Myrrha gummi quodam vero, ponderis augendi cauſa. Ita in regione Troglodytica, vbi arbor myrrhaefera creſcit, alia arbor prodit, gummi cuiusdam ſaturate bruni ferax, Saſſa dicta, et depicta a cl. BRUCE (*Travels vol. cit.* duabus *figuris* ad *p.* 28.), quae Mimoſae ſpecies videtur. Valde probabile eſt, gummi hocce eſſe Opocalpaſum GALENI, quo ipſo commiſceri aliquando innuit Myrrham, licet venenatum pronunciet, quod quidem non veriſimile eſt. Proxime venit hoc ad naturam gummi Tragacanthae, nempe intumeſcit aqua, vnde et additamentum hac nota detegi poteſt (ID.). Miſcela eius quomodo facta fuerit, neque GALENUS, neque BRUCE exponit. Crediidiſſem eam ſemper ſolo additamento fruſtulorum fieri, niſi

niſi DIOSCORIDES notaſſet, Myrrham adulterari gummi macerato aqua, in qua Myrrha maduerit, ac permiſto. Haecce adulteratio aliam, quae in Belgio fit, in memoriam reuocat, nempe Myrrham gummi Ceraſorum commiſceri (FERBER *neue Beytr. zur Mineralgeſchichte, vol.* I. *p.* 366. *not.*). Iam intelligitur, vndenam aduenerint fruſtula iſta dura, ſplendentia gummi Arabicum referentia, ſapore et odore deſtituta, quae ſaepe intermixta reliquis verae Myrrhae, coloris profundioris, deprehendimus, et quae reiicere longe facilius eſt, quam ſi gummi verum impactum ipſi Myrrhae perpetuo eſſet. Bdellium additum pariter aliquando inter Myrrham conſpectum eſt (LEWIS *Mat. med. p.* 391.). Memorant et alia additamenta, ad quae lucri cupido anſam dedit (Vid. CARTHEUS.). Cauendum vero, ne imponat aetas arboris vel gummi diuerſa, de quibus diſſerui, vel pinguedo obuoluens.

Genuina myrrha conſtat ex glebis variae magnitudinis et figurae, ſubinde nuce iuglande maioribus ſaepius minoribus, vel multiformibus, vel ſtalactitis inſtar, ex condenſatis depluentibus guttis induratis, rubro brunis, ſubpellucidis, ſolidis, fragilibus, externa ſuperficie inaequalibus; fractura

ſubni-

ſubnitente. Specimina maiora interne ſubinde diſtinguuntur particulis albidis, quae vel maculas in fractura ſ. vngues, vel ſtrias ſemicirculares referunt. Sponte fragrantem gratumque odorem, ſaporem vero intenſe amarum, pungentem, cum aromatis nonnullis veſtigiis, edit. Maſticata dentibus ſenſim adhaeret, dein plurimam partem ſaliua ſoluitur, quae inde lacteſcit. Flammae admota, ſaltim in meis ſpeciminibus, difficulter ardet cum flamma fuliginoſa, ſtrepitu, et relicto carbone griſeo. Digeſtione calida cum aqua integre ſoluitur; ſed prout refrigeſcit liquida, pars reſinoſae materiae fundum petit. Solutio aquoſa colata profunde flauicat, ſed turbida eſt. Extractum inde inſpiſſatione paratum ſupra $\frac{7}{8}$ conſtituit, ſeruatque odorem ſaporemque Myrrhae (CARTHEUS. *l. c. p.* 36.). Spiritus vini tingitur Myrrha colore ex flauo rubicundo, dicto modo ſenſus feriens; inſpiſſatione tincturae redundat extracti vncia dimidia, vnde patet, gummoſas partes bene multas illi immixtas fuiſſe (*l. c. p.* 37.). Conferendo autem extractorum proportionem elucet, plus longe gummi, quam reſinae, Myrrhae ineſſe. Inſidet inſuper illi oleum aethereum; aqua enim, in qua deſtillatur, non ſolum aſcendit lacteſcens, ſed oleum ſecum vehit,

partim aquae innatans, partim fundum petens (HOFFMANN.); etenim ex optimae Myrrhae libra vna quidam olei drachmas duas (HOFFM. *Obſ. phyſ. ſel. p.* 20.), alius (NEUM. *Chymie, vol.* 2. *P.* 3. *p.* 381.) drachmas tres obtinuit. Alii pauciorem eius quantitatem modo elicuerunt, prout SPIELMANNUS (*Mat. med. p.* 221.), qui ex dicta quantitate aliquot modo guttas olei butyracei eruit, et cl. THIELBEIN (CRELL's *neueſte Entdeck. in der Chemie, P.* 11. *p.* 118.), qui vix grana quindecim olei aetherei, odoris Foeniculi, poſt aliquot hebdomades ſpiſſi, et rancidi, obtinuit. Oleo hocce ſeparato, odor omnis Myrrhae perit.

Myrrha efficax antiſepticum eſt, nam ſoluta in aqua ad minimum duodecies magis antiſepticum eſt, quam ſal marinum (PRINGLE *Obſ. on the Diſeaſ. of the army, p.* XII.), quin ſub alio experimento trigeſies (*l. c. p.* XVIII.). Integre ope aquae calcis ſoluitur, ſicque commode variis in caſibus aegris offertur.

Apud veteres potentia eius medica in magna exiſtimatione fuit, eique vires adſcripſerunt, quarum quaedam vel hodie apud multos medicos celebrantur. Attamen et noſtro tempore diuiſos eos

tenet

tenet iudicium. Nec diffitendum, calidam et acrem eius naturam cautionem iniungere, ſi ea forma ſumitur, qua omnes partes, quibus conflatur, iunctae exſtant, vel iuſto largius ingeritur. Ita ad drachmam dimidiam vel duos ſcrupulos ingeſta, ingratum caloris ſenſum in ventriculo ciet, pulſum celerem reddit, et calorem per totum corpus diſpergit (CULLEN *Treatiſe of the Mat. med. vol. 2. p.* 193.). In plethoricis igitur, cholericis, bilioſis, haemorrhagiae opportunis, grauidis, febrientibus, inflammatione praeſente, concedi nequit. Locum vero habet in flacciditate fibrarum, ſtimulo ſuo et reſoluente vi; tenaces humores attenuat, et obſtructiones reſecat. Quibusdam praeterea caſibus antiputredinoſa ſua virtute iuuat.

Modica eius quantitas cibi appetitum auget, et digeſtionem et aſſimilationem promouet. Tantum tribuit beneficae eius in primas vias virtuti CARTHEUSERUS (*l. c. p.* 43.), vt nullum agnoſcat Myrrha in hac re ſuperius remedium, laudemque exemplo hypochondriaci confirmat.

Pectoris affectionibus chronicis, vt tuſſi inueteratae, aſthmati, dicauit eam vetuſtas. Acceſſit ſerioribus temporibus fiducia quorundam in hectica,

a cau-

a cauſa pulmonali et exulcerationibus pulmonum; item in aliis. In diagnoſi horum morborum quum labi facile ſit, et gradus eorum varii, naturaque ipſius aegri diuerſa, non vni tramiti inſiſtere concedat: non mirum, de ſalubritate huius diſputari valdopere. Suaſu CARTHEUSERI (*l. c. pag.* 50. *ſq.*) vſus eſt Myrrha creberrime manducata vir quidam litteratus, ad phthiſin ex hereditate procliuis, et reſpiratione difficili, cum tuſſi mox ſicca mox ſalſa et mucoſa ſtipata, dein haemoptyſi correptus, et phthiſi proximus, eo ſucceſſu, vt hac ſola, in connubio probae diaetae, valetudinem recuperaret; quo in caſu et aliis ſimilibus, quibus hic medicus illam exhibuit, ob reſtauratum tonum partium ſolidarum, nominatim pulmonum, effectum ſuum exſerere viſa eſt. In Anglia pluribus medicis celebrati nominis accepta in tabificis morbis medela eſt. Diſplicet mihi connubium Myrrhae et ſpermatis ceti, diu in noſocomio Guy vſitatum (Vid. SAUNDERS in nota ad SIMMONS's *Pract. Obſerv. on the treatment of conſumtions, p.* 38.); nec mixturae Myrrhae cum nitro et vitriolo martis, vel ſimiles, Myrrham continentes, quibus indulſit cl. GRIFFITH (*Obſerv. on the cure of hectic and ſlow Fevers, and the pulmonary conſumption, Lond.* 1776.), quibus multi

in

in Anglia ſubſcribunt, cenſura ſua caruerunt (V. SAUNDERS *l. c.* PAULIZKY *medicin. pract. Beobacht. 2. Samml. p.* 111.). Placet tamen Myrrha cl. SAUNDERS ex ſaepiſſime repetita experientia, in hecticis febribus ex debilitate, in quibus pulſus debilis et celer, et aeger valde irritabilis eſt; cui tribui adiudicat hecticam puerperarum; item in aliis hecticis, quae virium proſtrationem comitem habent, et praeternaturalem calorem cutis absque violenta febris acceſſione; item in iis, quae ex apparente reſorptione puris vlcerum mali moris, amputatorum membrorum &c. exortae ſunt, in quibus ex vſu interno Myrrhae pus correctum fuit. Facile concipitur, quod ille, haemoptyſi incidente, vel ſub inflammatoria periodo pulmonalium morborum, concedi non potuerit, attamen ſuppuratione et periodo debilitatis iam praeſente conducere, iſte putat; in vera phthiſi autem rariſſime ſuccedere vidit, et in multis omittere Myrrham coactus fuit, et ad tutiora transgredi. Cl. REID (*Eſſay on the nature and cure of the Phthiſis pulmonalis, ed. 2. p.* 211.), qui aliquando Myrrham probo euentu in affectionibus pulmonum obtulit, negat tamen, in confirmata hectica leuamen vllum afferre, indeque potius ſymptomata augeri, prout in qualibet inflammatoria affectione;

condu-

conducere aliquando in hoc malo tonica ſua virtute, quam in primis viis exſerit; et in magna infirmitate et languore infuſum Myrrhae cum aqua calcis factum commendat. Multum extracto aquoſo ad drachmam vnam cum ſacchari albi vncia dimidia vel integra trito, in phthiſi pulmonali tam propria, quam aliorum, quibus praecepit, tribuit LÖSEKE (*Abhandl. der auserleſ. Arzneymittel, ed. 3. p.* 404.), licet peculiaria momenta non determinet. Et cl. FRITZE (*Mediz. Annalen, vol.* 1. *p.* 212.) eo tantum ſtadio illam exhibet, quo inflammatio pulmonum in ſuppurationem tranſiit, pulſu non celeri, abſente tuſſi et haemoptyſi, plerumque admixtam decocto lichenis Iſlandici. Negari enim nequit, gummoſum extractum minori gradu calefacere, quam Myrrham integram, vel eſſentiam; vt tamen memineris, nec iſtud deſtitui omnibus reſinoſis et oleoſis particulis. Excludere videtur ill. CULLEN (*l. c. p.* 194.) Myrrham omnino ab hectica et phthiſica febre, metuens calidam eius naturam, et profitetur, nunquam beneficium inde percepiſſe, ſaepe autem manifeſtum damnum.

Inter emmenagoga multorum conſenſu potiorem aliquem locum ſibi vindicat, ita vt ſub horum

capite

capite in libris, qui medicamenta ſecundum vires diſpertiunt, plerumque comprehendatur. In flacciditate fibrarum ſtimulo ſuo, et pituitoſa diatheſi vi ſua roborante aliquando in menſtruis ciendis valet. Vix vero potentiam aliquam peculiarem ad vterinas vias ſanguinem determinandi habet (Conf. CULLEN *l. c. p.* 193.). De vſu in lochiis idem ſentiendum eſt.

In febre alba SYDENHAMI ſ. chloroſi conducit ſaepe connubium eius cum martialibus et ſubinde Myrrha cum ſucceſſu vſurpatur doloribus acutis tenerarum foeminarum, vago interuallo redeuntibus; cuius cenſus ſunt cephalalgia, affectiones muſculorum, rheumatiſmos ſimulantes apud hyſtericas (SAUNDERS apud SIMMONS *l. c.*).

Vlcerum ſanationem adiuuat ſaepe egregie. Conſtitit id in aliquot empyicis poſt paracenteſin pectoris, eſſentia Myrrhae iniecta; item in ſuppuratione hepatis ex lapſu, eadem medicina adhibita (SCHLICHTING in *Act. nat. curioſ. vol.* 6. *p.* 115.). Vlcus ex bombardae exploſione in manu natum immorigerum valdeque foetens, dilutiori eſſentia applicata coaluit; virum autem correptum vlcere renis dextro cum lotio pus fundente, Myrrha vel maſticata,

maſticata, vel cum melle Roſarum in electuarium redacta, curauit (CARTHEUS. *l. c. p.* 49.). Inſpergitur etiam puluis eius vlceribus carioſis, putridis, quin gangraena affectis. Magni in hisce caſibus facienda eſt eius depurandi vlcus et putredinem refraenandi vis; nocet vero aliquando ſtimulo ſuo.

Pluribus exemplis iam ſignificaui, qua ratione tam interne quam externe adminiſtrari queat. Sed iunctim proponendi diuerſi eam adhibendi modi, quorum haud pauci intra praeparata locum habent. Simpliciſſima ratio haec eſt, quod ore teneatur, nec alia pars deglutiatur, quam quae ſaliua ſoluatur, reliquum ſolutioni reſiſtens exſpuatur. Sic, praeter indiſſolubilem terram, et reſinae bona pars, quae irritat et calefacit, ſegregatur. Eundem finem extracti aquoſi praeparatio habet, quod Myrrha longe mitius eſt. Pulueres, ſolutiones, pilulae, trochiſci ſub vario connubio, quod ſcopum promouet, parari poſſunt. Praeter ſolutionem Myrrhae in aqua calcis, placet quibusdam ſolutio in cereuiſia ſaturata (Vid. BERNHARD *chem. Erfahr. p.* 284. *ſq.*).

PRAEPARATA

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ESSENTIA MYRRHAE *Pharm. Würt. p.* 83. Ex Myrrha digeſta ſpiritu vini. Valde calida; hinc interno vſui non opportuna. Externi varia ſupra documenta adfuerunt, quae tamen cautionem ſuperfluam non reddunt. Ne ſpiritus irritet, e re eſt, eius ſupra dimidium antea euaporare. Confert roborando in vlceribus nimis ſuppurantibus, item in vulneribus partium neruoſarum et aponeuroticarum.

ESSENTIA MYRRHAE ALCALISATA *l. c. p.* 83. Praeter aquoſum et ſpirituoſum menſtruum et alcali adhibetur. Ob alcalini ſtimulum nonniſi in putridis lardoſisque vlceribus locum habet.

EXTRACTVM MYRRHAE AQVOSVM *Ph. W. p.* 93. Ibi paratur ope Liquoris nitri fixi; vnde et multum preſinae contineat, neceſſe eſt. Magis placet praeparatio *Ph. Brunſv. p.* 255., quae alcali omittit, hinc ea extractum a reſina magis liberatum exſtat.

ELAEOSACCHARVM MYRRHAE *Ph. Brunſv. p.* 213. Ex extracto dicto et ſaccharo.

OLEVM SEV LIQVOR MYRRHAE PER DELIQVIVM *Ph. W. p.* 126. Soluitur pars Myrrhae, illam ouo ad

ad duritiem coɛto et diſciſſo, poſtquam vitellus exemtus fuerit, immittendo. In putredinem valde procliue eſt; hinc ſeruari diu non poteſt. Fiſſuras labiorum et papillarum et oedematoſarum partium conſolidat, et vlcera abſtergit ſanatque. Cutem quoque ſplendidum reddit coſmetico vſu.

OLEVM MYRRHAE DESTILLATVM. A FR. HOFFMANNO *l. c. p.* 20. magni fit. Saccharo exceptum elaeoſaccharum praebet, ex eius iudicio balſamicum et peɛtorale, in commodo liquido contra chronica peɛtoris vitia, in tuſſi inueterata, aſthmate humido, eximium. Caſus ſine dubio et naturae diuerſae cautionem iniungunt.

TROCHISCI DE MYRRHA; ELIXIRIA PROPRIETATIS; ELIXIR APERITIVUM CLAUDERI; ELIXIR BALSAMICVM SPIRITVOSVM HOFFM.; ELIXIR PECTORALE WEDELII; FLORES SVLPHVRIS COMPOSITI; PILVLAE POLYCHRESTAE BALSAMICAE; PVLVIS DENTIFRICIVS; VNGVENTVM DIGESTIVUM; EMPLASTRVM DE BACCIS LAVRI et ſexcenta alia largae ſaepe compoſitionis *officin. Germ.* Myrrham recipiunt.

ELECTVARIVM PRO DENTIBVS EHRENREICHII in ROSENSTEINII *Hus- och Reſeapoteque, p.* 100. ℞ Pulv.

Myrrhae

Myrrhae ℥ij Coccinell. ℥ß Spirit. vin. rectif. ℔j Digeſtione F. Tinctura ſaturatiſſima; coletur. Huius tinct. ℥iij add. Oxym. e Crem. tart. ℔j Ol. deſtill. Cinnam. gtt. xx Caieput gtt. x. M. D. Incomparabile illud ROSENSTEINIUS vocat pro conſeruandis gingiuis; ſcil. pauxillum eius mane illis illinatur, et remaneat per tria ad quatuor minuta pr. vel ſpongia madida exceptum affricetur gingiuis et dentibus, dein abluendum aqua, cuius librae vni additum cochleare ſpiritus vini, et ſalis ammoniaci drachma dimidia. Hoc etiam halitum oris foetidum nonnihil corrigit, vt tamen vera eius cauſa negligenda non ſit.

26.

Pharm. OLAMPI *Gummi.*

Mihi ne aſpectu quidem cognitum eſt. *Pharmacopoea Würt. p.* 127. illud catalogo ſuo inſeruit, ex quo, quae de eo narrat VOGELIUS (*Mat. med. p.* 318.), exſcripta ſunt. Mihi non aliud iam ſuppetit negotium, dum SPIELMANNUM (*Pharm. gener. p.* 156.), qui plenius paullo de eo agit, ducem ſequor. "Proſtat, inquit, in fruſtis minoribus extus griſeis, intus ſplendidis, ſubdiaphanis, fuſcis; friabile eſt, tritu dentium non induſcit, inſipidum, inodorum, aqua non ſolubile, calore non liquendum; flammae admotum ardet, ſuauemque odorem reſinoſum ſpirat. Ex America aduehi fama eſt. Incongrue gummi arabico aequiparatur."

27.

Pharm. RESINA LVTEA NOVI BELGII.

Ita ſignifico ſuccum concretum luteum, in nouo Belgio maris auſtralis, et nominatim in Noua Wallia auſtrali (New South Wales) obuium, qui in expeditione inclyta Gubernatoris ARTHUR PHILLIP ad Botany-bay et portum Jackſon beneficum ſeſe exhibuit.

Fundit illum arbor humilis, foliis gramineis trunco ſuffultis, ex quorum centro ſcapus emergit ſimpliciſſimus pedum duodecim vel quatuordecim, ſpica terminali ouato oblonga. Deſcripta paucis hisce et depicta, reperitur ſub nomine *Yellow Gum-plant* in *Voyage of Governor* PHILLIP *to Botany bay* 1789. *p.* 60. cum *tab.* 3. et alia *tab.* 11., quae inſcribitur: *View of a Hut in new South Wales* (Conf. etiam JOHN WHITE'S *Journal of a Voyage to New South Wales* 1790. *Götting. Anzeigen* 1791. *n.* 6. *p.* 52.).

Ex ſcapis parant vulgo inquilini haſtas ſuas. Succus iſte ſub trunco ex terra effoditur, nec ex arbore ipſa colligitur, et coniectura fert, eundem eſſe, quem TASMAN vocat *Gum lac of the ground* (V. PHILLIP'S *Voyage.*).

 Reſi-

Reſinoſae naturae eſt, nam plane non aqua ſoluitur, et Gummi guttae primo aſpectu refert, ſed non inquinat. In dyſenteria efficaciam ſuam aduenis iſtis Anglis comprobauit, licet debiliori vi, quam alia reſina eius regionis, rubra, ſanguinem draconis mentiens (*l. c.*). Londini poſtea a cl. BLANE, medico Noſocomii St. Thomae, crebra cum ea in profluuiis aluinis pertinacibus experimenta capta ſunt; nec caruerunt ſucceſſu maxime conſpicuo (*Voyage cit. p.* 294.).

28.

Pharm. RACKASIRA *Balſamum.*

In cucurbitis ex India afferri traditur (SPIELM. *Pharm. gener. p.* 176.). Equidem modo poſſideo eius glebas planas. Eſt ſubpellucidum luteo brunum, frigore fragile, ſed calore modico emollitur; hinc inter digitos in placitas formas compingi poteſt, et dentibus maſticando adhaeret. Sapor debilis amarus. Solidum nullum odorem ſpirat; aſt emollitum, vel accenſum, grate balſamicum ad Tolutanum nonnihil accedens. Reſina merito habetur. — Sunt, qui coniiciunt, eſſe balſamum factitium, et forte paratum ad imitationem Balſami Commendatoris (RIEGER *Introductio in notit. rer. natural. tom.* 2. *p.* 87.).

Ex hodierna praxi medica nihil de eius virtutibus ſuppetit dicere. Eſt, qui illud Copaiuae balſamo praetulit, et vna alteraue doſi gonorrhoeam ſanare affirmauit (SCHENDO VAN DER BECK in *Act. nat. curioſ. vol.* I. *Append. p.* 123.) Quousque locus eiusmodi balſamicis in hocce effluuio ſit, alibi (Capp. de Terebinthina, balſamo Copaiuae) indicaui. Hoc vero balſamum vel nomine pauciſſimis medicis notum eſt.

29.

Pharm. SAGAPENVM ſ. SAGAPENI *Gummi.*

De ſtirpe huius gummi id modo nouimus, quod ad vmbellatas pertineat. Saltim ſemina, quae frequenter immixta cernuntur, et licet ſaepius confracta compareant, tamen hinc inde integra ſunt, id ſuadent. Nimirum ouata reperio, complanata, marginata, ſtriata, magnitudine fere ſeminis Heraclei Sphondylii. Ex Alexandria et Perſia transfertur.

Graecis notum fuit, et a DIOSCORIDE adſcriptum plantae ferulaceae.

Specimina, quae coram habeo, difformes maſſas repraeſentant, coagmentatas ex glebis multiplicis coloris, albidi, vel rubicundi, vel ſaturate viridis, et magnitudinis diuerſae, mox magis mox minus pellucidas, quibus feſtucae multae lignoſae vel fragmenta ſeminum, ſeu ſemina integra impacta ſunt. Vnde concludi poteſt, hasce particulas olim diſtinctas, dum gummi adhuc molle eſſet, accedente compreſſione qualicunque, in vnum corpus leuiori nexu coiuiſſe. Glebas iſtas mox duriores et fere fragiles, mox molliores inſtar cerae, inuenio.

inuenio. Lego et ſubinde obtinere fruſtulis minoribus diſtinctis, homogeneis, rubris. Et hoc quidem ſelectum et purius cenſendum. Hoc molleſcit calore, et durius euadit frigore. Bdellio adiecto Sagapenum aliquando corrumpitur.

Odor Sagapeni fortis, ingratus, alliaceus, illi, quem aſſa foetida ſpirat, non valde diſſimilis, ſapor eius non adeo tamen nauſeoſus eſt, ceterum amaricans, calorisque et acrimoniae ſenſu linguam vellicans. Ructus quoque alliaceos poſt ſe trahit. Sub maſticatione dentibus adhaeret, emolleſcit, albeſcit, deliqueſcit. Igne facile accenditur, ardetque flamma fuliginoſa, remanente carbone nigro. Etiam hoc ex reſina gummique commixtis conſtat. Reſina praeualet; nam ex Sagapeni vncia vna eliciuntur extracti reſinoſi primi drachmae quinque cum granis ſex; ex eadem quantitate autem extracti gummoſi primi drachmae modo duae cum ſcrupulis duobus et dimidio (NEUMAN. *Chymie, vol.* 2. *P.* 3. *p.* 33.). Vtrumque extractum et odore et ſapore debilius eſt ipſo Sagapeno. Deſtillatione cum aqua etiam oleum aethereum emittit. Lacteſcit aqua, qua ſoluitur.

Propius venit ad naturam Aſſae foetidae, et in virtutibus iſtius diiudicandis pariter tam ad odoras partes, quibus neruos afficit, quam ad reſolvendi potentiam. reſpiciendum eſt. Hodie rarius praecipitur, nec, ſi aliorum veſtigiis modo inſiſtas, documenta efficaciae, niſi ex mixtis, depromi poſſunt. Arabes inter purgantia referunt, id quod de largiori modo copia locum habet. Quidni vero illud reponamus inter antiſpaſmodica efficaciora, et ea, quae pituitam alicubi collectam, et obſtructa vaſa reſerant. Inter haec commemoranda ſeorſim eius menſtrua reſerandi facultas. Extrinſecus quoque emplaſtri forma tumoribus frigidis applicatur, et in iis, quae ſuppurationem deſiderant, maturationem adiuuat.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PILVLAE DEOBSTRVENTES CVM GVMMATIBVS *Ph. Brunſv. p.* 298. PILVLAE FOETIDAE *Ph. Würt. p.* 69. VNGVENTVM FVSCVM *l. c.* EMPLASTRVM MAGNETICVM *l. c.* &c. illud continent. Sed quis diiudicabit vires ſingulorum in tanta farragine?

V. FRVCTVS et SEMINA.

30.

Pharm. MYROBALANI BELLIRICAE.
CITRINAE.
CHEBVLAE.
INDICAE.

Numerum Myrobalanorum augent in materia medica *emblicae*, de quibus, vtpote fructu ſtirpis iam cognitae, alibi iuſta ſerie iam dictum eſt (V. *Appar. med. vol.* 4. *p.* 127.). De reliquarum ſpecie botanica nihil certi pronunciari poteſt, quin adhuc diſputatur, vtrum ex diuerſis arboribus petitae ſint, prout inter alios VESLINGIUS (in *Obſeruat. in* ALPINI *pl. aegypt. p.* 61.) cenſet, an potius ex eadem, prout JEREM. KERNER (apud HASSELQUIST, *Reſa, p.* 537.). ADANSON (*Familles des plantes, vol.* 2. *p.* 442.) ex arbore Malabarica, Pakel, colligi, ſed diſpari anni tempore, auctor eſt. Omnes hi fructus drupaceae naturae ſunt, qui quidem, prout nosmet eos exſiccatos ſeruamus, magis corrugati et angulati appareant, neceſſe eſt, quam recentes. In India orientali proueniunt.

Myro-

Myrobalanus Bellirica ſ. *Bellerica.* JAC. BREYN. *icon. et deſcr. rarior. plant. p.* 18. *tab.* 4. quae ramulum foliiferum cum fructu ſiſtit. Tani RHEED. *Hort. Malab. vol.* 4. *p.* 13. *tab.* 10. Aliis eſt Idon mulli RHEED. *Hort. Mal. vol.* 4. *tab.* 18.

Proſtat in officinis forma oblonga ſ. ſubrotunda, angulis quinque longitudinalibus, griſeo bruna, magnitudine fere oliuae.

Myrobalanus citrina. PLUCKEN. *Mant.* 132.

Maior priori, rugis rarioribus, angulis quinque prominulis. Coloris in citrinum inclinantis; figurae in meis ſpeciminibus pyriformis.

Myrobalanus chebula. VESLING. in ALPIN. *de pl. aegypt. p.* 61. *tab.* 62. Agihalid ALPIN. *de plant. aegypt. p.* 39.

Reliquarum maxima, ex tenui ceruice ouato oblonga, angulis longitudinalibus decem, quorum alterni prominentiores, atro bruna.

Myrobalanus Indica ſ. *Inda.* Panel *Hort. Malab. vol.* 2. *tab.* 9.

Myrobalanarum minima, longitudine circiter dimidii pollicis, atra, oblonga, quinque vel octo

angulis

angulis notata, rugoſa, apice acuta, baſi obtuſa, ſubſtantiae compactae. Deficit in hac nux, cuius in locum cauum longitudinale exiguum mediam partem occupat.

Medici Arabes primum inter medicamina Myrobalanos receperunt. Graecorum primus eſt ACTUARIUS, qui earum mentionem fecit. Atque hi mitiorum purgantium numero easdem adſcripſerunt. Hodie exoleuerunt fere omnino.

Sapor omnibus et ſingulis inſigniter auſterus et amaricans. In extractis praecipue auſteritas ſentitur. Ita et ſolutio vitrioli martis earum miſcela nigreſcit. Adſtringendi, vel ſi mauis, corroborandi vi itaque praeditae ſunt. Moueri iis aluum blande, praeterquam teſtimonia antiquorum, hodiernus vſus in Arabia et Aegypto, praecipue huius ſuperiori parte, edocet (HASSELQUIST'S *Reſa til heliga Landet, p.* 536.); imo in Vindobonenſi noſocomio practico (V. STOLLII *Rat. med.* e. c. *P.* 3. *p.* 264. 287. 338.) ſeriori tempore illae aliquando in hunc finem praeſcriptae ſunt. In puluere doſis drachmae dimidiae ad quatuor aſſignatur, in infuſo vel blandiori decocto largior ad duodecim drachmas vſque. Ad alui

profluuia

profluuia coërcenda et viſcera roboranda, hodie certioribus, et magis exploratis, vtimur.

Vix attinet, ſpretam hodie iure CONFECTIONEM ANACARDINAM commemorare, in quam intrarunt ſingulae quinque Myrobalani, vel CONFECTIONEM HAMECH ſimilis tenoris, quae cum multis aliis Myrobalanas citrinas receperunt.

31.

Pharm. AIAVAE *Semina.*

Nomen a Luſitanis illis inditum. Ex ora Malabarica transferuntur, vnde nauarchus quidam Anglus ante aliquot annos ea ſecum in Angliam ſumſit. De notis eorum per ſenſus cognoſcendis nihil mihi conſtitit. In India orientali celebrantur inſtar efficacis medicinae contra colicam. Et in ſimili morbo iſte, ex Goa in Angliam redux, cum amicis vicinisque ſuis colica detentis, illam communicauit, qui inde inſigne ſolatium experti ſunt. Ipſe ille nauarchus ſemina iſta ingeſſit in arthritide, quae flatus comites habuit (*windy gout*), in quibus pellendis inſigniter valent, eorumque auxilio ſomitem a ventriculo et capite remouit. Subinde ſimul vnam vel alteram alui deiectionem cient (V. PERCIVAL'S *Eſſays medical and experimental, vol. 2. p.* 226.). Sponte patet, non ſufficere dicta ad veram horum ſeminum naturam ſtabiliendam, ſed accedere debere nouum artis periti, et ad omnia momenta attenti, ſcrutinium.

DESIGNA-

DESIGNATIO STIRPIVM
ET PHARMACORVM
IN VOLVMINE SEXTO CONTENTORVM.

A. *Stirpes in praecedentibus voluminibus omiſſae, ſed genere et ſpecie cognitae, vt lege ordinum naturalium inſeri poſſint.*

	Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
18.b.	Gallae turcicae.	*Quercus Cerris.*	p. 1.
31.b.	Cynara.	*Cynara Scolymus.*	11
43.b.	Lactuca ſylueſtris.	*Lactuca viroſa.*	13
84.b.	Alypum.	*Globularia Alypum.*	17
142.b.	Paris.	*Paris quadrifolia.*	20
151.b.	Hypociſtis.	*Cytinus Hypociſtis.*	22
154.b.	Aparine.	*Galium Aparine.*	24
183.b.	Faba St. Ignatii.	*Ignatia amara.*	26
196.b.	Viola canina.	*Viola canina.*	31
196.c.	Viola tricolor.	*Viola tricolor.*	33
201.b.	Cortex Peruuianus ruber.	— —	44
201.c.	Chinchina Caribaea.	*Cinchona Caribaea.*	58
201.d.	Chinchina St. Luciae.	*Cinchona floribunda.*	61

	Nomen pharmaceuticum.	Nomen ſyſtematicum.	
201.e.	Chinchina de St. Fé.	— —	67
201.f.	Chinchina anguſtifolia.	*Cinchona anguſtifolia.*	70
214.b.	Rhododendron.	*Rhododendron Chryſanthum.*	72
310.b.	Aſtragalus exſcapus.	*Aſtragalus exſcapus.*	83
313.b.	Santali rubri Lignum.	*Pterocarpus ſantalinus.*	89
313.c.	Geoffroya Jamaicenſis.	*Geoffroya Jamaicenſis.*	93
313.d.	Geoffroya Surinamenſis.	*Geoffroya Surinamenſis.*	103
315.b.	Peruuianum Balſamum.	*Myroxylon peruiferum.*	111
316.b.	Balſamum Tolutanum.	*Toluifera balſamum.*	117
347.b.	Vitalba.	*Clematis Vitalba.*	120
374.b.	Padus.	*Prunus Padus.*	124
489.b.	Meſembryanthemum cryſtallinum.	*Meſembryanthemum cryſtallinum.*	128
430.b.	Tacamahaca.	*Fagara octandra.*	131
431.b.	Swietenia.	*Swietenia Mahagoni.*	132
483.b.	Nux moſchata ſ. myriſtica. Macis.	*Myriſtica aromatica.*	135

B. *Partes vegetabiles ignoti generis vel ſpeciei.*

I. *Radices.*

1. Calagualae, ſ. Calaguellae Radix. 149
2. Caſſumuniar, ſ. Caſumunar, ſ. Riſagon, ſ. Bengale Radix. — — 151
3. Chynlen Radix. — 153
4. Columbo, ſ. Calombae, ſ. Colombae &c. Radix. 154
5. Ikan Radix. — 163
6. Lopez, ſ. Lopeziana Radix. — 164
7. Mataliſta Radix. — 169
8. Timac Radix. — — 170

II. *Cortices.*

9. Angelinae Cortex. — — 171
10. Anguſturae Cortex. — — 172
11. Bela-Aye Cortex. — — 177
12. Cortex Chinae v. Chinchinae regius ſ. Cortex Chinae flauus. — 178
13. Cortex Chinae v. Chinchinae Surinamenſis. 181
14. Iubabae Cortex. — — 182
15. Maſſoy Cortex. — — 183
16. Pocgerebae Cortex. — 184

III. *Ligna.*

17. Lignum Aloës, ſ. Agallochi veri;
— Calambac;
— Aſpalathi. — 185

IV. *Gummi et Reſinae.*

18. Gummi Ammoniacum. — 190
19. Bdellium, ſ. Gummi Bdellium. — 196

20.

20. Caranna, ſ. Carannae Gummi. — 198
21. Gummi Galda. — — 200
22. Gummi Kino, ſ. Gummi adſtringens Gambienſe, ſ. Gummi Gambienſe. — 202
23. Kikekunemalo Gummi. — 207
24. Look Gummi. — — 210
25. Myrrha, ſ. Gummi Myrrhae. — 212
26. Olampi Gummi. — 228
27. Reſina lutea Noui Belgii. — 229
28. Rackaſira Balſamum. — 231
29. Sagapenum, ſ. Sagapeni Gummi. 232

V. *Fructus et Semina.*

30. Myrobalani Belliricae.
—— Citrinae.
—— Chebulae.
—— Indicae. — 235
31. Aiauae Semina. — — 239

FINIS VOLVMINIS SEXTI.

INDEX ALPHABETICVS

ſtirpium et medicaminum, praecedentibus ſex voluminibus comprehenſorum; nomina cum pharmaceutica, tum ſyſtematica exhibens.

Nomina ſyſtematica *typis obliquis* diſtinxi. Quae autem ex his aſteriſco notata cernuntur, ea in officinis pharmaceuticis quoque vſitata ſunt.

A.

Abelmoſchus, Vol.III. p.376.

Abies, I. 27.

Abrotanum foemina, I. 134.

—— mas, I. 116.

Abſynthium maritimum, I.128

—— —— ponticum, I. 124.

—— —— vulgare, I. 117.

Acacia noſtras, III. 234.

—— vera, II. 404.

Acanthus, II. 204.

Acanthus mollis, ibid.

Acetoſa, IV. 348.

Acetoſella, III. 492.

Achillea Ageratum, I. 170.

—— *foliis pinnatis* &c. I. 168.

—— *Millefolium*, I. 165.

—— *Ptarmica*, I. 169.

Acmella, I. 135.

Aconitum, III. 5.

Aconitum Anthora, III. 29.

—— *Napellus*, III. 5.

Acorus Calamus, V. 39.

Acorus paluſtris, V. 275.

—— verus, V. 39.

Adianthum aureum, V. 494.

Adianthum Capillus veneris, V. 475.

Aeſculus Hippocaſtauum, IV. 62.

Aethuſa Meum, I. 277.

Agallochi veri Lignum, VI. 185.

Agaricus albus, V. 573.

—— chirurgorum, V. 561.

**Agaricus muſcarius*, V. 555.

Agaricus quernus, V. 561.

Ageratum, I. 170.

Agnus caſtus, II. 195.

Agrimonia, III. 147.

Agrimonia Eupatoria, ib.

Aiauae

Aiauae ſemina, VI. 239.
Aiuga pyramidalis, II. 123.
Alcea roſea, III. 363.
Alchemilla, III. 149.
Alchemilla vulgaris, ibid.
Alkanna (Anchuſa), II. 100.
—— vera, II. 85.
Alkekengi, I. 463.
Alliaria, II. 317.
Allium, V. 122.
Allium Cepa, V. 137.
—— *Porrum*, V. 134.
—— *ſatiuum*, V. 122.
—— *Victorialis*, V. 135.
Alnus, I. 72.
Aloe, (*variae ſpecies*) V. 238.
Aloes Lignum, VI. 185.
Althea, III. 357.
Althea officinalis, ibid.
Ammi maius, I. 261.
Ammi verum, I. 260.
—— vulgare, I. 261.
Ammoniacum Gummi, VI. 190
Amomum, III. 316.
Amomum Cardamomum, V. 61.
—— *Granum paradiſi*, V. 67.
—— *Zingiber*, V. 52.
Amygdalae amarae, III. 256.
—— dulces, III. 250.
Amygdalus communis, III. 247
—— *Perſica*, III. 241.
Amyris Elemifera, IV. 28.
Amyris Opobalſamum, IV. 32.
**Anacardium occidentale*, IV. 413.
Anacardium orientale, II. 192.
Anagallis, II. 1.
Anagallis aruenſis, ibid.
Ananas, V. 186.
Anchuſa officinalis, II. 97.
—— *tinctoria*, II. 100.
Anemone Hepatica, III. 102.
—— *nemoroſa*, III. 91.
—— *pratenſis*, III. 93.
Anethum, I. 288.
Anethum Foeniculum, I. 289.
—— *graueolens*, I. 288.
Angelica Archangelica, I. 250.
Angelica ſatiua, ibid.
Angelica ſylueſtris, I. 254.
Angelinae cortex, VI. 171.
Anguſturae cortex, VI. 172.
Anime, II. 432.
Aniſi ſtellati cortex, III. 566.
Aniſum Sinenſe, III. 562.
—— ſtellatum, ibid.
—— vulgare, I. 298.
Anſerina, III. 135.
Anthemis Cotula, I. 151.
—— *nobilis*, I. 150.
—— *Pyrethrum*, I. 152.
Anthophylli, III. 337.
Anthora, III. 29.
Anthos, II. 171.
Antirrhinum Linaria, II. 183.
Aparine, VI. 24.

Apium,

Apium, I. 303.
Apium graueolens, ibid.
—— *Petroſelinum*, I. 301.
Aquatica nux, IV. 86
Aquifolium, IV. 10.
Aquilegia, III. 1.
Aquilegia vulgaris, ibid.
Arabicum Gummi, II. 404.
Arbor vitae, I. 31.
Arbutus Vua vrſi, II. 54.
Arctium Lappa, I. 83.
Areca Cathecu, II. 416.
Argentina, III. 135.
**Ariſtolochia anguicida*, I. 358.
Ariſtolochia clematitis, I. 356.
Ariſtolochia fabacea, II. 452.
**Ariſtolochia longa*, I. 351.
* —— *rotunda*, ibid.
—— *ſerpentaria*, I. 348.
Ariſtolochia tenuis, I. 356.
**Ariſtolochia trilobata*, I. 357.
Ariſtolochia vulgaris, I. 356.
Armoracia, II. 348.
Arnica, I. 157.
Arnica montana, ibid.
Arnica ſuedenſis, I. 156.
Artemiſia, I. 124.
Artemiſia Abrotanum, I. 116.
—— *Abſynthium*, I. 117.
—— *iudaica*, I. 113.
—— *maritima*, I. 128.
—— *pontica*, I. 124.
Artemiſia rupeſtris, I. 129.
—— *vulgaris*, I. 124.
Arthanita, II. 25.
Arum, V. 44.
Arum maculatum, ibid.
Aſarum, I. 359.
Aſarum europaeum, I. 359.
Aſclepias Vincetoxicum, I. 543
Aſpalathi lignum, VI. 185.
Aſparagus, V. 179.
Aſparagus officinalis, ibid.
Aſperula odorata, I. 374.
Aſphodelus, V. 140.
Aſphodelus ramoſus, ibid.
Aſplenium Ceterach, V. 480.
—— *Ruta muraria*, V. 482.
—— *Scolopendrium*, V. 478.
—— *Trichomanoides*, V. 481.
Aſſa dulcis, IV. 540. 658
—— foetida, I. 240.
**Aſtragalus exſcapus*, VI. 83.
—— *Tragacantha*, II. 380.
Athamanta cretenſis, I. 235.
—— *Oreoſelinum*, I. 236.
Atriplex hortenſis, IV. 329.
Atriplex olida, IV. 276.
—— ſatiua, IV, 329.
Atropa Belladonna, I. 430.
—— *Mandragora*, I. 441.
Auena, V. 383.

Auena ſatiua, V. 383.
Auicennia tomentoſa, II. 192.
Aurantium, III. 284.
Auricula muris, I. 111.
—— Iudae, V. 583.

B.

Baccae norlandicae, III. 153.
Badian, III. 562.
Balauſtium, III. 262.
Balſamita mas, I. 132.
Balſamum Braſilienſe, IV. 47.
—— Copaiuae, ibid.
—— Gileadenſe, IV. 32.
—— Meccanum, ibid.
—— Peruuianum, VI. 111
—— Rackaſira, VI. 231.
—— Tolutanum, VI. 117.
—— verum, IV. 32.
Balſamus Carpathicus, I. 14.
Barba hirci, I. 104.
Barbaraea, II. 318.
Bardana, I. 83.
Baſilicum, II. 155.
Bdellium, VI. 196.
Beccabunga, II. 208.
Bedeguar, III. 174.
Been nux, II. 402.
Behen album, I. 94.
—— rubrum, I. 176.
Bela-Aye cortex, VI, 177.
Belladonna, I. 430.
Bellis maior, I. 149.
Bellis minor, I. 153.
Bellis perennis, I. 153.
Bengale radix, VI. 151.
Benzoë, IV. 540. 658.
Berberis, IV. 79.
Berberis vulgaris, ibid.
Beta rubra, IV. 278.
Beta vulgaris, ibid.
Betonica, II. 158.
Betonica officinalis, ibid.
Betula, I. 69.
Betula alba, ibid.
—— *Alnus*, I. 72.
Bezetta coerulea, IV. 139.
Biſtorta, IV. 407.
Bixa Orellana, III. 392.
Boletus igniarius, V. 561.
—— *laricis*, V. 573.
—— *ſuaueolens*, V. 569.
Bombax, III. 367.
Bonus Henricus, IV. 267.
Borago, II. 95.
Borago officinalis, ibid.
Borſtorphiana poma, III. 177.
Botrys mexicana, IV. 273.
—— vulgaris, IV. 270.
Bouiſta, V. 584.
Branca vrſina, (perperam) I. 256.
—— vrſina, (vulgo) II. 204
Braſſica capitata alba et rubra, II. 329.
Braſſica Eruca, II. 337.
—— *Napus*, II. 336.

Braſſica

Braſſica oleracea, II. 329.
—— *rapa,* II. 334.
Britannica herba, IV. 343.
Bromelia Ananas, V. 186.
Brucea antidyſenterica, VI. 172
—— *ferruginea,* ibid.
Bruſcus, I. 341.
Bryonia, I. 419.
Bryonia alba, ibid.
Bubon Galbanum, I. 262.
—— *macedonicum,* ibid.
Bugloſſum, II. 99.
Bupleurum rotundifolium, I. 306.
Burſa paſtoris, II. 355.
Buxus, IV. 262.
Buxus ſemperuirens, ibid.

C.

Cacao, III. 378.
Cactus Opuntia, III. 342.
Caieput (oleum), III. 319.
Calagualae ſ. Calaguellae radix, VI. 149.
Calamintha, II. 130.
Calamus Rotang, V. 301.
Calamus vulgaris, V. 39.
Calcatrippa, III. 31.
Calcitrapa, I. 98.
Calendula, I. 174.
Calendula officinalis, ibid.
Calombae ſ. Calumbae Radix, VI. 154.
Cambogia Gutta, IV. 106.
Campechenſe lignum, II. 429.
Camphora, IV. 445.
Camphorata, IV. 333.
Camphoroſma Monſpelienſis, ibid.
**Canella alba,* IV. 566.
Canella malabarica, IV. 441.
Cannabis, IV. 608.
Cannabis ſatiua, ibid.
Caoutſchuc, IV. 167.
Capillus veneris, V. 475.
Capparis, II. 305.
Capparis ſpinoſa, ibid.
Capſicum annuum, I. 475.
Carannae Gummi, VI. 198.
Cardamine, II. 319.
Cardamine pratenſis, ibid.
Cardamomum, V. 61.
Cardiaca, II. 180.
Cardopatia, I. 88.
Carduus Mariae, I. 86.
Carduus marianus, ibid.
Carduus benedictus, I. 96.
—— tomentoſus, I. 87.
Carex arenaria, V. 310.
Caricae, IV. 578.
Carlina, I. 88.
Carlina acaulis, ibid.
Carpathicus Balſamus, I. 14.
Carpobalſamum, IV. 46.
Carthamus, I. 90.
Carthamus tinctorius, ibid.
Carum, I. 292.

Carum Carui, I. 292.
Caryophyllata, III. 122.
Caryophylli aromatici, III. 333.
Caryophylli rubri, III. 503.
Caryophyllus aromaticus, III. 333.
Caſcarillae cortex, IV. 128.
Caſſia, II. 395.
—— caryophyllata, III. 314.
Caſſia Fiſtula, II. 395.
Caſſia fiſtularis, ibid.
—— lignea, IV. 441.
Caſſia Senna, II. 388.
Caſſiae Flores, IV. 417.
Caſſumuniar ſ. Caſumunar, VI. 151.
Caſtanea, I. 52.
Cataputia maior, IV. 195.
—— minor, IV. 100.
Catechu, II. 415.
Centaurea benedicta, I. 96.
—— *Behen*, I. 94.
—— *Calcitrapa*, I. 98.
—— *Cyanus*, I. 93.
Centaurium minus, II. 18.
Centumnodia, IV. 412.
Cepa, V. 137.
Ceraſa nigra, III. 209.
—— rubra, III. 205.
Ceratonia ſiliqua, II. 434.
Cerefolium, I. 280.
Ceterach, V. 480.
Chacarillae cortex, IV. 128.
Chaerophyllum, I. 280.
Chaerophyllum ſylueſtre, I. 283.
Chamaedrys, II. 119.
Chamaeleon album, I. 88.
Chamaemelum nobile, I. 150.
—— —— vulgare, I. 143.
Chamaemorus, III. 156.
Chamaepitys, II. 121.
Chamomilla noſtras, I. 143.
—— romana, I. 150.
Cheiranthus Cheiri, II. 339.
Cheiri, ibid.
**Chelidonium maius*, II. 300.
Chelidonium minus, III. 90.
Chenopodium ambroſioides, IV. 273.
* —— *anthelminticum*, IV. 275.
—— *Bonus Henricus*, IV. 267.
—— *Botrys*, IV. 270.
—— *Vuluaria*, IV. 276.
China (Radix), I. 339.
China ſ. Chinchina (Cortex), I. 546.
Chinchina anguſtifolia, VI. 70.
—— Caribaea, VI. 58.
—— Jamaicenſis, VI. 58.
—— de Santa Fé, VI. 67.
—— St. Luciae, VI. 61.
—— rubra, VI. 44.
Chryſanthemum Leucanthemum, I. 149.

Chynlen

Chynlen Radix, VI. 153.
Cicer, II. 372.
Cicer arietinum, ibid.
Cichoreum, I. 100.
Cichoreum Endiuia, I. 102.
—— *Intybus*, I. 100.
Cicinum oleum, IV. 166.
Cicuta, I, 213.
—— aquatica, I. 271.
Cicuta viroſa, ibid.
Cicutaria, I. 283.
Cinae Semen, I. 113.
Cinamomum ſ. Cinnamomum, IV. 417.
Cinchona anguſtifolia, VI. 70.
—— *Caribaea*, VI. 58.
—— *floribunda*, VI. 61.
—— *officinalis*, I. 546.
Ciſſampelos Pareira, I. 344.
Ciſtus creticus, III. 514.
Citrullus, I. 401.
Citrus, III. 265.
Citrus Aurantium, III. 284.
—— *medica*, III. 265.
Clematis recta, III. 103.
—— *Vitalba*, VI. 120.
Coccognidium, IV. 634.
Cocculus Indus, I. 343.
Cochlearia, II. 341.
Cochlearia Armoracia, II. 348.
—— *offieinalis*, II. 341.
Cocos butyracea, V. 1.
Coffea, I. 386.
Coffea arabica, ibid.
Colchicum, V. 193.
Colchicum autumnale, ibid.
—— *illyricum?* V. 215.
Colocynthis, I. 407.
Colubrinum lignum, I. 485.
Columbo ſ. Colombae ſ. Columbae Radix, VI. 154.
Coneſſi (cortex), I. 541.
Conferua riuularis, V. 550.
Conium maculatum, I. 213.
Conſolida maior, II. 92.
—— media, II. 123.
—— regalis, III. 31.
Contrayerua, IV. 572.
Contra Semen, I. 113.
Conuallaria maialis, V. 260.
—— *Polygonatum*, V. 263.
Conuoluulus Ialappa, I. 502.
Conuoluulus maior albus, I. 510.
Conuoluulus Mechoacan, I. 507.
—— *Scammonia*, I. 494.
—— *ſepium*, I. 510.
—— *Soldanella*, I. 512.
—— *Turpethum*, I. 510.
Conyza coerulea, I. 173.
—— media, I. 156.
Copaifera officinalis, IV. 47.
Copaiuae balſamum, ibid.
Corallina Corſicana, V. 543.
Coral-

Corallina rubra, V. 543.
—— Melitocorton, ibid.
Cordia Myxa, II. 105.
Coriandrum, I. 278.
Coriandrum ſatiuum, ibid.
Cortex Angelinae, VI. 171.
—— Anguſturae, VI. 172.
—— Bela Aye, VI. 177.
—— Chinae flauus ſ. regius, VI. 178
—— Chinae Surinamenſis, VI. 181.
—— Chinchinae, vid. Chinchina.
—— Iubabae, VI. 182.
—— Lauola, III. 566.
—— Magellanicus, IV. 557.
—— Maſſoy, VI. 183.
—— Peruuianus, I. 546.
—— Peruv. ruber, VI. 44.
—— Pocgerebae, VI. 184.
—— Winteranus, IV. 557.
Corylus, I. 66.
Corylus Auellana, ibid.
Coſtus amarus, V. 80.
* *Coſtus arabicus*, ibid.
Coſtus dulcis, V. 80.
Cotula foetida, I. 151.
Crepitus lupi, V. 584.
Crocus, V. 220.
Crocus ſatiuus, ibid.
Croton Caſcarilla, IV. 128.
—— *lacciferum*, IV. 152.
Croton Tiglium, IV. 149.
—— *tinctorium*, IV. 139.
Cubebae, V. 37.
Cucumis, I. 405.
—— aſininus, I. 413.
Cucumis Colocynthis, I. 407.
—— *Melo*, I. 403.
—— *ſatiuus*, I. 405.
Cucurbita, I. 399. 401.
Cucurbita Citrullus, I. 401.
—— *lagenaria*, I. 399.
—— *Pepo*, I. 401.
Culilawan, IV. 524.
Cuminum Cyminum, I. 266.
Cupreſſus, I. 32.
Cupreſſus ſemperuirens, ibid.
* *Curcuma longa*, V. 73.
Curcuma rotunda, ibid.
Cuſcuta, I. 194.
Cuſcuta Epithymum, I. 195.
—— *europaea*, I. 194.
Cyanus, I. 93.
Cyclamen, II. 25.
Cyclamen europaeum, ibid.
Cydonia, III. 196.
Cyminum, I. 266.
Cynara, VI. 11.
Cynara Scolymus, ibid.
Cynogloſſa, II. 102.
Cynogloſſum officinale, ibid.
Cynomorium coccineum, I. 81.
Cynosbatos, III. 172.

Cyperus longus, V. 316.
**Cyperus rotundus*, V. 317.
Cytinus Hypociſtis, VI. 22.

D.

Dactyli, V. 6.
Daphne Gnidium, IV. 639.
—— *Laureola*, IV. 638.
—— *Mezereum*, IV. 628.
Datura Stramonium, I. 456.
Daucus Carota, I. 209.
Daucus creticus, I. 235.
—— ſatiuus, I. 209.
—— ſylueſtris, ibid.
Delphinium Conſolida, III. 31.
—— *Staphiſagria*, III. 32.
Dentaria, I. 513.
**Dictamnus albus*, III. 108.
Dictamnus creticus, II. 139.
Dianthus Caryophyllus, III. 503.
Dieruilla, I. 385.
Digitalis, I. 490.
Digitalis purpurea, ibid.
Dolichos pruriens, II. 358.
Doronicum, I. 162.
Doronicum Pardalianches, ib.
Dorſtenia Drakena, IV. 572.
—— *Houſtoni*, ibid.
Dracocephalum Moldauica, II. 157.
Draconis Sanguis, V. 301.
Droſera rotundifolia, III. 500.
Dulcamara, I. 423.

E.

Ebulus, IV. 22.
Elaterium, I. 415.
Elemi, IV. 28.
Eleuteriae Cortex, IV. 128.
Endiuia, I. 102.
Enula, I. 154.
Epidendrum Vanilla, V. 297.
Epithymum, I. 195.
Equiſetum, V. 483.
Equiſetum aruenſe, ibid.
Erigeron acre, I. 173.
Eruca, II. 337.
Eruum, II. 371.
Eruum Eruilia, ibid.
—— *Lens*, II. 369.
Eryngium, I. 206.
Eryngium campeſtre, ibid.
Eryſimum, II. 315.
Eryſimum Alliaria, II. 317.
—— *Barbaraea*, II. 318.
—— *officinale*, II. 315.
Eſula maior, IV. 105.
—— minor, IV. 103.
Eupatorium, I. 133.
Eupatorium cannabinum, ib.
Euphorbia antiquorum, IV. 89
—— *canarienſis*, ibid.
—— *Cypariſſias*, IV. 102
—— *Lathyris*, IV. 100.
—— *officinarum*. IV. 88.
—— *paluſtris*, IV. 105.

Euphorbii Gummi, IV. 88.
Euphraſia, II. 186.
Euphraſia officinalis, ibid.

F.

Faba, II. 368.
Faba craſſa, III. 348.
—— Pechurim ſ. Pecuris ſ. Pichurim, IV. 549.
—— St. Ignatii, VI. 26.
Fabaria, III. 348.
Fagara octandra, VI. 131.
Fagus, I. 53.
Fagus Caſtanea, I. 52.
—— *ſyluatica*, I. 53.
Farfara, I. 139.
Ferula Aſſa foetida, I. 240.
Ficus Carica, IV. 578.
Filipendula, III. 118.
Filix foemina, V. 472.
Filix mas, V. 453.
Flammula, III. 86.
—— Jouis, III. 103.
Foeniculum aquaticum, I. 267.
—— vulgare, I. 287.
Foenugraecum, II. 386.
Fragaria, III. 142.
Fragaria veſca, ibid.
Frangula, IV. 5.
Fraxinus, III. 535.
Fraxinus excelſior, ibid.
—— *Ornus*, III. 542.
Fraxinus rotundifolia, III. 542
Fucus Helmintochorton, V. 543.
—— *veſiculoſus*, V. 537.
Fumaria, II. 449.
Fumaria bulboſa, II. 452.
—— *officinalis*, II. 449.
Fungus melitenſis, I. 81.
—— roſaceus, III. 174.
—— ſalicis, V. 569.
—— ſambucinus, V. 583.

G.

Galanga maior, V. 69.
—— minor, ibid.
Galbanum, I. 262.
Galda gummi, VI. 200.
Galega, II. 283.
Galega officinalis, ibid.
Galium album, I. 373.
Galium Aparine, VI. 24.
Galium luteum, I. 371.
Galium Mollugo, I. 373.
—— *verum*, I. 371.
Gallae turcicae, VI. 1.
Gambienſe Gummi, VI. 202.
Gambogium, IV. 106. 654.
Garcinia Mangoſtana, III. 525
Genipi album, I. 129.
—— verum, I. 169.
Geniſta, II. 360.
Geniſta canarienſis, II. 363.
Gentiana alba, I. 247.

Gen-

Gentiana Centaurium, II. 18.
— — *lutea*, II. 11.
Gentiana rubra, ibid.
**Geoffroya Jamaicenſis*, VI. 93.
* — — *Surinamenſis*, VI. 103.
**Geranium moſchatum*, III. 396.
* — — *robertianum*, ibid.
**Geum riuale*, III. 132.
* — *vrbanum*, III. 122.
Ginſeng, I. 330.
Glecoma hederacea, II. 174.
Globularia Alypum, VI. 17.
Glycyrrhiza, II. 374. 379.
Glycyrrhiza echinata, II. 379.
— — — *glabra*, II. 374.
Gnaphalium, I. 112.
Gnaphalium arenarium, ibid.
— — *dioicum*, ibid.
Goſſypinm, III. 367.
Goſſypium herbaceum, ibid.
Gramen (Radix), V. 338.
Grana Paradiſi, V. 61.
Granatum, III. 262.
Gratiola, II. 197.
Gratiola officinalis, ibid.
Guaiacum, III. 399.
Guilandina Moringa, II. 400.
Gummi adſtringens, VI. 202.
— — Ammoniacum, VI. 190
— — Anime, II. 432.
Gummi arabicum, II. 404.
— — Bdellium, VI. 196.
— — Carannae, VI. 198.
— — ceraſorum, III. 210.
— — Euphorbii, IV. 88.
— — Galda, VI. 200.
— — Gambienſe, VI. 202.
— — Guttae, IV. 106. 654.
— — Kikekunemalo, VI. 207.
— — Kino, VI. 202.
— — Laccae, IV. 152.
— — Look, VI. 210.
— — Myrrhae, VI. 212.
— — Olampi, VI. 228.
— — Sagapeni, VI. 232.
— — Senegal, II. 414.
Guttaeſera vera, IV. 655.

H.

Haematoxylum campechianum II. 429.
Hedera arborea, I. 307.
Hedera Helix, ibid.
Hedera terreſtris, II. 174.
Heliotropii ſuccus, IV. 139.
Helleborus albus, V. 142.
**Helleborus foetidus*, III. 70.
* — — *niger*, III. 43.
* — — *viridis*, III. 68.
Helminthochorton, V. 543.
Hepatica nobilis, III. 102.
Heracleum Sphondylium, I. 256.
Herba britannica, IV. 343.
Her-

Hermodactylus, V. 215.
Herniaria, IV. 331.
Herniaria glabra, ibid.
Hibiſcus Abelmoſchus, III. 376.
Hieracium Piloſella, I. 111.
Hippocaſtanum, IV. 62.
Hirundinaria, I. 543.
Hiſpidula, I. 112.
Hordeum, V. 360.
Hordeum diſtichon, V. 360.
Hordeum vulgare, ibid.
Humulus Lupulus, IV. 621.
Hydrolapathum, IV. 343.
Hydropiper, IV. 409.
Hymenaea Courbaril, II. 432.
Hyoſcyamus, I. 444.
**Hyoſcyamus albus*, I. 455.
— — *niger*, I. 444.
Hypericum, III. 518.
Hypericum perforatum, ibid.
Hypociſtidis ſuccus, VI. 22.
Hyſſopus, II. 133.
Hyſſopus officinalis, ibid.

I.

Ialappa, I. 502.
Iaponica terra, II. 415.
Iaſminum, II. 31.
Iaſminum officinale, II. 31.
Iatropha Curcas, IV. 164.
—— *elaſtica?* IV. 167.
Ignatia amara, VI. 26.
Ignatii Faba, ibid.
Ikan Radix, VI. 163.
Ilex Aquifolium, IV. 10.
Illicium aniſatum, III. 562.
Imperatoria, I. 254.
Imperatoria Oſtruthium, I. 254
Inula dyſenterica, I. 156.
— *Helenium*, I. 154.
Ipecacuanha, I. 521.
**Iris Florentina*, V. 265.
— *Germanica*, V. 269.
Iris noſtras, ibid.
— paluſtris, V. 275.
Iris Pſeudacorus, ibid.
Islandicus Muſcus, V. 499.
Iubabae cortex, VI. 182.
Iuglans, I. 57.
Iuglans regia, ibid.
Iuiubae, IV. 7.
Iuniperus, I. 34.
Iuniperus communis, ibid.
—— *Lycia*, I. 39.
—— *Sabina*, I. 41.

K.

Kaieput oleum, III. 319.
Kikekunemalo Gummi, VI. 207.
Kino Gummi, VI. 202.

L.

Lacca, IV. 152.
Lactuca, I. 108.
Lactuca ſatiua, ibid.
Lactuca ſylueſtris, VI. 13.
Lactuca viroſa. ibid.

Ladanum,

Ladanum, III. 514.
******Lamium album*, II. 178.
Lapathum acutum, IV. 341.
Laſerpitium latifolium, I. 247.
—— *Siler*, I. 248.
Lauendula, II. 135.
Lauendula Spica, ibid.
—— *Stoechas*, II. 138.
Lauroceraſus, III. 213.
Laurus, IV. 528.
Laurus Benzoin, IV. 540.
—— *Camphora*, IV. 447.
—— *Cinnamomum*, IV. 417
—— *Culilawan*, IV. 524.
—— *nobilis*, IV. 528.
—— (Pechurim?), IV. 549.
—— *Saſſafras*, IV. 534.
Lawſonia inermis, II. 85.
Ledum paluſtre, II. 75.
Lemithochorton, V. 543.
Lens, II. 369.
Lentiſcus, I. 77.
Leontodon Taraxacum, I. 105
Leonurus Cardiaca, II. 180.
Lepidium ſatiuum, II. 352.
Leuiſticum, I. 249.
Lichen aphthoſus, V. 523.
* — *caninus*, V. 524.
Lichen cinereus terreſtris, ib.
Lichen cocciferus, V. 529.
* — *iſlandicus*, V. 499.
— *plicatus*, V. 536.
Lichen pulmonarius, V. 520.
* — *pyxidatus*, V. 529.
— *Roccella*, V. 533.
— *ſaxatilis*, V. 496.
Lignum Agallochi, VI. 185.
— Aloës, ibid.
— Aſpalathi, ibid.
— Calambac, ibid.
— Campechenſe, II. 429.
— Moluccenſe, IV. 149.
— nephriticum, II. 402.
— Pauanae, IV. 149.
— Rhodium, II. 369.
— ſanctum, III. 399.
— Santali rubri, VI. 89.
— Sappan, II. 429.
— Serpentum, I. 383.
Liguſticum Leuiſticum, I. 249.
Lilium album, V. 88.
Lilium candidum, ibid.
Lilium Conuallium, V. 260.
Linaria, II. 183.
Lingua auis, III. 535.
—— ceruina, V. 478.
Linnaea, I. 397.
Linnaea borealis, ibid.
Linum, III. 474.
**Linum catharticum*, III. 490.
—— *vſitatiſſimum*, III. 474.
Liquidambar, I. 67.
Liquidambar ſtyraciflua, ib.
Lithoſpermum, II. 98.

Lithoſpermum officinale, II. 98
Lobelia, I. 514.
Lobelia ſyphilitica, ibid.
Lonicera Dieruilla, I. 385.
—— *Periclimenum*, I. 384
Look Gummi, VI. 210.
Lopez Radix, VI. 164.
Luiula, III. 492.
Lupinus, II. 356.
Lupinus albus, ibid.
Lupulus, IV. 621.
Lycoperdon Bouiſta, V. 584.
Lycopodium, V. 486.
Lycopodium clauatum, ibid.
—— *Selago*, V. 492.
Lyſimachia Nummularia, II. 9
Lyſimachia purpurea, III. 510.
Lythrum Salicaria, ibid.

M.

Macis, VI. 135.
Magellanicus Cortex, IV. 557.
Mahagoni, VI. 132.
Maiorana, II. 142.
Malabathrum, IV. 441.
Malua arborea, III. 363.
Malua ſylueſtris, III. 364.
Malua vulgaris, ibid.
Mandragora, I. 441.
Mangoſtana, III. 525.
Manna, III. 542.
Maranta Galanga, V. 69.
Marrubium album, II. 160.
Marrubium vulgare, II. 160.
Marum verum, II. 107.
Maſſoy Cortex, VI. 183.
Maſtix, I. 77.
Mataliſta Radix, VI. 169.
Matricaria, I. 148.
Matricaria Chamomilla, I. 143.
—— *Parthenium*, I. 148.
Matriſylua, I. 374.
Mecca Balſamum, IV. 32.
Mechoacanna, I. 507.
Melaleuca Leucadendron, III. 319.
Melilotus, II. 384.
Meliſſa Calamintha, II. 130.
Meliſſa canarienſis, II. 157.
— citrina, II. 127.
Meliſſa officinalis, ibid.
Meliſſa turcica, II. 157.
Meliſſophyllum, II. 131.
Melitis Meliſſophyllum, ibid.
Melo, I. 403.
Meniſpermum Cocculus, I. 343.
* *Mentha criſpa*, II. 146.
* — *piperita*, II. 150.
—— *Pulegium*, II. 153.
* — *ſylueſtris*, II. 152.
Menyanthes trifoliata, II. 27.
Mercurialis, IV. 222.
Mercurialis annua, ibid.
* *Meſembryanthemum cryſtallinum*, VI. 128.

Meſpili,

Meſpili, III. 200.
Meſpilus germanica, III. 200.
Meu ſ. Meum athamanticum, I. 277.
Mezereum, IV. 628.
Milium, V. 430.
— ſolis, II. 98.
Millefolium, I. 165.
Mimoſa Cate, II. 415.
—— *nilotica*, II. 404.
—— *Senegal*, II. 414.
Moluccenſe Lignum, IV. 149.
Momordica Elaterium, I. 413.
Morſus diaboli, I. 179.
Morus, IV. 596.
Morus nigra, ibid.
Moſchata nux, VI. 135.
Moxa Japonica, I. 126.
Mungos, I. 375.
Muſcus arboreus, V. 536.
— caninus, V. 525.
— clauatus, V. 486.
— cranii humani, V. 496.
— cumatilis, V. 523.
— erectus, V. 492.
— iſlandicus, V. 499.
— pyxidatus, V. 529.
Myrica Gale, I. 73.
Myriſtica aromatica, VI. 135.
Myriſtica nux, ibid.
Myrobalanus bellirica, VI. 233
——— chebula, ibid.
Myrobalanus citrina, VI. 233.
——— emblica, IV. 127.
——— indica, VI. 233.
Myroxylon peruiferum, VI. 111.
Myrrha, VI. 212.
Myrtillus, II. 73.
Myrtus, III. 312.
— brabantica, I. 73.
Myrtus caryophyllata, III. 314
—— *communis*, III. 312.
—— *Pimenta*, III. 316.

N.

Napellus, III. 5.
Naphae flores, III. 284.
Napus, II. 336.
Nardus, V. 445.
Naſturtium aquaticum, II. 309
—— hortenſe, II. 352.
—— indicum, IV. 77.
Nepeta, II. 156.
Nepeta Cataria, ibid.
Nephriticum lignum, II. 402.
Nerium antidyſentericum, I. 541.
Nicotiana, I. 464.
Nicotiana Tabacum, ibid.
Nigella, III. 35.
Nigella ſatiua, ibid.
Ninſi, I. 258.
Norlandicae baccae, III. 153.
Nummularia, II. 9.

Nux aquatica, IV. 86.
— barbadenſis, IV. 164.
— Been, II. 402.
— catartica americana, IV. 164.
— moſchata ſ. myriſtica, VI. 125.
— vomica, I. 477.
**Nymphaea alba*, III. 532.

O.

Ocimum Baſilicum, II. 155.
Olea europaea, II. 33.
Olampi Gummi, VI. 228.
Olibanum, I. 39.
Oliuae, II. 33.
Ononis, II. 365.
Ononis aruenſis, ibid.
Onopordon Acanthium, I. 87.
Ophiorrhiza Mungos, I. 375.
Ophioxylum ſerpentinum, I. 383.
Opium, II. 219.
Opobalſamum, IV. 32.
Opopanax, I. 286.
Opuntia, III. 342.
Orchis bifolia rel., V. 292.
Orchis maſcula rel., V. 278.
—— *Morio*, ibid.
Oreoſelinum, I. 236.
**Origanum creticum*, II. 140.
—— *Dictamnus*, II. 139.
—— *Maiorana*, II. 143.
* —— *vulgare*, II. 141.
Orleana terra, III. 392.
Oryza, V. 433.
Oryza ſatiua, ibid.
Oxalis Acetoſella, III. 492.
Oxycoccos, II. 72.
Oxylapathum, IV. 341.

P.

Padus, VI. 124.
Paeonia, III. 37.
Paeonia officinalis, III. 37.
Palma Chriſti, IV. 195.
Palmae Oleum, V. 1.
Panax quinquefolium, I. 330.
Panicum Italicum, V. 430.
—— *miliaceum*, V. 430.
Papauer album, II. 215.
—— erraticum, II. 212.
—— nigrum, II. 215.
**Papauer Rhoeas*, II. 212.
—— *ſomniferum*, II. 215.
Paralyſis, II. 22.
Pareira braua, I. 344.
Parietaria, IV. 570.
Parietaria officinalis, ibid.
Paris, VI. 20.
Paris quadrifolia, ibid.
Parthenium, I. 148.
Paſſulae maiores, I. 312.
—— minores, ibid.
Paſtinaca, I. 284.
Paſtinaca Opopanax, I. 286.

Paſtinaca ſatiua, I. 284.
Pauanae Lignum, IV. 149.
Pechurim Cortex, IV. 554.
—— Faba, IV. 549.
Pecuris, vid. Pechurim.
Penaea mucronata, I. 198.
Perfoliata, I. 306.
Perſica, III. 241.
Perſicaria vrens, IV. 409.
Peruuianus Cortex, I. 546.
—— —— ruber, VI. 44.
Pes Cati, I. 112.
Petaſites, I. 138.
Petroſelinum macedonicum, I. 262.
—— vulgare, I. 301.
Peucedanum, I. 238.
Peucedanum officinale, Ibid.
Peziza Auricula, V. 583.
Phellandrium aquaticum, I. 267.
Phoenix dactylifera, V. 6.
Phu, I. 186.
Phyllanthus Emblica, IV. 127.
Phyſalis Alkekengi, I. 463.
Phytolacca, IV. 335.
Phytolacca decandra, ibid.
Pichurim, vid. Pechurim.
Piloſella, I. 111.
Pimenta, III. 316.
Pimpinella alba, I. 294.
Pimpinella Aniſum, I. 298.
Pimpinella italica (Herba), I. 188.
— — — (Radix), I. 190
Pimpinella magna, I. 296.
Pimpinella nigra, ibid.
Pimpinella ſaxifraga, I. 294.
Pinea, I. 13.
Pinus, I. 1.
Pinus Abies, I. 27.
— *Cembra*, I. 14.
— *Larix*, I. 16.
— *Picea*, I. 26.
— *Pinea*, I. 13.
— *ſylueſtris*, I. 1.
Piper album, V. 22.
Piper Cubeba, V. 37.
Piper iamaicenſe, III. 316.
— indicum, I. 475.
**Piper longum*, V. 35.
* — *nigrum*, V. 22.
Piſtacia, I. 74.
Piſtacia Lentiſcus, I. 77.
—— *Terebinthus*, I. 75.
—— *vera*, I. 74.
Plantago latifolia, I. 190.
Plantago maior, I. 190.
—— *Pſyllium*, I. 193.
Plumbago europaea, I. 513.
Polium creticum, II. 112.
— montanum, ibid.
**Polygala amara*, II. 445.
—— *Senega*, II. 436.

*Polygala vulgaris, II. 444.
Polygonum auiculare, IV. 412
— — Biſtorta, IV. 407.
— — Hydropiper, IV. 409
Polypodium, V. 449.
Polypodium Filix mas, V. 453.
— — vulgare, V. 449.
Polytrychum commune, V. 494
Poma, III. 177.
Populus, I. 47.
Populus balſamifera, I. 50.
— — nigra, I. 47.
Porrum, V. 134.
Portulaca, III. 354.
Portulaca oleracea, ibid.
Potentilla Anſerina, III. 135.
— — reptans, III. 138.
Poterium Sanguiſorba, I. 188.
*Primula veris, II. 22.
Profluuii Cortex, I. 541.
Pruna, III. 227.
Prunella, II. 181.
Prunella vulgaris, ibid.
Prunus auium, III. 209.
— Ceraſus, III. 205.
— domeſtica, III. 227.
— Lauroceraſus, III. 213.
— Padus, VI. 124.
— ſpinoſa, III. 234.
Pſyllium, I. 193.
Ptarmica, I. 169.
Pteris aquilina, V. 472.
Pterocarpus ſantalinus, VI. 89
Pulegium, II. 153.
Pulmonaria arborea, V. 520.
— — maculata, II. 97.
Pulmonaria officinalis, ibid.
Pulſatilla nigricans. III. 93.
Punica Granatum, III. 262.
Pyrethrum, I. 152.
Pyrola, II. 79.
Pyrola rotundifolia, ibid.
Pyrus Cydonia, III. 196.
— Malus, III. 177.

Q.

Quaſſia, III. 432.
Quaſſia amara, ibid.
— — Simaruba, III. 457.
Quercus, I. 61.
Quercus Cerris, VI. 1.
Quercus marina, V. 537.
Quercus Robur, I. 61.
— — Suber, I. 64.

R.

Rackaſira Balſamum, VI. 231.
Radicula, II. 321.
Ranunculus albus, III. 91.
Ranunculus acris, III. 75.
* — — bulboſus, III. 88.
— — Ficaria, III. 90.
— — Flammula, III. 86
Ranunculus paluſtris, III. 82.

Ranun-

Ranunculus pratenſis, III. 75.
Ranunculus ſceleratus, III. 82.
Rapa, II. 324.
Raphanus hortenſis, II. 321.
-- -- niger, ibid.
-- -- ruſticanus, II. 348.
Raphanus ſatiuus, II. 321.
Reſina elaſtica, IV. 167.
Reſina lutea noui Belgii, VI. 229.
Rhabarbarum monachorum, IV. 346.
-- — ſibiricum, IV. 356.
— — verum, IV. 362.
**Rhamnus catarticus*, IV. 1.
— — *Frangula*, IV. 5.
-- — *Zizyphus*, IV. 7.
Rhaponticum, IV. 353.
Rheum, vid. Rhabarbarum.
Rheum palmatum, IV. 362.
— *Rhaponticum*, IV. 353.
— *vndulatum*, IV. 356.
Rhodia, III. 353.
Rhodiola roſea, ibid.
Rhodium lignum, II. 363.
Rhododendron, VI. 72.
Rhododendron Chryſanthum, ibid.
Rhoeas, II. 212.
Rhus coriaria, IV. 25.
**Ribes nigrum*, III. 307.
* — *rubrum*, III. 304.
Ricinus communis, IV. 195.
Ricinus maior, IV. 164.
Ricinus vulgaris, IV. 195.
Riſagon, VI. 151.
Roccella, V. 533.
Rorella, III. 500.
Roſa alba, III. 175.
— *canina*, III. 172.
— *centifolia*, III. 157.
Roſae damaſcenae, ibid.
—— rubrae, III. 166.
Roſa gallica, ibid.
Roſa ſylueſtris, III. 172.
Roſmarinus hortenſis, II. 171.
Roſmarinus officinalis, ibid.
Roſmarinus ſylueſtris, II. 75.
Ros ſolis, III. 500.
**Rubia tinctorum*, I. 363.
Rubus arcticus, III. 153.
— *Chamaemorus*, III. 156.
* — *idaeus*, III. 151.
Rumex Acetoſa, IV. 348.
— *acutus*, IV. 341.
— *alpinus*, IV. 346.
— *aquaticus*, IV. 343.
— *criſpus*, IV. 341.
Ruſcus, I. 341.
Ruſcus aculeatus, *ibid.*
— *Hypogloſſum*, I. 342.
Ruta, III. 112.
Ruta graueolens, ibid.
Ruta muraria, V. 482.

S.

Sabadillae, ſ. Sabadilli ſemen, V. 166.

Sabina, I. 41.
Saccharum, V. 390.
Saccharum officinarum, V. 390.
Sagapenum, VI. 232.
Sagu, V. 13.
Sagus RUMPHII, ibid.
Salab, ſ. Salap, ſ. Saleb, V. 278.
Salix, I. 44.
Salix alba, ibid.
Salſola ſatiua rel., IV. 282.
Saluia, II. 164.
Saluia officinalis, ibid.
— *Sclarea*, II. 170.
Sambucus, IV. 13.
Sambucus Ebulus, IV. 22.
—— *nigra*, IV. 13.
Sandaracha, I. 34.
Sanguis Draconis, V. 301.
Sanguiſorba officinalis, I. 190.
Sanicula, I. 207.
Sanicula europaea, ibid.
Santalum album, II. 87.
—— citrinum, ibid.
—— rubrum, VI. 89.
Santolina, I. 134.
Santolina Chamae-Cypariſſus ibid.
Santonicum, I. 113.
Saponaria, III. 505.
Saponaria officinalis, ibid.
Sappan lignum, II. 429.
Sarcocolla, I. 198.
Sarſaparilla, I. 334.
Sarſaparilla germanica, V. 310
Saſſafras, IV. 534.
Satureia, II. 145.
Satureia hortenſis, ibid.
Satyrium, V. 292.
Saxifraga alba, III. 355.
Saxifraga granulata, ibid.
Saxifraga rubra, III. 118.
Scabioſa, I. 177.
Scabioſa aruenſis, ibid.
—— *ſucciſa*, I. 179.
Scammonium, I. 494.
Scandix Cerefolium, I. 280.
Scilla, V. 91.
Scilla maritima, ibid.
Schoenanthus, V. 443.
Sclarea, II. 170.
Scolopendrium, V. 478.
Scordium, II. 114.
Scorzonera, I. 103.
Scorzonera humilis, ibid.
**Scrophularia aquatica*, II. 190.
— —— *nodoſa*, II. 188
Scrophularia vulgaris, ibid.
Scutellaria galericulata, II. 182
Sebeſten, II. 105.
Secale, V. 343.
Secale cereale, ibid.
Sedum acre, III. 344.
Sedum maius, III. 350.
Sedum minus, III. 344.

Sedum

Sedum Telephium, III. 348.
Semperuiuum maius, III. 350
Semperuiuum tectorum, ibid.
Senecio, I. 172.
Senecio vulgaris, ibid.
Senega, ſ. Seneka, II. 436.
Senna, II. 388.
Serpentaria virginiana, I. 348.
Serpentum Lignum, I. 383.
—— Radix, I. 375.
Serpyllum, II. 126.
Seſamum, I. 493.
Seſamum orientale, ibid.
Seſeli, I. 248.
Seſeli creticum, I. 213.
— maſſilienſe, I. 283.
Seſeli tortuoſum, ibid.
Sigillum Salomonis, V. 263.
Siler montanum, I. 248.
Siliqua dulcis, II. 434.
— hirſuta, II. 358.
Simaruba, III. 457.
Sinapi nigrum, II. 323.
Sinapis nigra, ibid.
Siſon Ammi, I. 260.
Siſymbrium Naſturtium, II. 309.
— — *Sophia*, II. 313.
Sium Ninſi, I. 258.
Smilax China, I. 339.
— *Sarſaparilla*, I. 334.
Soda, IV. 282.
Solanum, I. 427.
Solanum Dulcamara, I. 423.
—— *nigrum*, I. 427.
Soldanella, I. 512.
Solidago Virgaurea, I. 170.
Sonchus, I. 110.
Sonchus oleraceus, ibid.
Sophia chirurgorum, II. 313.
**Sorbus aucuparia*, III. 203.
Spartium ſcoparium, II. 360.
Spica celtica, I. 187.
— indica, V. 445.
Spigelia, I. 378.
Spigelia Anthelmia, ibid.
**Spigelia marilandica*, I. 380.
Spilanthus Acmella, I. 135.
Spina ceruina, IV. I.
Spinacia, IV. 327.
Spinacia oleracea, ibid.
Spiraea Filipendula, III. 118.
—— *Vlmaria*, III. 120.
Squilla, V. 91.
Squinanthus, V. 443.
Staphiſagria, III. 32.
Statice Limonium, I. 176.
Stoechas arabica, II. 138.
—— citrina, I. 112.
Storax, II. 80.
— liquida, I. 67.
Strammonium, I. 456.
Styrax, vid. Storax.
Styrax Benzoin, IV. 659.

Styrax officinale, II. 80.
Suber, I. 64.
Succus Acaciae verae, II. 404.
Sumach, IV. 25.
Swietenia, VI. 132.
Swietenia Mahagoni, ibid.
Symphitum, II. 92.
Symphitum officinale, ibid.

T.

Tabacum, I. 464.
Tacamahaca, I. 50. VI. 131.
Tamarindi, II. 425.
Tamarindus Indica, ibid.
Tamariſci Cortex &c., II. 90.
Tamarix gallica, ibid.
Tanacetum, I. 130.
Tanacetum Balſamita, I. 132.
— — *vulgare*, I. 130.
Taraxacum, I. 105.
Telephium, III. 348.
Terebinthina communis, I. 26.
— — cypria, I. 75.
— — veneta, I. 16.
Terra Catechu, II. 415.
— iaponica, ibid.
Tertianaria, II. 182.
Teucrium capitatum, II. 113.
— — *creticum*, II. 112.
— — *Chamaedrys*, II. 119
— — *Chamaepitys*, II. 122
— — *Marum*, II. 107.
Teucrium montanum, II. 113.
— — *Polium*, II. 112.
— — *Scordium*, II. 114.
Thalictrum, III. 107.
Thalictrum flauum, ibid.
Thea Bohe, IV. 225.
Thea Bohea, ibid.
**Thea viridis*, IV. 226.
Theobroma Cacao, III. 378.
Thlaſpi, II. 354.
Thlaſpi aruenſe, ibid.
— *Burſa paſtoris*, II. 355.
Thus, I. 39.
Thuya occidentalis, I. 31.
Thymelaea, IV. 639.
Thymus, II. 124.
Thymus Serpyllum, II. 126.
—— *vulgaris*, II. 124.
Tigli, ſ. Tiglia grana, IV. 149.
Tilia, III. 527.
Tilia europaea, ibid.
Tilli grana, IV. 149.
Toluifera balſamum, VI. 117.
Tolutanum balſamum, ibid.
Tordylium officinale, I. 213.
Tormentilla, III. 140.
Tormentilla erecta, ibid.
Tragacanthae gummi, II. 380.
Tragopegon, I. 104.
Tragopogon pratenſe, ibid.
Trapa natans, IV. 86.
Tribulus aquaticus, ibid.

Tricho-

Trichomanes, V. 481.
Trifolium fibrinum, II. 27.
Trifolium Melilotus officinalis II. 384.
Trifolium paludoſum, II. 27.
Trigonella Foenum graecum, II. 386.
Triticum, V. 319.
Triticum aeſtiuum, ibid.
—— *hybernum*, ibid.
—— *repens*, V. 338.
Tropaeolum maius, IV. 77.
Tnnica, III. 503.
Turpethum, I. 510.
Tuſſilago, I. 139.
Tuſſilago Farfara, ibid.
—— *Petaſites*, I. 138.

V.

Vaccinium Myrtillus, II. 73.
— — *Oxycoccos*, II. 72.
— — *Vitis idaea*, II. 69.
Valeriana celtica, I. 187.
Valeriana maior, I. 186.
— — minor, I. 180.
Valeriana officinalis, ibid.
— — *Phu*, I. 186.
Vanilla, V. 297.
Veratrum album, V. 142.
— — *nigrum*, ibid.
Veratrum? (Sabadilla), V. 166
Verbaſcum (Folia), I. 487.
— — (Radix), I. 489.
Verbaſcum nigrum, ibid.
— — *Thapſus*, I. 487.
Verbena, II. 209.
Verbena officinalis, ibid.
Veronica, II. 205.
Veronica Beccabunga, II. 208
— — *officinalis*, II. 205.
Vicia Faba, II. 368.
Victorialis longa, V. 135.
Vinca minor, I. 540.
Vinca Peruinca, ibid.
Vincetoxicum, I. 543.
Vinum, I. 310.
Viola, I. 517.
* *Viola canina*, VI. 31.
— *Ipecacuanha*, I. 521.
— *odorata*, I. 517.
Violaria, ibid.
* *Viola tricolor*, VI. 31.
Virga aurea, I. 170.
Viſcum. I. 199.
Viſcum album, ibid.
Vitae arbor, I. 31.
Vitex Agnus caſtus, II. 195.
Vitis idaea, II. 69.
Vitis vinifera, I. 310.
Vlmaria, III. 120.
Vlmus, IV. 601.
Vlmus campeſtris, ibid.
Vrtica, IV. 587.
Vrtica dioica, ibid.
—— *pilulifera*, IV. 595.

Vrtica romana, IV. 595.
Vrtica vrens, IV. 594.
Vſnea, V. 496.
Vuae, I. 310.
Vua vrſi, II. 54.
Vuluaria, IV. 276.
Vuularia, I. 342,

W.

Wintera aromatica, IV. 557.
Winteranus Cortex, ibid.
— — ſpurius, IV. 566.

X.

Xanthium. I. 141.
Xylobalſamum, IV. 46.

Z.

Zedoaria longa, V. 82.
—— rotunda, ibid.
Zingiber album, V. 52.
—— commune, ibid.
—— nigrum, ibid.

ERRATA ALIQVOT VOLVMINIS SEXTI.

Pag. 20. lin. 12 loco 142. lege 342. — p. 55. l. 5. leg. *Alii* — p. 69. l. 6. leg. *cioè* — p. 76. l. 12. leg. *p.* 24 — p. 80. l. 20. leg *p.* 26. — p. 121. l. 20. leg. *odoris balſamici, ſaporis amaricantis* &c. — p. 129 l. 15. leg. *vrinariae* — p. 141. l. 4. leg. GAERTNER — ibid. l. 9. leg. *ſubdurus.* — p. 182 l. 5. leg. *item ſubinde ramoſi; vel per* &c. — p. 190. l. vlt. leg. *Amygdalas* — p. 193. l. 17. leg. *tom. 7. p.* 605 *ſq* — p. 198. l. 3 claudatur parentheſis poſt vocem: *inſaniae* — p. 204. l. 5. leg *p.* 307. — p. 207. l. 14, leg. *variet; nec ſpecimina* &c. — p. 217. l. 16. leg CARTHEVS. *Mat. med. p.* 225. — ibid. l. 19. ante vocem „*redundat*„ adde: *ex Myrrhae vncia vna* — ib. l 21. leg. *p* 226. — p. 220 l. 6. leg. *p.* 237. In Indice alphabetico lege: Carpobalſamum. IV. 32. — adde ſuo loco: *Guaiacum officinale,* III. 399. — loco: Veratrum? (Sabadilla), lege: *Veratrum?* (Sabadilla).

Superſunt paſſim et alia ſphalmata, interpunctionem fere ſpectantia; ſed ſufficit ea indicaſſe, quae noſſe intereſt lectoris.